D. IOANNIS

SLOTANI GEFFENSIS SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS, ET Inquisitoris hæreticæ prauitatis

DISPVTATIONVM ADVERSUS hæreticos Liber unus:

In quo sub propugnatione articulorum Iusto Velsio Coloniæ propositorum omnes fermè huius seculi controuersiæ discutiuntur.

Operis titulos proximè post præfationem reperies.





COLONIAE,
Apud Ioannem Birckmannum.
Anno M. D. LVIII.

AD LECTOREM.

Habes hic, optime Lector, controuersiarum præcipuarum elenchum, quæ occasione Apologiæ Velsianę, obiter à nobis in hoc libro explicantur, vt tantò commodiùs & conuenientiùs illius ratiocinationes cōuelleremus, & obiectionibus rēspōderemus. Tu interim vale, & laborem nostrum boni consule.

EORVM QVAE PRAECIPVE IN *hoc opere tractantur, elenchus.*

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO D. GEORGIO ab Egmont Ecclesiæ Traiectẽsis Episcopo, F. Ioannes Slotanus Gessensis, Salutem in Domino precatur sempiternam.



IN Ecclesiasticis historijs, integerrime & ornatissime Antistes, nulla ex re pij Pontifices atq; Doctores magis commẽdantur, quàm ex diligenti opera pro Ecclesiæ catholicæ & orthodoxæ fidei propugnatione ac defensione gnauiter collocata. Prædicantur etenim plurimum, quòd pro veritate fortiter steterũt, & fidem catholicam non solùm asiduis prędicationibus, ve

2

rũm etiam ſcriptis & aſſertionibus, veris ſcripturis, veraq; ratiõe ſubnixis, pro catholica doctrina, pro Apoſtolica & Eccleſiaſtica traditiõe certarũt, vt ex librorũ quoq; pclaris monumẽtis, ad hæreticorũ venena cauenda, etiam poſteris munimen & ſubſidium præberetur. Cùm enim hæretici tritico miſcerent zizania, hoc eſt, pura verbi Dei ſemina ſuis peſtiferis dogmatibus macularent, & mundas areas doctrinæ apoſtolicæ adulterina admixtione fœdarẽt, ſacerdotes Domini, & circumſpectiſsimi Eccleſiarum paſtores, ex omni parte veluti vigilãtes agricolæ, eorum mala ſemina excutere & expurgare nitebantur, & tanquam ſoliciti paſtores, lupos inſidiantes gregibus Chriſti, clamoribus ſimul & inſectationibus repellebant, commonendo fratres & inſtruendo, ſcribendo etiã longè poſitis, ac poſteris cõſulentes, quęſtio

nes

nes eorũ & obiectiones peruerſas, editis commentarijs, confutando. Inter quos facilè primum locum obtinet maximus ille & inuictiſsimus Athanaſius, Alexãdrinus quõdam Epiſcopus, cuius tanti in Eccleſia (vt habes lib.10.Eccleſ.hiſto. cap.14.) pro fidei integritate, agones fuerunt, vt etiã de hoc videatur dictũ eſſe illud quod ſcriptũ eſt: Ego eñ oſtẽdã illi quãta oporteat eũ pati pro noĩe meo. In hui⁹ etenim ꝑſecutiones vniuerſus cõiurauit orbis: & commoti ſunt principes terræ, gentes, regna, exercitus coierũt aduerſus eum. Sed ille diuinũ illud conſeruabat eloquiũ dicens: Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat in me prælium, in hoc ego ſperabo.

Quis Euſebij & Hilarij in hoc ſtudio diligentiã dignè explicauerit? Siquidẽ Euſebius Samoſatenus Epiſcop⁹, ne in exilio quidẽ apoſto licis

Lib.7.Tri. hiſt. c.16. & libr.10. Eccleſ.ca. 30. 31.

licis laboribus desudare cessauit. Is enim multas Ecclesias desolatas pastoribus esse conspiciens, habitu militari suscepto, & τιάρα caput operiens, Syriam peragrabat, & Phænicem, pariter & Palæstinam, presbyteros ordinans atque diaconos, aliaque Ecclesiæ peragebat officia. Sicubi autem inueniret sibi concordes Episcopos, eos Præsules egentibus constituebat Ecclesijs. Sed & circuiens Orientem atque Italiam, medici pariter & sacerdotis fungebatur officio. Singulas quasq; Ecclesias, abiurata infidelitate, ad sanitatem rectæ fidei reuocabat. Hilarius autem ab exilio regressus, & in Italia positus, hæc eadem erga instaurandas Ecclesias, fidemq; Patrum reparandam moliebatur. Qui natura vir lenis & placidus, simulq; eruditus, & ad persuadendum commodissimus, rem diligentiùs & aptiùs procurabat.

Qui

Qui etiam libros de fide nobiliter ſcriptos edidit, quibus & hæretico rum verſutias, & noſtrorum deceptiones, & malè credulam ſimplicitatem, ita diligentiùs expoſuit, vt & præſentes & longè poſitos, quibus ipſe per ſe diſſerere viua voce non poterat, perfectiſsima inſtructione corrigeret. Ita iſti duo viri, velut magnifica quędam mundi lumina, Illyricũ, Italiã, Galliáſq; ſuo ſplendore radiarunt, vt omnes etiam de abditis angulis & abſtruſis, hæreticorum tenebrę fugarentur. Horum pręſtantiſsimorum virorum exempla, meritò deberent noſtræ quoq; tempeſtatis Epiſcopos excitare atque extimulare, quando nunc in ouium Chriſti perniciem, non minor graſſetur hæreticorum rabies. Etenim ſi omnes, qui Chriſtiano cenſentur nomine, matrem ſuam Eccleſiam honorare, eámque ab iniuria uindicare tenentur, & ve-

ritatẽ ꝓ virili tueri obligãtur (nã q poteſt & diſsimulat, proditor eſt veritatis, ac Eccleſiã labefactat, & idcirco dign⁹ eſt opꝓbrio & execratione) nõne hos potiſsimũ decet, ꝓ retinẽdis in fide fidelib⁹, & cõfutandis atq; cõpeſcendis hereticis inſurgere, q tanquã arietes gregis dñici, maiori pollẽt autoritate & poteſtate? Et cõtrà, nõne maximè culpandi ſunt atq; arguẽdi, qui negligẽtia, deſidia ac torpore oppreſsi, peſtiferis hæreticis & eorũ peſsimis conatib⁹, nõ ſolũ nõ occurrũt, verumetiã eos impunè ſpargere letales errores diſsimulãter permittũt? Qui vidẽt lupũ venientẽ & fugiũt? Qui dũ dormiunt venit inimicus homo, & per ſuos miniſtros hæreticos, ſupſeminat zizania in medio tritici? His planè imputandum, quòd in tam miſero & calamitoſo ſtatu ſit Reſpublica Chriſtianorum, ꝙ lacerata ſit Eccleſia Chriſti, ꝙ oĩa pturbata, ſur-
ſum

ſum deorſumq́; miſceantur, ꝙ tam in ꝓphanis q̃ in religionis negotijs tot extent hodie diſsidia. Porrò qđ mirum ſi diſsideant aduerſarij à no bis, quũ nõ minus inter ſe, quã à no bis diſsideãt? Et certè propterea inter ſemetipſos diſcordãt, qa id affirmãt ac aſſerũt, quod nõ poteſt ſtare. Quũ verò inter ipſos nõ cõueniat, q́ rogo ſpes poterit eſſe cõcordię nobiſcum? Nam ſuperbia & arrogãtia tumidi, non ſubmitũt intelle ctum ſuũ in obſequiũ fidei, neq; ſe fidei catholicæ coaptant, ſed ipſam ſibi fidem famulari volunt, catholicumq́; & orthodoxum id dũtaxat exiſtimant, quod eorũ phantaſticis eſt cõforme capitibus. Deniq; iudicia ſua pluris faciunt, quã totius orbis ſententiã. Apud quos nullũ eſt, quamlibet legittimè collectũ Cõcilíũ, nullus ꝑtereà doctor ſiue Eccleſiaſtic⁹, ſiue ſcholaſtic⁹, in quo nõ reperiãt ꝙ accuſent, q oĩa ferè con-

5

uitijs, calumnijs, contumelijs & mendatijs agunt. Poſtremò cùm nullum in Eccleſia agnoſcant viſibile caput vicarium, omniaq; referant & remittāt ad ſimplicem ſcripturæ (cuius & ipſi ſoli interpretationem & iudicium ſibi ſumunt ac tribuunt) corticem, qua ratione cō ciliari poterit inter aduerſarios & catholicos concordia? Quo fructu poterit cū eiuſcemodi hominibus inſtitui colloquium? Ea propter rectè ſcribit & comprobat R.D. Robertus doctiſsimus Præſul Arboricenſis, non eſſe miſcenda cū eis (de apicibus fidei diſceptando) colloquia, niſi reſumpto prius, quod temerè & impiè abiecerunt, obedientiæ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ iugo. Porrò inter omnes noſtræ tempeſtatis hæreticos, humanæ ſalutis aduerſarius, maximum ſui generis ſerpentem excitauit Velſium, qui aſtu & dolo, ſerpentinaque calliditate-

liditate, ac demũ ſimulata religione, apud inclytam Vbiorum Coloniam, eiuſcemodi excitare conatus eſt tragœdiam, per quam & præclaræ huius Reipublicæ tranquillitas, & fidei catholicæ ſynceritas, proculdubio fuiſſent aut plurimũ perturbatę, aut tandem funditùs euerſæ, ſi non tempeſtiuè vulpinis conatibus Velſij obuiatum fuiſſet. Sed & cùm eſſet doctrinæ arrogantia tumidus, & ſcientiæ elatione inflatus, ſeſe cæteris omnibus duceret meliorem, & reputaret doctiorem, exiſtimaretque omnes Imperij Status, imò vniuerſum orbem propter ſe ad vltionem commouendum, tacere non potuit, ſed vt ſuam iuſtiſſimam, & condemnationem & expulſionem vindicaret, peſtilentiſsimam Apologiam edidit, cui præmiſit epiſtolam ſatis prolixam ad Carolũ V. Imperatorẽ, & Ferdinãdum Romanorũ regem, illuſtriſsimos

mos

mos prĩcipes Electores,& reliquos Impij Stát⁹,in qua admodũ insynce rè(sed tñ nihilomin⁹ cũ sui exqsita ostẽtatione & cõmendatione)enar rat,quõ secũ gestũ sit:quasi verò in uictisimo Impatori,et serenisimo Regi, & reliqs principib⁹ tm̃ supsit otij, vt nugas nugacisimi hoĩs excutiẽdas & mẽdacia vẽtilãda, susci pere aut posint aut debeãt.Sed nos (vti cõfidimus)exiguo libello cõfu tatorio,prę̃abuli loco cõscripto,hu i⁹ hoĩs mẽdatia,cõuitia,calũnias & blasphemias ita refutauimus,&p̃sti gia ac imposturas sic denudauim⁹, ac oĩbus catholicis & pijs hoĩbus deridẽdas ꝓpinauimus, vt supuaca neũ foret de his plura in prę̨sentiarũ scribere,nisi alia quę̨dã delíramẽ ta mẽdatijs & criminationibus ple na edidisset, in quibus somnia sua hoĩbus ꝓtrudere conatur pro reue lationib⁹, & nugamẽta ꝑ oraculis, neq; veretur adhuc homo impudẽ

tisi-

tiſsimꝰvocationẽ ſuã diuinã aſſère-
re,&diuinitùs totã hãc rẽ ab eo ge-
ſtã,atq; adhuc geri, meq́; aduerſus
eandẽ inſurgere,eamq́; impugnare.
At ego reſpondeo,me haudquaquã
impugnaſſe vocationẽ Velſij,quam
nullã agnoſcebã , ſed neq; etiã nũc
agnoſco,ſed demõſtraſſe vocatio-
nẽ eius penitus eſſe inanẽ, futilẽ,cõ
fictam ac ab ipſo fallaciter excogi-
tatã,quo ꝑtextu ſimulatę vocatiõis
ſuę,incautis & ſimplicioribꝰ qbuſ-
que faciliꝰimponeret.Quod aũt me
falſis criminationibꝰ,& cõuitijs in
ſectatur acerbis:deniq; ꝙ calũnio-
ſe traducit,planè contẽno ac rideo,
neq; ei aliã hîc reſponſionẽ dabo,
q̃ in confutatione Apologiæ dediſ
ſe me ſcio,ſed dicã cũ ꝓpheta,Dixi
cuſtodiã vias meas , vt nõ delinq̃ in
lingua mea,poſui ori meo cuſtodiã,
cum cõſiſteret peccator aduerſum
me.Obmutui et humiliatus ſum,&
dolor meus renoua-
tus

tus eſt. Et rurſus, Ego autem tanquã ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Et factus ſum ſicut homo non audiens, & nõ habens in ore ſuo redargutiones. Quoniam in te ſperaui Domine, tu exaudies me domine Deus meus. Ille pro me vltor reſpõdebit Velſio, qui dicit: Mihi vindictam, & ego retribuam dicit Dominus. Sedẽs (inquit) aduerſus fratrem tuũ loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Hæc feciſti, & tacui. Exiſtimaſti iniquè, quòd ero tui ſimilis. Sed & pauidi ac conuicti animi indicium eſt, cõuitijs, mẽdatijs ac calumnijs ſeſe armare, vbi animaduertit ſe veritate deſtitutũ. Conſtrictus enim propriæ conſciẽtiæ cenſura, quia in veritate coram Deo, reſpondere non poteſt veritati, ne videatur apud homines vict⁹, ad conuitia & maledicta confugit. Cùm enim in mal-

ſpiciũt ſe ſuperari veritate,nõ aliud refugiũ habent, quàm quod confu giant ad conuitia, & quò amplius veritate premuntur,tantò vehemen tius in malitiam excitentur. Sed ſinamus hominem ſua cæca φιλαυτία gaudere,& ſibi placere etiã ad nauſeam vſq;,nos quod facturos nos re cepimus,præſtemus,& interrogato ria ipſi Velſio propoſita à nobis,tãquam catholicę &orthodoxę fidei cõſona, propugnemus.Exhibemus nunc,Pręſul ornatiſsime,quod pol liciti ſumus, atq; eorundem defenſionem damus,non quòd confidamus Velſium hiſce noſtris commẽ tarijs ad reſipiſcentiã aut ad ſaniorem mentem reuocandum (ipſe ſiquidem tanquam aſpis ſurda,obtu rauit aures ſuas ne exaudiat vocem veritatis) ſed vt catholicis ſimplicioribus, & præcipuè tyronibus (quorũ pleriq; Velſij fama illecti, & ſcientiæ perſuaſi facilè poterant

ad

ad illius perfidiam pertrahi, si nemi ne resistente liberè permitteretur, aut agere, aut scribere quod liberet) cõsuleremus, quò possent in catholica fide & religiõe retineri firmiùs, & perdurare perseuerantiùs. Nec propterea sanè (inquit Bernardus serm. 64. in Cant. Cant.) Nihil se egisse putet, qui hæreticum vicit & conuicit, hæreses confutauit, verisimilia à vero, clareq; aperteq; distinxit, praua dogmata, plana & irrefragabili ratione, praua esse monstrauit, prauum deniq; intellectum extollentem se aduersus scientiam Dei in captiuitatem redegit: nempe cepit nihilominus (qui talia operatus est) vulpẽ, & si nõ ad salutẽ illi, sed cepit eã spõso & spõsę, quãuis aliter. Nã, etsi hæretic⁹ nõ surrexit de fęce, Ecclesia tñ cõfirmatur in fide. Cęterũ amplissime pater & dñe, hãc nostrã catholicarũ interrogationũ pro[illegible]

nuncupare placuit, ea potißimum ratione, quòd scirem te aduersus omnes nostri temporis hæreses pectus robustißimum, ac animum firmißimũ poßidere. Quis enim eas magis detestatur? Quis catholicam fidẽ propugnat ardentiùs? Quis aduersarios compescit diligentiùs? Quis inuestigat studiosius? Quis deniq; gregẽ suum à luporum incursibus & morsibus præseruat vigilantiùs? Vt interim taceam singularem morum tuorum præstãtiam, uitæq; probitatem, eximiam in agendis & consultãdis prudentiam, &, quod omnibus alijs anteponendum est, pietatem insignem. Hisce siquidem & similibus virtutibus, odor bonus famæ tuæ sparsus iam est vndiq;, ita vt de te verè poßit dici, quod Christi bonus odor sis in omni loco, eo quòd domus Ecclesiæ impleta sit ex odore vnguenti. 9
Nõ adulamur tibi, Antistes dignißime,

ſime,nec tuas virtutes,ſed dona Dei in te admiramur ac pdicamus,paucaq́; è multis (quæ aliorū relatione didicimus)à nobis iā cōmemorata ſunt,quæ & nos quoque ſuauitate ſua ita affecerunt,vt etiam pertrahe rent in odorem vnguentorum tuorum, permouerentq́; vt hoſce noſtros qualeſcunq; labores, nomini tuo dedicaremus. Quos precor vt gratanti animo excipias, & ſub vm bra alarum tuarum protegas, quò facilius ſuperciliosa iudicia tetrico rum euadant.Deus excellentiſsimā tuam dignitatem conſeruare digne tur incolumem & longæuam, ad ſancti nominis ſui honorem, & Ec cleſiæ commoditatem, fideiq́; catholicæ profectum. Vale.

COLONIAE, Anno Domini 1557. Ipſo die ſancti Clementis Papæ & Martyris.

INDEX HVIVS OPERIS, CVius numerus prior folium, posterior paginam designat.

A

B

De-

Eucha-

I

L

M

14

15 Pri

Sacra

FINIS.

INTERROGATIONVM AB HÆRETICÆ PRAVITATIS INQVISITORIBVS VELSIO propoſitarum propugnatio, per D. Ioannem Slotanum Geffenſem, ſacræ Theologię profeſſorem, & hæreticæ prauitatis Inquiſitorem.

DE ECCLESIA.

Primò, An credat vnam Sãctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, eamq́ non ſolùm inuiſibilem, ſed etiam viſibilem in terris exiſtere.



On eſt hæc interrogatio leuis aut parui momenti exiſtimanda, utpote qua benè intellecta, et fundamēti loco collocata, facilius & reliquas interrogationes explicabimus, et Velſii reſpõſiones cõfutabimus. Eccleſia Græca uox quum ſit, latinè multitudinem, cœtum aut conuentum, aut euocatam concionem ſignificat. Vnde Eccleſia eſt uiſibilis congregatio ſiue communitas ac multitudo, non qualiſcunq;, ſed conueniens, conciliata ac euocata in

unam aliquam societatem uel communionem externæ confeßionis, unius fidei, unius doctrinæ, eorundem sacramentorum, secundum Apostolicam & Catholicam traditionem, in uno eodem indiuiso uinculo pacis & concordiæ. Est autem duplex Ecclesia, militans scilicet & triumphans. Triumphans Ecclesia, est cœtus ille felicißimus sanctarum animarum Christo in cœlestibus conregnantium, qui de hoc mundo & diabolo triumphauit, de quo in Apocalypsi sua beatißimus Ioãnes apostolus & Euangelista scribit, dicens. Vidi turbam magnam quã dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis stantes ante thronum & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorũ. Quia uenerunt de tribulatione magna & lauerunt stolas suas, et dealbauerũt eas in sanguine agni. Ideo sunt ante thronũ Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui sedet in throno habitabit super illos. Non esurient, neq; sitient amplius, neq; cadet sup illos sol, neq; ullus æstus, quoniã agnus q in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad uitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnẽ lachrymam ab oculis eorum. Ad hanc Ecclesiam etiam pertinent angeli sancti, qui ex quo conditi sunt, semper cohæserunt Deo, nec ullum sui casus malum experti sunt. Hæc itaq; ciuitas (inquit August. in Ench. ad Laurentium cap. 56.) in sanctis angelis

Ecclesia triũphãs.

Apoc. 7.

angelis beata persistit, & suæ parti peregrinandi, sicut oportet opitulatur, quia utraq; una erit consortio æternitatis, & nũc una est uinculo charitatis, quæ tota instituta est ad colendum unum Deum. Hæc autem Ecclesia triumphans, ex animabus beatis & sanctis angelis constans, inuisibilis est hominibus. Proinde aliam in terris credere ac constituere oportet militantem, uisibilem Ecclesiam, cœtum nimirum Christi fidelium, nõ quidem sanctorum tantùm congregationem, in spiritu occultam, quam nesciamus quæ sit, aut ubi eam debeamus requirere, sed Christi fideliũ omnium, tam malorum, quàm bonorum, qui Christo nomẽ dederunt, atq; militiæ illius sacramento initiati sunt, conuenientium in una communione externæ confeßionis, unius fidei, unius doctrinæ, eorundẽ sacramentorum, secundum apostolicam & catholicam traditionem, in uno eodem indiuiso uinculo pacis & concordiæ, in uno grege, in uno ouili, sub uno pastore, sub una cathedra.

Ecclesia militãs visibilis.

Esse debet hæc Ecclesia, uisibilis & manifesta, quæ à quolibet, qui fratrem inordinatè ambulantem uelit corrigere, facilè iuxta Christi præscriptum, Matthæi 18. inueniri poßit, non spiritualis uel mathematica, ex prædestinatis aut charitate præditis, iustis & sanctis cõuersationem suam in cœlis habentibus (quemadmodum damnatæ memoriæ heretici Ioannes Vuiclef, Ioannes Hus,

Martinus Lutherus,& Iustus Velsius eorum sobo-les docuerunt)adunata, sed ex malis & bonis, dum in hoc mundo uersatur, coaptata,sicut enim olim in arca Noë erant animalia munda & im-munda,ita Ecclesia,quamdiu in hoc mundi pela-go iactatur,habet bonos & malos. Idipsum enim declarant parabolæ Euangelicæ,de tritico & zi zania in codē agro,de piscibus itē bonis & malis in eadē sagena,de decē uirginibus, quarum quinq; erāt fatuæ,& quinq; prudētes,in nuptiar ūquoq; parabola boni & mali congregati sunt,& in nu-ptijs regalibus quidā sine ueste nuptiali interfuit, q paulò pòst iussus est eijci in tenebras exteriores. Ecclesia deniq; comparatur uineæ,in qua sunt pal mites,non tantum uuas,sed et labruscas facientes.

S. Augustinus de fide ad Petrum ca. 43. firmis-simè(inquit) tene, & nullátenus dubites, aream Dei esse Ecclesiam catholicam,& intra eam usq; in finem seculi,frumēto mixtas paleas contineri, hoc est,bonis malos sacramētorum communione misceri. Sed & sanctus Gregorius:Quousq;(ait) hic uiuimus, necesse est ut uiam præsentis seculi permixti pergamus,tunc autē discernimur, cum peruenimus.Boni enim soli nusquam sunt, nisi in cœlo, & mali soli nusquam sunt, nisi in inferno. Hæc autē,quæ inter cœlum & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita utrarumq; partium ci ues communiter recipit,quos tamē sancta Eccle-

sia

sia & nunc indiscretè suscipit, & postmodum in egreßione discernet. Et post *pauca idipsum exemplis sacræ scripturæ comprobans:* Duos (*inquit*) *filios habuit primus homo, unus horum electus est, alter reprobus fuit.* Tres *filios* Noë *arca continuit, sed ex his duo electi, & unus reprobus fuit.* Duos *filios habuit* Abraham, *sed unus electus, alter reprobus fuit.* Duos Isaac *filios habuit, sed unus electus est, alter reprobatus.* Duodecim *filios habuit* Iacob, *sed ex his unus per innocentiam uenditus est, alij per malitiam uenditores fratris fuerunt.* Duodecim Apostoli *sunt electi, sed unus in his admixtˀ est q reprobaretur, undecim qui probarentur. Septem sunt diacones ab Apostolis ordinati, sed sex in fide recta permanẽtibus, unus autor extitit erroris. In hac ergo* Ecclesia *nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt.* Et post *aliquãta:* Terrere (*inquit*) *nos non debet hoc, quod in* Ecclesia *& multi mali, & pauci sunt boni, quia arca in undis diluuij (quæ huius* Ecclesiæ *typũ geßit) & ampla in inferioribus, angusta in superioribus fuit, quæ in summitate etiã sua ad unius mẽsurã cubiti excreuit. Inferiùs quippe bestias quadrupedia atq; reptilia, superiùs uerò aues & hoiẽs habuisse credenda est. Ibi lata extitit, ubi bestias habuit, ibi angusta, ubi homines seruauit, quia nimirũ sancta* Ecclesia *in carnalibus ampla est, in spiritualibus angusta.* Vbi

enim bestiales hominum mores tolerat, illic latius sinum laxat. Vbi autem eos habet, qui spiritua li ratione suffulti sunt, illic quidem ad summum ducitur, sed tamen quia pauci sunt, angustatur.

Matt. 7. *Lata quippe uia est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui uadũt per eam, & angusta porta est quæ ducit ad uitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam. Eò autem usq; arca angustatur in summis, quousq; ad mensuram unius cubiti perducatur, quia in sancta Ecclesia, quanto sanctiores qq; sunt, tantò pauciores. Quæ in summo ad illũ perducitur, qui solus homo in hominibus, & sine alterius cõparatione natus est sanctus, qui iuxta Psal*

Psal. 101. *mistæ uocem, factus est sicut passer unicus in ædificio. Hactenus ille. Ex quibus liquet, inuisibilem internam, spiritualem, ac cœlestem illam Ecclesiam, consistentem ex solis iustis ac prædestinatis, conuersationem suam in cœlestibus habẽtem, non esse Catholicam & Apostolicam, sed prorsus mathematicam, cum nusquã boni soli sint, nisi in cœlo, & mali soli nusquam sint, nisi in inferno, in hac autem uita, semper mali & boni permixtim in Ecclesia sint. Esset quidem optima Ecclesia, si in ea tantùm sancti & boni essent, qualis profectò est triumphans Ecclesia in cœlestibus regnis, quæ neq; maculam, neq; rugam habet ullam, sed quamdiu peregrinatur in terra bonos & malos complectitur frustra igitur talis constituitur Ecclesia*

clesia, quam nos neq; uidere, neq; audire, sed cre=
dere tantùm possimus. Non est enim Ecclesia Dei Matt.5.
occulta. Est nempe ciuitas posita super montem,
quæ abscondi non potest. Monstratur in Conci=
lijs legittimis, quæ uniuersalem Ecclesiam repræ
sentant. Monstratur in Sede Apostolica, in uerti
ce eius. Monstratur & in Episcopis atq; præposi
tis singularum Ecclesiarum particularium. Nisi
forte & sancti Lucæ Euangelium consimili teme
ritate dicat aliquis occultum, ob id quod scribit 2. Cor, 8.
ad Corinthios Paulus. Misimus etiam cum illo fra
trem nostrum, cuius laus est in Euangelio per o=
mnes Ecclesias. Si enim solum occulta & inuisibi
lis uel mathematica esset Ecclesia, quomodo fra=
ter Pauli, habere posset laudem per omnes Eccle
sias? Non ergo ad eum modum oportet accipere
Ecclesiæ uocabulum, quo accipiunt superius no=
minati hæretici, ubi uel Christus de audienda Ec=
clesia præcipit, uel patres post Apostolos, de au
toritate Ecclesiæ disserunt. Illam enim nobis inui
sibilem (quam fingunt aduersarij ex solis iustis et
bonis constare) Ecclesiam, solus Deus cognoscit,
quemadmodum Apostolus ait. Cognouit domi= 2. Tim. 2.
nus, qui sunt eius. Hanc autem quæ audienda est,
& cuius autoritas sequenda, nobis cognoscibilem
atq; adeo uisibilem esse oportet atque sensibilem.
Nam cum dominus ac saluator noster dicat. Si pec
cauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & Matt.18.

ipſum, &c. Quod ſi non audierit eos, dic Eccle*ſiæ, ſi autem* Eccleſiam *non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Dicant *nobis aduerſarij, quomodo dicere poſſumus* Eccleſiæ*(quam conſtituunt inuiſibilem, internam et ſpiritualem) quam ignoramus, quæ ſoli* Deo *nota eſt? & quomodo eam poſſumus audire, ſi nobis prorſus incognita eſt?* Non *eſt ergo conſtituēda talis* Eccleſia*, ſed ſtatuēda eſt* Eccleſia *uiſibilis, in qua bonos & malos dicimus eſſe permixtos, qui & ſi non ſint colligati omnes unitate ſpiritus, & uinculo charitatis, colligati tamen ſunt ſecundum unionem unius ſignaculi fidei, & corporaliter coniuncti, ſecundum uiſibilia pietatis ſacramēta, quamuis nonnulli inter eos ſint impij peccatores, uſurarij, ſimoniaci, adulteri, ebrioſi, fornicatores, & id genus homines, ſecundum exterioris fidei profeßionem, & exteriorem colligantiam & communionem, formam quidem pietatis habētes, uirtutem tamen eius abnegantes. Sunt itaq; boni & mali in hac* Eccleſiæ *ſocietate, per quandam colligantiam eiuſcemodi profeßionis, ac exterioris participationis ſacramētorum, mali tamē non ſecus, q̄ palea in frumēto. Quemadmodum enim humano corpori plerumq; adhærent membra aut mortua, aut arida, aut putrida, aut languida, quæ nōnunquam reſecanda ueniunt, ne cætera membra horum contagione inficiantur, interdum toleranda*

da, ne forte abscindantur, totum corpus in periculum ueniat, quæ & si membris uiuis in uitali spiritu non communicent, colligantia tamen quadam uiuis adhærent, proindeq; adhuc corporis membra dicuntur, & corporis esse partes. Ita de Ecclesia *ad hunc modum accepta sentiendum est, ut sit populus in unam professionem fidei, & communionem sacramẽtorum uocatus, cohærens saltem secundum unitatem professionis, & uisibilem quandam Christianæ fidei formam.* Et licet hoc *modo in* Ecclesia *sint boni & mali, excluduntur tamẽ ab ea excommunicati, hæretici, schismatici & pagani.* Excommunicati *quidem, quòd publico* Ecclesiæ *iudicio ab exteriori* Ecclesiæ *consortio, donec resipiscant, separati sint.* Hæretici *uerò & schismatici, quod sua sponte* Ecclesiam *exierint & deseruerint, eandem & contemnentes & proscindentes & persequentes.* Pagani *autem uel alij infideles, quocunq; nomine censeantur, quòd* Ecclesiam, *ueluti in qua nec sint, nec unquam fuerint, nulla ex parte agnoscant, secundum nullam ne exteriorem quidem & uisibilem formam religionis & sacramentorum,* Ecclesiæ *unquam adscripti sint, seu coagulati. Cæterum hæc* Catholica Ecclesia, *de qua nunc loquimur, est illud regnũ Christi, de quo loquitur* Apostolus 1.Cor.15. *dicens:* Deinde *finis, cum tradiderit regnum* Deo & *patri, cum euacuauerit omnem principatum, po-*

testatem & uirtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Nouissima autem inimica destruetur mors. Loquitur de hoc regno Christi super terram, nõ autem de illo cœlesti, quemadmodum ex uerbis eius euidentissimum est. De hoc enim loquitur quod præcedit consummationem aut finem & mortis destructionem. Cœleste autem illud subsequitur hæc omnia. Et quamuis nondum uideamus subiecta illi omnia, hoc tamẽ proculdubio expectamus futurum, cum plenitudo gentium in hoc ouile Christi introducta fuerit, & uniuersus etiam Israel illuminatus lumine fidei, qui adhuc sub cæcitate laborat, proinde eandem Ecclesiam Catholicam toties regnum cœlorum appellat Christus, quia ad illud ordinatur, & quia nisi ex hoc, ad illud nemini patet ingressus. Hæc itaq; Catholica Ecclesia illud Christi regnum est, quod sibi conquisiuit pretioso sanguine suo, in quo regnabit super terram, donec euacuauerit sibiq; subiecerit omnem principatum, potestatem, & uirtutem, non quidẽ ui & potẽtia, sed sponte & ultro se dedentibus omnibus, & iugo ipsius & regno eius se subijcientibus. Non enim nisi spontaneos in regnum suum acceptat Christus. Et hæc est Ecclesia, quam in symbolo apostolorũ profitemur nos credere. Credimus enim sanctam Ecclesiam, non in Ecclesiam. Hic nempe in symbolo sermonis uis

mutatur

mutatur, & omittitur præpositio In. Non *enim dicit symbolum,* Credo *in sanctam* Ecclesiam, *& cætera quæ sequuntur, sicut dixerat.* Credo *in* De*um patrem, & in* Iesum Christum *filium eius unicum, & in spiritum sanctum, sed tantum.* Credo *sanctam* Ecclesiam *Catholicam, id est, credo* Ec*clesiam à* Deo *congregatam esse, non in sanctam* Ecclesiam, *ut in* Deum, *ut hac præpositionis sylla ba creator secernatur à creaturis, & diuina sepa rētur ab humanis.* Vnde Cyprianus *in expositione symboli apostolorum ait.* Sanctam Ecclesiam, *remißionem peccatorum, huius carnis resurrectionem.* Non *dixit in sanctam* Ecclesiam, *nec in remißionem peccatorum, nec in carnis resurrectionem.* Si *enim addidisset* In *præpositionē, una eademq; uis fuisset cum superioribus.* Ne *autem in illis quidem uocabulis, ubi de diuinitate fides ordinatur, in* Deo *patre dicitur, & in* Iesu Christo *filio eius, & in spiritu sancto, in cæteris uerò, ubi non de diuinitate, sed de creaturis ac mysterijs sermo est* In *præpositio non additur, ut dicatur in sanctam* Ecclesiam, *sed sanctam* Ecclesiam *credendam esse, non ut in* Deum, *sed ut* Ecclesiam Deo *congregatam, & remißionem peccatorum, credendam esse, non in remißionem peccatorum, & resurrectionē carnis, non in resurrctionem carnis.* Hac *itaq; præpositiōis syllaba creator à creaturis secernitur, et diuina separātur ab humanis.*

Ecclesia vna. Hanc porro Ecclesiam credimus esse unam. Nam Ecclesiæ Catholicæ nihil ita peculiare est, quàm unitas, proindeq; inter alias notas, qua uiua membra Ecclesiæ dinoscuntur, hæc est, quod supportant inuicem in charitate, sollicita seruare unitatem spiritus in uinculo pacis. Sicut enim uidemus in uno homine unam esse animam, & unū corpus, quod habet diuersa membra, ita Ecclesia Catholica est unum corpus, & habet diuersa menbra, anima autem quæ hoc corpus uiuificat, est spiritus sanctus, qui in Canticis Canticorum loquitur: Vna est columba mea, perfecta mea. Hæretici autem, qui diuersas sectas adinuenerunt, nō pertinent ad hanc Ecclesiam, sed excluduntur ab ea, quia sunt diuisi in partes. Constat autem hæc Ecclesiæ unitas, primò unitate fidei. Omnes enim Christiani, qui sunt de corpore Ecclesiæ, idem credunt, quemadmodum Apostolus monet dicens: Idipsum dicatis omnes, & non sint in uobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadē sciētia. Vnde iterum ait. Vnus Dominus, una fides, unum baptisma. Deinde unitate spei, quia omnes Christiani firmantur una spe perueniendi ad uitam æternam. Et idcirco iterum dicit Apostolus: Vnum corpus, unus spiritus, sicut uocati estis in una spe uocationis uestræ. Tertiò unione charitatis, quia omnia uiua membra connectuntur in amore Dei, & adinuicem amore mutuo.

Ephe.4.

Cant.6.

1.Cor. 1.

Ephesi.4.

Vnde etiam Christus ascẽsurus per mortis suppli cium ad patrem pro fidelibus rogauit dicens. Pa ter sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Et iterum: *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui cre dituri sunt per uerbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti.* Et ego *claritatem, quam dedisti mi= hi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum su= mus:* Veritatem *itaq; facientes (inquit* Paulus*) in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est ca put Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iũcturam subministra= tionis secundum operationem in mensuram uni= uscuiusq; membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Et in *epist. ad* Co= *rinthios. Sicut (inquit) corpus unum est, & mem bra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus.* Etenim *in uno spiritu oẽs nos, in unum corpus baptizati sumus, siue* Iudæi, *siue gẽtiles, siue serui, siue liberi, & omnes in uno spiritu po tati sumus.* Nam & *corpus non est unum mem= brum, sed multa.* Nunc *autem multa quidem mem bra, unum autem corpus. Hæc est unica illa in= consutilis, desuper contexta per totum, quæ sciss= sa non fuit, de qua Christus dixit apud* Ioannem:

Ioan. 17.

Ephes. 4.

1 Cor. 12.

Et

Et erit unum ouile, & unus pastor. Porro licet *mali non sint uiua membra* Ecclesiæ, *colligati tamen sunt ipsis uiuis membris* Ecclesiæ, *uti dictum est, secundum exteriorem fidei professionem & exteriorem colligantiam & communionem.* Cæterum *non est existimandum hanc* Christi *fidelium unitatem ac communitatem esse informem, cõfusaneam, aut* Babylonicam, *sed ordinatissimam, tali specie ac forma, qualem* Deus *autor* Ecclesiæ *nouerat illius fini congruere constitutam.* Finis *quippe* Ecclesiæ *nostrum omnium salus est, quæ ut nulli extra* Ecclesiam *contingit, ita in eadem unitate ac synceritate uiuæ fidei, & mãdatis* Dei *obsequendi fideli studio eandem assequimur.* At *uero* Ecclesiasticæ *multitudinis non est imaginari formam ullam, qua in unitatem aliquam unius corporis redigatur, præter ordinem, quo uno & conciliatur & continetur inter multos pax, concordia ac unitas.* Hoc *autem confuso, nihil manet usquã consonum, sed confusa sunt omnia, nec quisquam præstat quod est officij sui.* Non *est ergo dubitandum, autorem ac architectum* Ecclesiæ Deum *(qui tantum studij & diligentiæ erga* Ecclesiam *suam adhibuit, ut eam ad finem supernaturalem, ultimum atq; omnium præstantissimum perduceret, ad uitam nimirum sempiternam) eidem* Ecclesiæ *suæ præfixisse absolutũ cõsummatumq; ordinem, sub unius alicuius pastoris rectorisq; autoritate,*

Ecclesiæ vnitatẽ requirere, vt præsit vnius autoritas.

toritate, cura, regimine, & imperio, uarijs offici orum gradibus magistratibusq; eandem ordinauerit ac distinxerit, etiam si uerbum nullũ de hoc inueniretur in Euangelicis apostolicisq; literis, præsertim cum ubiq; eãdem, uel sub regni, uel sub nobilißimæ cuiusdam ac diligenter constitutæ ci uitatis, aut etiam sub domus specie idẽ ille eius architectus nobis producat, cõmendet atq; ingerat.

Et Paulus eandem inducat uelut animantis im mensi corpus aliquod, ex multis membris in solidam aliquã unitatem compositam, quorũ adinuicem sit conspiratio, & in communem totius cor poris, & mutuam utilitatem ac salutem communicatio, in his quæ ad fidem religionemq; Christi, & finem salutis æternæ & cœlestis patriæ assequendæ pertinent. Qualis unitas prorsus esse nõ posset, nisi omnia moderarentur unius ueluti capitis habenis & imperio, quod singula membra in hac uelut communione continere, singulis sua officia præscribere, eorundem ab eisdem rationẽ exigere, excessus corrigere, turbas sedare, exortas in Ecclesiastica domo quæstiones & controuersias sua definitione componere, et pacem tran quillitatemq; in eadem seruare, sua illa autoritate efficaciter poßit. Vt non sit schisma in corpore, sed ante omnia consensus religionis & fidei.

Quemadmodum enim in uno animantis corpo re, nisi unum esset membrorum omnium motiuũ

prin=

principium, nunquam in unum, aut in totius utili tatem conspirarēt omnia, imo uno hâc, altero mouente in contrarium, foret schisma in corpore, & membra sese impedirent mutuò, nec ullum assequeretur quod uellet proprium. Ita *in omni societatis humanæ genere, nisi ea ordine certo ad suū finem proprium commodè in unum contineatur, & sit qui præsit, cuius dicto auscultēt cæteri, uel ad modicum durare non potest unitas ac concordia, atq; eò minus, quo multitudo numerosior est. Quo enim corpus est uastius, & mēbrorum, quæ colligantur, multitudo immensior, eò efficatiori fortioriq; uinculo, quo contineatur in unum, indiget.* Itaq; *ipsa rei euidentia loquitur & nos docet, multo impoßilius esse, in tam immensa atque adeo infinita in uniuersum orbem diffusa multitudine fideliū (quæ nullo alioqui ciuili uinculo cōtinetur in unum) uel ad momentum conseruari potuisse, aut posse solidam illam unitatem unius corporis, & singulorum membrorum conspirationem, in mutuam, & totius utilitatē, consensumq; religionis & fidei, nisi diligentißime constituto ordine, in quo uehementer uigeat efficacißima unius præsidis autoritas.* Nisi *enim esset, penes quem sit præcipua autoritas, in qualibet etiam domo aut familia, pax atq; concordia conseruari haud potest.* Itaq;, *etiam si nullum aliud eius rei argumentum haberemus, dubitare non debere-*

mus,

mus, ita institutum esse à Christo, qui est caput præcipuum ac principale siue primarium Eccle*siæ suæ, sed quia est inuisibile, reliquit* Eccle*siæ suæ uisibili uisibile quoq; caput seu uicariũ,* Ro*manum scilicet pontificem, quem* Velsius *falso appellat caput adulterinum.*Nõ *est ergo, quod quisquam dubitet, de necessitate istius ordinis in* Ec*clesia, reducti ad unitatem rectoris ac præsidis.* E*st enim hic ordo in* Eccle*sia retinendus, ueluti quidam* Eccle*siæ nexus, non quem humana præsumptio adinuenit, sed quem Christus instituit, qui in* Eccle*sia sua omnia ordinatissima esse uoluit, singulaq; mẽbra suis offitijs defungi, diuidẽs* 1. Cor. 12.
unicuiq; gratiam prout uult. V*nde posuit ac de-* Ephesi. 4.
dit quosdam A*postolos, quosdam autem prophetas, alios uerò* Euange*listas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem filij* Dei, *in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*Et *cur hoc necessarium fuerit, continuò addidit dicens, ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni doctrinæ in nequitia hominũ.*V*bi planè docet, diuersa & uaria in* Eccle*sia data esse dona diuersos et uarios in* Eccle*sia esse stat⁹ et gradus cõstitutos, ad prædictã scilicet unitatẽ* Eccle*siæ cõseruandã, ut unusquisq; suo officio intentus,*

ad Ecclesiæ ædificationē laboret. Nā huiuscemodi offitia, ordines & ministeria sunt in Ecclesia, non solū ad unitatē conseruandum, sed etiā ob salutem Christi fideliū, durabūtq; in ea usq; ad consummationem seculi. Et quia Christus hanc Ecclesiæ unitatem in hierarchico ordine durare uoluit usque ad finem, idcirco in locum Apostolorum diuina dispensatione successerunt Episcopi, qui singuli singulis Ecclesiis (ut S. Hiero: inquit) in scismatis remedium præpositi sunt, ne unusquisque ad se trahens Ecclesiam Christi unitatem rumperet. Inter Episcopos quoq; cuiusque prouintiæ, unus Archiepiscopus, qui & metropolitanus, & inter metropolitanos patriarchæ seu Primates constituti sunt, quorum Romanus, ueluti cathedram Petri uicaria successione obtinens, Primas iudicatus est, à qua Petri cathedra (ut Cyprianus ait) unitas sacerdotalis exorta est. Visibili ergo ordinatione per Christum instituta, & per Apostolos deinde facta, & in nos continua succeßionis serie deducta, ad retinendam ecclesiæ unitatem quàm maximè opus erat. Nam nunquam schismatum finis fuisset, nisi hunc ordinem Christus in ecclesia sua instituisset. Quærenda est ergo Ecclesia apud eos, apud quos est concors doctrina, & legittima Episcoporum succeßio, ab Apostolorum temporibus, ad hæc usque tempora deducta, quæ est certißima Ecclesiæ nota. Nam Irenæus

lib. 4.

lib.4.aduerſ.hæret.cap.43.& 63. idipſum teſta tur. Nam *cap. 43. ſic inquit.* Eis qui in eccleſia ſunt preſbyteris obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui cum epiſcopatus ſucceſſione, chariſma ueritatis certum, ſecundum placitum patris acceperunt. Reliquos uerò, qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunque loco colliguntur, ſuſpectos habere, uel quaſi hæreticos & malæ ſententiæ, uel quaſi ſcindentes & elatos & ſibi placentes, aut rurſus ut hypocritas, quæſtus gratia & uanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem hi decidunt à ueritate. *Cap. uerò. 63. ſic habet.* Agnitio uera eſt Apoſtolorum doctrina, & antiquus Eccleſiæ ſtatus in uniuerſo mundo, & charactere corporis Chriſti, ſecundum ſucceſſiones Epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoq; loco eſt, Eccleſiam tradiderunt, quæ peruenit uſq; ad nos cuſtodita ſine fictione, ſcripturarum tractatione pleniſſima, neque ablationem recipiens lectio ſine falſatione, & ſecundum ſcripturas expoſitio legittima, & diligens & ſine periculo & ſine blaſphemia, & præcipuum dilectionis munus, quod eſt pretioſius quàm agnitio, glorioſius autem quàm prophetia, omnibus autem reliquis chariſmatibus ſupereminens. *Et cap. 45. ait.* Vbi igitur chariſmata Domini ſunt poſita, ibi diſcere oportet ueritatem, apud quos eſt ea quæ ab Apoſtolis Eccleſiæ ſucceſſio. Quod

hinc confirmat, quia posuit Deus *primò in ecclesia* Apostolos, *&c. Quibus uerbis perspicuũ euadit, non sufficere ad* Ecclesiam *constituendam, sacramẽta & uerbum* Dei *uel sanam doctrinã, sed oportere eã peruenisse ad nos ab* Apostolis *& traditam, per successionis seriem* Episcoporum *& patrum, qui eam acceperint ab* Apostolis, Apostoli *à* Christo, Christus *à* Deo. *Quæ sunt uerba* Tertulliani *in lib. de præscript. hæret.* Apostolos *(inquit)* Domini *habemus autores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent elegerunt, sed acceptam à* Christo *disciplinam fideliter nationibus aßignauerunt.* Ibidem *quoq; dicit, nationibus obuenisse doctrinam per* Apostolos, *& ipsis* Apostolis *per spiritum sanctum.* Et *adhuc ait. Si hæc ita sunt, constat omnem doctrinam, quæ cum illis* Ecclesiis Apostolicis *matricibus & originalibus fidei conspiret, ueritati deputandam, & sine dubio tenentes, quod* Ecclesiæ *ab* Apostolis, Apostoli *à* Christo, Christus *à* Deo *suscepit.* Reliquam *uerò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra ueritatem* Ecclesiarum *&* Apostolorum *&* Christi *&* Dei. Et *adhuc amplius in eodem libro.* Christus *(inquit) duodecim discipulos lateri suo adlegerat, destinatos nationibus magistros, &c.* Hij *in orbem profecti, eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgauerunt, & proinde* Ec-

clesias

clesias apud unamquamque ciuitatem condiderunt. Quibus traducem fidei & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur ut Ecclesiæ fiant, ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputabuntur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur, &c. Et iterum. Quid autem prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hic perscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicãdo, tam uiua (quod aiunt, uoce, quàm per epistolas postea.

Hanc Catholicæ Ecclesiæ unitatem, nolite ô Christiani & Catholici deserere, si nõ uultis separari à Christo, qui huius unitatis est autor, qui ad hoc uenit in mundum & mortem passus est, ut filios Dei, qui erant dispersi congregaret in unũ. Quisquis autem cum illo non colligit, dispergit. Denique non alibi quàm in una Ecclesia, una, inquam & indiuisa Christus potest reperiri, quæ idipsum & credit & confitetur, Quicunq; autem uel se uel alios ab ecclesiastica unitate diuidunt, hi Christo domino nequaquam possunt fœderari. O quàm nepharium & impiũ est, hanc per schismata & hæreses dißipare, & scindere inconsutilem uestem Christi, dispergere Christi gregem, Christi corporis discerpere membrorum unitatem. Hos sanctus Apostolus Iudas denotat dicẽs. Ioan. 11. Luc. 12.

Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. De quibus præmiserat dicens. Nubes sine aqua, quæ à uentis circunferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus sæui maris, despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum. Hi miris artibus seducunt innocentes & incautos. Simulant miram sanctimoniam, fingunt reuelationes, mentiuntur uocationem diuinam, iactitant spiritus diuini impulsum, loquuntur hominibus placentia, promittuntq; libertatem, cum ipsi sint serui corruptionis. Sicut enim solent fures abigendis pecoribus pabulum spargere, sic & isti per benedictiones & dulces sermones, seducunt corda innocentium. Sed Apostolus Paulus nos cautos red-

Rom. 16. dens ac præmonens. Rogo (inquit) uos fratres, ut obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam uos didicistis, faciunt, & declinate ab illis, tenentes per omnia Ecclesiæ Catholicæ unitatem, nec in aliquo fidei & ueritatis hostibus cedentes, quia nihil potest esse cõmune, mendacio & ueritati tenebris & luci.

Eccleſiæ ſancta. Sed ut ad propositam materiam reuertamur. Hanc etiam Ecclesiam credimus esse sanctam. Nã per fidem, & fidei sacramentum, membra Eccle-

1.Cor. 6. siæ sanctificata sunt. Vnde Apostolus in priore epistola ad Corinthios, cũ dixisset iniquos, fornicatores,

tores,idololatras, adulteros, molles, masculorũ concubitores,fures,auaros,ebriosos, maledicos, rapaces,regnũDei nõ possessuros,subiecit dicẽs. Et hæc aliquando quidem fuistis,sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis,in nomine dñi nostri Iesu Christi et in spiritu Dei nostri. Ephe.5.
Et in epist.ad Eph.Viri(inqt)diligite uxores uestras,sicut et Christus dilexit Ecclesiã,& seipsum tradidit pro ea,ut illã sanctificaret, mũdans eã lauacro aquæ, in uerbo uitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam,non habentem maculam aut rugam.aut aliquid huiusmodi,sed sit sancta & immaculata. Quæ tamen posteriora eius uerba,uidelicet ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, nõ habentem maculam aut rugam,si debeant intelligi de hac Ecclesia militante quôd non habeat maculam aut rugam, accipiendum est de criminibus lethalibus,à quibus omnes qui Christiani sunt,& possunt & debent abstinere, opitulante spiritu Christi, qui confirmabit eos usq; in finem sine crimine, in die aduẽtus domini nostri Iesu Christi, uel potius, intelligenda sunt de exhibitione, non in isto seculo,sed futuro facienda. Vnde sanctus Augustinus in libro de nuptijs et coniugio,ad Valentinum cap.34.ait. Per hoc non solùm omnia peccata,sed omnia prorsus hominum mala,Christiani lauacri sanctitate tolluntur, quo mundat Ecclesiam suam Christus,ut exhibeat eam sibi, nõ

in isto seculo, sed futuro, non habentẽ maculã aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Nam qui non eam talem esse dicunt, & tamen in ea sunt, quoniam et ipsi fatentur se habere peccata, si uerum dicatur, profectò quoniam mundi non suut à peccatis, habet in eis Ecclesia *maculam, si autem falsum dicunt, quia corde duplici loquuntur, habet in eis* Ecclesia *rugam. Si autem se dicunt habere ista, nõ ipsam, ergo se non membra eius, nec se ad corpus eius pertinere fateantur, ut etiam sua confeßione damnentur,* Et *in libro contra* Donatistas *post collationem cap. 9. ostẽdit, quod licet una sit* Christi Ecclesia, *eius tamen sint tempora distinguenda.* Nam *post resurrectionem non erit malis pere mixta, sicut est hodie.*

Sanctus Gregorius *lib. 3. moral. cap. 1. de presenti* Ecclesia *hoc modo exponit.* Rugæ *sunt sanctæ* Ecclesiæ, *omnes qui in ea dupliciter uiuunt, qui fidem uocibus clamant, operibus denegant, hi nimirum pacis tempore, quia huius mundi potestatibus eandem fidem honori esse conspiciunt, fideles se esse mentiuntur. Sed cum sanctam* Ecclesiam *subita aduersitatis procella turbauerit, ilico ostendunt quid in perfida mente moliuntur. Has autem rugas in electis suis sancta* Ecclesia *non habet, quia uidelicet nesciunt aliud de se foris ostendere & intus aliud habere.* Vnde *egregius prædicator dicit, ut exhiberet ipse sibi gloriosam* Ecclesiam,

clesiam, non habentem maculam aut rugam. Maculā quippe aut rugā non habet, quæ & turpitudine operis, & duplicitate sermōis caret. hæc ille.

Vel potest non inconueniēter dici, Ecclesiam etiam in præsenti seculo, non habere maculam aut rugam perfidiæ atque infidelitatis, & esse mundam ab omni hæreseos labe. Nam infideles & hæretici quique in Ecclesia non sunt.

Vnde S. Cyprianus in expositionem symboli dicit. Tenet traditio fidei, sanctam Ecclesiam, nō in sanctam Ecclesiam, quemadmodum dictum est. Hi enim qui suprà in unum Deum credere docti sunt sub mysterio Trinitatis, credere etiam hoc debent, unam esse ecclesiam sanctam, in qua una est fides, & unum baptisma, in quo unus Deus creditur pater, ut unus Dominus Iesus Christus filius eius, & unus spiritussanctus. Ista est ergo sancta ecclesia, non habens maculam ac rugam. Multi enim & alij ecclesias congregarunt, ut Marcion, & Valentinus, ut Hebion, ut Manichæus, ut Arrius, & cæteri omnes hæretici. Sed illæ ecclesiæ non sunt sine macula aut ruga perfidiæ. Et ideo dicebat de illis Propheta, Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo. De hac autem Ecclesia, quæ fidem Christi integram seruat, audi quid dicat spiritussanctus in Canticis Canticorum. Vna est columba mea, una & perfecta genetricis suæ. Qui ergo hanc fidem in Ec-

Psal 25.

Cant. 6.

clesia susceperit, non declinet in consilio uanitatis, & cum iniqua gerentibus non introeat. Consilium namque uanitatis est quod Marcion, &c. ubi postquam Marcionis, Hebionis, Manichæi & multorum aliorum hæreses, tanquam consilia uanitatis perstrinxisset, tandem subiecit. Has omnes ergo uelut congregationes malignantium fuge, ab his inquam omnibus, fidelis declinet auditus, sanctam uero Ecclesiam teneat, quæ Deum Patrem omnipotentem, et unigenitum filium eius Iesum Christum dominum nostrum, & spiritum sanctum concordi & consona substantiæ ratione profitetur, filiumque Dei natum ex uirgine, & passum pro salute humana, & resurrexisse à mortuis in eadem carne, qua natus est credit, eundemq; uenturum omnium iudicem sperat, in qua & remißio peccatorum, & carnis resurrectio prædicatur. Hæc ille. Cæterũ quoniam sanctum, in una suarum significationum, idem est quod firmum atq; inuiolatũ, dici potest etiã Ecclesia sancta, id est. firma & inuiolabilis, fundata supra firmam petram, adeò ut ne portæ quidem inferorũ, aduersus eam præualere poßint. Quanquam & sancta recte dicatur, quod sit Deo cõsecrata, sicut sanctum domino dicitur, quod est illi sacrum.

Ecclesia catholica. *Hanc præterea Ecclesiam, credimus & confitemur esse Catholicam seu uniuersalem, per totum mundum dispersam. Appellatur enim Catholica,*

hoc

hoc est, uniuersalis, protendens palmites suos, in quæ libet & loca & tempora, tum præterita, tum præsentia, tum futura, secundum seriem successionis nascentium & decedentium, continuata sub uno duce inuisibili Deo, *in unitate fidei & religionis.* Hæc proinde Ecclesia *non est affixa ulli loco, regioni, genti aut familiæ, dicente* Gal.3. *scriptura.* Non est *distinctio* Iudæi & Græci. Non Rom.2. *est personarum acceptio apud* Deum, *sed in omni gente & loco, qui timet* Deum, *acceptus est* Act.10. *illi.* Hæc Ecclesia *à* Christo *capite suo non diuelli tur, sed semper illi adhæret, & inseparabili glutino spiritus, ueluti legittima sponsa copulatur, ut dominus per* Prophetam *testatur dicens: Sponsabo te mihi in sempiternum & sponsabo te mihi in* Osee.2. *iustitia, & iudicio, & in misericordia & miserationibus, et sponsabo te mihi in fide, & scies qa ego dominus.* Et *in secunda epistola ad* Corinthios 2. Cor. 11. *dicit* Paulus. *Despondi uos uni uiro, uirginem castam exhibere* Christo. *Et suprà ex 5. cap. epist. ad* Ephesios *citatum testimonium comprobat.* Huic *præterea* Ecclesiæ, *dictum & promissum est, ab eo qui fallere nequit sponso eius* Christo. Vobiscum *sum usque ad consummationem seculi, non quæ heri cepit in* Vuiclepho, Husso, Luthero *aut* Velsio. Vocamus *ergo* Ecclesiam *Catholicam, quod ramos & palmites suos, per uniuersam terram extendat.* De *cuius extensione & dila* Matt. vlt.

tione

Isa.54. *tatione dominus per* Esaiam *ait: Lauda sterilis, quæ non paris, decanta laudem & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij desertæ magis, quã eius quæ habebat uirum.* Dilata *locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende.* Ne *parcas.*Longos *fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida.* Ad *dexterã enim et ad læuã penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit.* Et *per* Psalmistam. Postula *à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tu*

Psal.2. *am, & possessionem tuam terminos terræ.* Et *ite*

Psal. 49. *rum:*Deus *(inquit) deorum locutus est, & uocauit terram.* A *solis ortu usque ad occasum, ex* Syon *species decoris eius.* Vide *ibidem* Augustinum.

Matth.24. Vnde *etiam dominus pronunciauit,*Ecclesiam *ab* Hierusalem *incipientem crescere donec perueni*

Luc.24. *at in omnes gentes.*Prædicabitur*(inquit)* Euangelium *regni in uniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc ueniet consummatio.*Et *iterum.*Oportebat Christum *pati, & in nomine eius prædicari pœnitentiam & remißionem pec*

Acto.1. *catorum in omnes gentes, incipientibus ab* Hierusalem.Et *alibi:*Eritis *mihi testes in*Hierusalem, *in* Iudæa & Samaria, *& usq; ad ultimum terræ.*Ex *quibus omnibus consequitur, hæreticos multum errare, qui asserunt totum terrarum orbem errare ac hactenus errasse, & fidem tantũ apud se remãsisse, et à sua parte in quodã terræ angulo esse.*

Hanc

Hanc deniq; Ecclesiam meritò confitemur apo stolicam, in qua sit syncera doctrina Euangelica & Apostolica. Et hæc est præcipua Ecclesiæ nota, iuxta illud. Oues meæ, uocem meam audiunt. Et quod est apud Paulum. Si quis prædicauerit aliud Euangelium, anathema sit. Sed hæc nota nõ statim defendet nos ab hæreticis. Nam & ipsi iactant apud se solos esse Christi fidem, ueram & apostolicam doctrinam, rectum sacramentorum usum, sed falsò. Sed Catholica Ecclesia fundata est & superstructa siue superædificata super fundamentum Apostolorũ & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Nam Apostolorum et Prophetarum doctrina membra Ecclesiæ sunt imbuti. Quod enim Apostoli prædicauerũt, prophetæ prædixerunt futurum.

Ecclesia Apostolica.

Ioan. 10.

Gal. 1.

Ephe. 2.

Et quid esse superædificatam super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, & esse superædificatam super ipsum Christum, ideo adiunxit Apostolus. Ipso summo angulari lapide Christo Iesu, ut ostendat præter Apostolos et Prophetas, Christum esse principalem, qui cuncta complectitur. Christo enim tanquam primo fundamẽto totum Ecclesiæ nititur ædificium, & compages hæc tota, ut nusquam cadat, incumbit.

Sola Catholica Ecclesia habet synceram Catholicam & Apostolicam doctrinam. Habet autem omnem doctrinam Apostolicam, tam scripturis

contentam, quam Traditionibus sanctis commendatam, prout Apostolus iubet, 2. Thessalo. 2. & quæ succedit ijsdem dogmatibus, ijsdem Sacramentis, eadem episcoporum & ecclesiarum serie, ecclesiæ illi, quæ sub apostolis & eorum discipulis, alijsq; apostolicis patribus à Deo plantata est, quemadmodum superius ex Irenæo & Tertullia no docuimus, in qua floruere martyres, uixerunt sanctißimi confessores, triumpharunt sacræ uirgines, in qua gloriabantur se esse sanctißimi doctores, & sunt & fuerunt omnia munera gratiarum, graduum, officiorum atq; donorum, quæ spiritus sanctus impartitur prout uult. Nã spiritus sanctus non alibi residere credendus est, quã apud
Ioan. 20. hanc Catholicam & Apostolicam ecclesiam, in qua etiam remittit peccata, cui & dixit. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Hic etiam spiritus copulat & sociat, omnia ecclesiæ membra, non secundum corporalem congregationẽ, in unam patriam, prouinciam regionem, sed secundum spiritualem copulam, in uno fidei sacramento, in una professione, in uno grege, in uno ouili, sub uno pastore, sub una cathedra.

Hæ sunt ergo ueræ ecclesiæ, ueræ notæ, quæ quæ reddunt illam adeò perspicuam & manifestam: ut quilibet ad eam poßit in dubijs recurrere, et ab illa lumen intelligẽtiæ mutuari. Nã notæ

illæ

illæ, quas aduersarij suis conuenticulis falsò so-lent asscribere, nimirum habere Christi doctri-nam, & hanc puram, sacramenta & rectum eo-rum usum, quanquàm ecclesiæ propriæ sint, non sunt tamen adeò claræ, & sufficientes ad ueram Ecclesiam *demonstrandam, ut per eas poßit nec exercitatißimus ueram* Ecclesiam *ab adulteri-nis conuenticulis hæreticorum, qui has notas sibi tribuunt, secernere.*

Sed iam uideamus quid Velsius *de* Ecclesia *sen-tiat.* Admittit *itaq; hanc diuisionem* Ecclesiæ, *in triumphantem & militantem, sed militantem ec-clesiam secat in duas, quarum una ex solis bonis electis & prædestinatis constet, altera quæ uisi-bilis in terris statuitur, in qua tam boni, quam mali sint.* Priorem *illam* Ecclesiam, *quam ex solis bonis constituit, dicit esse inuisibilem, cælestem, internam, illiusq; membra dicit esse, qui licet in terris adhuc agant, eorum tamen conuersatio est in cœlis, quiq; deinceps eiusmodi futuri sunt in spe.* Hanc *ecclesiam dicit suo pòst tempore, ubi primum cœlum, & prima terra, ut inquit* Ioan-*nes, præterierit, & mare non amplius fuerit, in specie reuelandam.* Hanc *dicit corporeis oculis inuisibilem esse, fidei tantum & mentis conspici posse.* Non *hanc, sed in hanc credendum esse uult.* Huic o. nia tribuit, *quæ nos* Ecclesiæ Catholicæ *uisibili tribuimus, & falsò asserit huc nos omnem*

Ecclesia Velsij.

Phil. 3.

Apoc. 21.

Christi

Christi doctrinam uocare, neq; aliam in symbolis tum Apostolorum, tum sanctorum patrum seu Niceno *expreßam, &c. Sed cum declaratum sit illam talem* Ecclesiam, *soli* Deo *cognitam esse, et oportere constituere in terris uisibilem* Ecclesiam, *quæ bonos & malos complectatur, imò solos bonos esse non posse nisi in cœlo, & solos malos nusquam esse posse, nisi in inferno, hanc autem* Ecclesiam *militantem comprehendere bonos & malos, euidens esse existimo, talem* Velsii Ecclesiam *non esse* Catholicam *&* Apostolicam, *præcipuè cum oporteat* Ecclesiam *in terris esse uisibilem:* Corruit *ergo ecclesia* Velsiana, *cum omnibus quæ illi adfingit* Velsius. *Sed & in* Concilio Constantiensi *seßione 15. hij articuli* Ioannes Hus *condemnati leguntur.* Vnica *est sancta uniuersalis* Ecclesia, *quæ est prædestinatorum uniuersitas.* Vniuersalis *sancta* Ecclesia, *tantum est una, sicut tantum est numerus unus omnium prædestinatorum.* Præsciti *non sunt partes* Ecclesiæ, *cum nulla pars eius ab ea finaliter excidet, eo quod prædistinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidit præscitus etsi aliquando sit in gratia secundum præsentem iustitiam, tamen nunquam est pars sanctæ* Ecclesiæ, *& prædestinatus semper manet membrum* Ecclesiæ, *licet aliquando excidat à gratia aduentitia, sed non à gratia prædestinationis.* Itaq; *præter internam illam inuisibilem & cœlestem*

ſtem Eccleſiam, quam docuimus nec etiam eſſe in terris poßibilem, aliam agnoſcit & cõfitetur externam Eccleſiam in terris uiſibilem, ſed quæ tum una, tum plures cenſeri queat. Vna, quatenus unitate puritatis doctrinæ, cum recto ſecundùm Chriſti inſtitutionem ac Apoſtolorum traditionem, ſacramentorum uſu coniuncta, ubicunq; terrarũ diffuſa fuerit, retinẽda, ſeruare ſtudeat unitatem ſpiritus in uinculo pacis. Plures uerò, quatenus quælibet ſub proprijs hierarchis ſeu epiſcopis degat. Et in hac, tum una, tum pluribus, tam malos quàm bonos inueniri. Sed etiam ſuperiùs oſtendimus, eſſe quidem has notas eccleſiæ proprias, ſed non adeò claras & ſufficientes ad ueram eccleſiam demonſtrandam.

Quod autem eandem uocat unam uel plures, parum obeſt, modò plures particulares eccleſiæ, ſub proprijs hierarchis ſeu epiſcopis conſtitutæ, uinculum unitatis teneant ſub uno hierarchico eccleſiæ uniuerſalis capite Romano pontifice. Nam ex pluribus particularibus eccleſijs, uinculo unitatis eccleſiaſticæ cohærentibus, ſub obedientia unius capitis, conſtituitur eccleſia catholica et apoſtolica. Quæ dicitur una, ratione iam dicta, & tamen nihilominus ſecatur in plures, propter diuerſas particulares eccleſias. Proprie tamen eccleſia catholica dicitur una.

Secundò an credat Christum inde ab initiò, apud sanctam suam Ecclesiam perpetuò fuisse, eamq; suo spiritu semper rexisse, recturum deinceps vsque ad consummationem seculi.



Vic interrogationi Christus ipse fidem facit dicẽs apud Matthæum ca. ult. Ecce ego uobiscum sum, omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Supra quoque diximus Ecclesiam à Christo capite suo non diuelli, sed semper illi adhærere, & inseparabili glutino spiritus, ueluti legittimam sponsam copulari. Est enim Christus sponsus Ecclesiæ, quam sibi desponsauit, Osee. 2. 2. Cor. 11, & ad Ephes. 5.

Huc facit etiam testimonium citatum à Velsio ex Psalmo. 45. sed male attributum duntaxat inuisibili illi Ecclesiæ, quæ non est catholica & Apostolica sed asscribendum uisibili in terris Catholicæ Ecclesiæ fluminis (inquit) impetus, lætificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum altißimus Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam Deus mane diluculo.

Porrò quòd eam semper spiritu suo rexerit, & perpetuò, nimirum usq; ad consummationem seculi

ſeculi recturus ſit, ipſe quoq; Chriſtus in nouißi- Ioan.14.
ma cœna, euidenter declarauit dicens: Ego roga-
bo patrem, & alium paraclêtum dabit uobis, ut
maneat uobiſcũ in æternũ, ſpiritum ueritatis, quẽ
mundus non poteſt accipere, quia non uidet eũ,
nec ſcit eum. Vos autem *cognoſcetis eum, quia a-*
pud uos manebit, & in uobis erit. Hic audis Chri
ſtum apud eccleſiam ſuam manſurum, uſq; ad con
ſummationem ſeculi, & ſpiritum ſanctum, quem
pater rogatus à Chriſto, dedit, manſurum cum ea
in æternum. Si quæris quam ob cauſam? Audi ite- Ibidem.
rum dicentem dominum. Paraclêtus *(inquit) ſpiri*
tus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille Ioan.15.
uos docebit omnia, & ſuggeret uobis omnia, quæ
cunq; dixero uobis. Et *iterum: Cum uenerit para*
clêtus, quem ego mittam uobis à patre, ſpiritum Ioan 16.
ueritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium
perhibebit de me. Et *iterum:* Adhuc *multa habeo*
uobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Cum
uenerit ille ſpiritus ueritatis, docebit uos omnem
ueritatẽ. Audis *hic quomodo Chriſtus rediturus*
ex hoc mundo ad patrem, ne deſtituta & deſola-
ta maneret eccleſia, non ſolum apoſtolis (quos nõ
ita multo pôſt tempore morituros nouerat) ſed
ſucceßioni eorum, non ſolùm ſui præſentiam, ſed
etiam ſpiritus ſancti magiſteriũ, quod in ea per-
petuò dicit manſurum, Pro *qua re orauit idem* Ioan. 17.
Chriſtus ad patrem, non pro Apoſtolis *tantùm,*

ſed etiam pro eis, qui credituri erat per uerbum eorum in ipſum, quatenus in unitate manerent, et nunquam à ueritate ſeparentur. Vnde Tertulianus lib. de Trinit. *uerſans illud* 2. Cor. 4. *Habentes eundem ſpiritum fidei, ait. Vnus ergo & idem ſpiritus, qui in Prophetis & in Apoſtolis fuit, niſi quia ibi ad momentum, hic ut ſemper maneret, ibi mediocriter diſtributus, hic totus effuſus, ibi parcè dat, hic largè, nec tamen ante reſurrectionem domini exhibitus, ſed poſt reſurrectionem Chriſti contributus.* Rogabo (inquit Chriſtus) Patrem, &c. *Et poſtquam paulò pôſt, mirabiles ſpirituſſancti effectus poſuiſſet, ſubiunxit.* Hic eſt qui Prophetas in eccleſia conſtituit, magiſtros erudit, linguas dirigit, uirtutes & ſanitates facit, opera mirabilia gerit, diſcretionem ſpirituum porrigit, gubernationes contribuit, cõſilia ſuggerit, & quæcunq; ſunt alia chariſmatum dona, componit. Et ideo eccleſiam domini undique in omnibus perfectam & conſummatam facit. *Porrò Velſius fatetur Chriſtum inde iam ab origine mundi Eccleſiæ ſuæ inuiſibili iuternæ & cœleſti, ſemper præſentem fuiſſe, ſed eſſe & fore. Verùm cum Eccceleſiam illam inuiſibilem internam ex ſolis prædeſtinatis & electis conſtitutam, oſtenderimus non eſſe catholicam & Apoſtolicã, de ea non loquitur interrogatoriũ, ſed de uiſibili, de qua ita ſentit Velſius, ut dicat huic ſcilicet*

uiſibili

uisibili Ecclesiæ*(siue unam eam, siue plures sta=tuamus, in qua boni & mali inueniuntur) non perinde adesse, quòd non omnia eius membra, spiritus ipsius ac peculiaris illius gratiæ (quæ eo rum est tantùm, qui eiusmodi sunt, cuiusmodi no=bis* Iudæum *describit* Paulus *cum inquit.* Non e=*nim is qui in manifesto* Iudæus, Iudæus *est, nec* Rom.2.
quæ in manifesto in carne circumcisio, circumci=sio est, sed qui in occulto Iudæus, Iudæus *est, & circumcisio cordis, circumcisio est, quæ spiritu constat non litera, cuius laus non ex hominibus est, sed ex* Deo*) participia reddantur, non ob ipsi=us aliquam (qui omnipotens est) imbecillitatem, infirmitatemq́; , sed eorum potius culpa, qui hu=iusmodi beneficium à se excludunt, quod (ut in* Sap.1.
Salomonis sapientia habetur, in maleficam animã non introbit sapientia, neq; habitabit in corpore, quod peccato obnoxium fuerit. Nam *sanctus di=sciplinæ spiritus fugiet dolum, & resiliet à co=gitationibus insipientibus, & superueniente in iustitia repelletur, nec firmiter & immobiliter per se ei adsit (dicit autem per se, quod non qua=tenus externa est & uisibilis, sed quatenus inui=sibilis illius membra, ipsi sunt coniuncta, illi per aliud sic & immobiliter adsit) cum* Christus *mi=netur, se totas etiam* Ecclesias *loco moturum, id est, à se repulsurum ac deserturũ, nisi recipiscant. Atque hinc adeò in medio earum, quæ candela=*

bris adumbrantur, ambulare, non sedere dicatur, ut hinc intelligamus, nulli orbis terrarum loco ipsum peculiariter (quod tamen Antichristiani Sophistæ uolunt) addictum, affixumq; esse. Hæc *sunt uerba & rationes, quibus probare nititur, apud externam & uisibilem in terris* Ecclesiam *(quam suprà docuimus esse unam sanctam* Catho*licam &* Apo*stolicam, in qua sint boni & mali) non perindè adesse* Christum*, atque apud illam inuisibilem internam & confictam ac excogitatã* Ecclesiam *ex solis electis prædestinatis coaptatam.* Quia *(inquit) non omnia ipsius membra, spiritus ipsius ac peculiaris illius gratiæ, participia reddantur, quod in maleficam animã non introibit sapientia, neque habitabit in corpore, quod peccato obnoxium fuerit.* Si *intelligit* Velsius *nõ omnia mẽbra* Ecclesiæ *esse participia peculiaris gratiæ, nimirum gratumfacientis, libenter ei hoc donamus, quia non omnia membra eius sunt uiua membra, sed quædam aut languida, aut putrida, aut mortua, aut arida, uti suprà dictum est, quæ tamen capacia denuo sunt uitæ spiritualis, & denuo participia reddi peculiaris illius gratiæ ac spiritus ipsius.* Quæ *quamdiu non sunt participia gratiæ, non habent* Christum *præsentem, per inhabitationem gratiæ, sunt tamẽ adhuc membra* Ecclesiæ*, per unam profeßionem fidei, & communem sacramentorum societatem, colligantia quæ-*


tia quadam, secundùm unitatem professionis, & uisibilem quandam Christianæ fidei formam, uiuis membris cohærentia. Nihilominus tamen loquendo de gratia gratis data, participia sunt gratiæ, & donorum spiritussancti, de quibus Apostolus agit in primo epist. ad Corinthios cap. 12. cũ etiam dominus dicat Matt. 7: Multi dicent mihi in illa die, Domine domine nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis, quia nunquàm noui uos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Verùm de illa gratia, non loquitur Velsius, sed de priore illa iustificante & gratum faciẽte, quæ illorum duntaxat est, qui iusti & sancti sunt, qui habent conuersationem suam in cœlis, qui sunt membra Ecclesiæ Velsianæ occultæ inuisibilis & internæ, quia eorum est tantùm (inquit) qui eiusmodi nobis Iudæum describit Paulus Rom. 2. qui scilicet non in manifesto, sed in occulto Iudæus est. Sed ualeat Velsius cum suis occultis membris, inuisibilis Ecclesiæ, quam frequenter diximus non esse Catholicam & Apostolicam. Nos præsentem Christum Ecclesiæ uisibili non idcirco dicimus, quòd singula membra eius gratia gratum faciente uiuificet, cum in ea multi sint mali, non ob Dei omnipotentis aliquam imbecillitatem infirmitatemq́; , sed sua ipsorum potiùs propria

culpa, qui huiusmodi beneficium prorsus à se excludunt, sed hāc præsentiam eius potißimum metimur ac constituimus in doctrina fidei, & magisterio spiritussancti; quemadmodum circa tertium interrogatorium dicemus.

Deinde quod dicit per se quatenus est externa & uisibilis, nec firmiter nec immobiliter ei adesse, sed quatenus inuisibilis illius membra, ipsi sunt coniuncta, illi per aliud sic & immobiliter adsit, quid sibi uelit non obscurum uidetur. Nam si ita intellectum uelit, ut dicat externæ & uisibili ecclesiæ non adesse per se Christum firmiter & immobiliter, sed per aliud, quatenus scilicet membra illius inuisibilis ecclesiæ, ipsi uisibili ecclesiæ sunt coniuncta, nihil aliud dicit, quam propter bonos solos (unde ipse Ecclesiam suā internam illam & inuisibilem cōstituit) Christum adesse externæ & uisibili ecclesiæ, quæ bonos & malos cō plectitur, & cum dicat malos participes nō reddi spiritus ac peculiaris illius gratiæ, concludit huic uisibili Ecclesiæ, Christū non adesse. Sed nos non aliam agnoscimus sanctam catholicam ecclesiam, quàm suprà descripsimus, & suis notis depinximus, quæ uisibiliter in terris consistens, complectitur bonos & malos, quam Christus propter malos quantum ad ueritatem dogmatum attinet, nunquam deseruit, nec deseret unquam.

Deniq; quod dicit ex Apocalypsi Christū minari

nari, se totas etiam ecclesias loco moturum, id est, à se repulsurum ac deserturum, nisi resipiscant, atq; hinc adeò in medio earum, quæ candelabris adumbrantur, ambulare, non sedere dicatur, nihil contra nos facit omnino: Nam illæ erant particulares ecclesiæ, quas Christus tandem propter Christianorum scelera & peccata, reiecisse uideatur, quòd illæ, quemadmodum & infinitæ propemodum aliarum prouinciarum particulares ecclesiæ, desertæ sunt à Deo, & tyrãnidi infidelium derelictæ. Nobis autem sermo est de ecclesia catholica, hoc est, uniuersali, per totum mundum dispersa quæ nulli (ut superius dictum est) loco, regioni, genti, aut familiæ est affixa. Vnde nec ulli orbis terrarum loco, Christum peculiariter dicimus addictum affixumq; esse, quamuis calumniosè ueterator Velsius hoc nobis Antichristianis (ut ipse non sobriè Christianus loquitur) sophistis asscribat, sed dicimus Christum uniuersali ecclesiæ per uniuersum mundum dispersæ adesse tã firmiter & immobiliter, ut eam deserere nequeat, cui sui præsentiam, & spiritussancti magisterium pollicitus est, & cum ueritas sit, quæ mentiri aut fallere nequeat, utiq; exhibuit quod promisit. Quàm ridiculum autem est quod pro se rapit ac torquet illud Apocalypseos, quòd Christus dicatur in medio candelabrorum ambulare, non sedere, cum illa Christi deambulatio nihil aliud si-



gnificet, quàm quod in medio hominum digrediens, corda singulorum & renes inuestiget, quemadmodum in eodem cap. angelo Thiatiræ ecclesiæ dicit. Scient omnes ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & corda, & dabo unicuiq; uestrum, secundùm opera sua. Cum ergo in medio candelabrorum, id est, ecclesiarum ambulat, lumen singulorum intuetur quantùm luceat, ne forte, sine oleo charitatis, sine operibus dilectionis. Fumiget fides mortuorum. Nam ubi tale quid inuenerit, dicit. Habeo aduersus te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Vel idcirco dicitur in medio earum ambulare, quia tales non sunt ut possit in eis requiescere.

Tertiò an credat apud hanc Ecclesiam semper fuisse ac fore dogmatum ad salutem necessariorum veritatem.



NON ociosum est in Ecclesia Catholica spiritussancti magisterium diuina pollicitatione (uti dictũ est) ei promissum et exhibitum, non ad horam tantùm, sed quod usq; in finem seculi cum ea sit permansurũ, non per interualla temporũ, sed perpetua atq; cõtinua successione. Ad hoc enim in Ecclesia spiritus

tus ille sacer perpetuo residet, ut in reb' dubijs & controuersis, claram ueritatis lucẽ exhiberet, sanctorũ doctorũ corda secretis inspirationibus illustrando, & per eos Ecclesiã suam, in cunctis, quæ ad fidei necessitatẽ attinent, erudiendo. Quo fit, ut propter perpetuã huius spiritus præsentiam Ecclesia *apud* Paulũ, *columna dicatur, & firmamentũ ueritatis, nimirũ quod hoc spiritu ueritatis tam solidè fulciatur, ut nequeat in errores aliquos impingens diutius hærere aut perseuerare.* 1. Tim. 3.
Aequũ *enim erat, ut* Apostolis *iam è medio sublatis spiritus sanctus* Ecclesiam *per uiros* Apostolicos *deinceps edoceret, in cunctis quæ necessaria forent ad salutẽ æternã consequendam, ac quiduis potius ageret, quã ut diutius in rebus uehementer ambiguis ipsa fluctuaret.* Nam Apostolis *successerunt pastores et doctores, de quibus* Paulus *ait.* Christus *dedit quosdã quidẽ* Apostolos *(quorum ipse unus erat) quosdã autẽ* Prophetas *(qualem in* Actibus Apostolorũ *legimus* Agabum) *alios uerò* Euangelistas, *alios autẽ pastores & doctores, (qui* Tractatores *nunc appellantur, quos idem* Apostolus *etiam* Prophetas *interdum nuncupat, quod per eos* Prophetarũ *mysteria populis aperiantur) ad consummationẽ sanctorũ, in opus ministerij, in ædificationem corporis* Christi, *donec occurramus omnes in unitatẽ fidei, & agnitionis filij* Dei, *in uirũ perfectum, in mensurã ætatis plenitu-* Ephe. 4.

nitudinis Christi, ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni uento doctrinæ, in nequitia hominũ, in astutiã, ad circũuentionem erroris. Nonne disertis uerbis dicit Apostolus, hosce pastores & doctores esse institutos in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi? Porrò ad quod aliud opus ædificationis Ecclesiæ, quã ut Christi fidelibus uerba salutis administrent, & Ecclesiã Christi uerbo spiritus ædificent? Cum autem dicit: Donec occurramus omnes, &c. Demõstrat institutũ istud, non solũ ad Apostolorũ tempora spectare, uerũetiam ad finẽ usq; seculi perduraturũ, nimirũ donec occurramus omnes, &c. Quod erit in consummatione seculi. Vis autẽ scire, quis sit scopus huius instituti, quem prospexit Christus hæc instituens? Vt iam (inquit) non simus paruuli fluctuantes, & circũferamur omni uento doctrinæ, &c. Huius nimirũ rei gratia, pastores & doctores cæteriq; ministri dati sunt Ecclesiæ, & usq; in finẽ mundi dabuntur, ne fideles sint sicut paruuli fluctuantes, & circũferantur omni uento doctrinæ leuißimorũ hæreticorũ (qui sicut paleæ leues à frumento, ita ex horreo Ecclesiæ euolant ac disperguntur) sed potius per prædicationẽ catholicorũ doctorum, in sana doctrina & fide orthodoxa contineantur stabiles. Non est ergo quod quisquam dicat magisteriũ spiritussancti, quod Christus Ecclesiæ promisit, ad Aposto-

los

los duntaxat, quibus Christus loquebatur, pertinere, & non ad successores eorum usq; ad mundi consummationē, cum Paulus dicat istud institutū permansurū in Ecclesia, usq; ad seculi finem. Est quidem Apostolis (qui aderant) ista loquutus & pollicitus, sed non illis solū, qui tū præsentes erāt, uerumetiam alijs absentibus, credituris tamen in Christū per uerbū Apostolorū, pro quibus etiam Christus rogauit patrē, quibus & si corporaliter ista uerba non fuerit loquutus, nihilominus tamē promißionē hanc exhibuit, & exhibebit post futuris, usq; ad finē seculi. Paulus siquidē tunc non aderat, quippe qui nondū fuerat conuersus, & tamen is in epistola ad Timotheū dicit. Spiritus manifestè dicit, quia in nouißimis tēporibus, discedēt quidā à fide, &c. Non solū itaq; propter Apostolos (qui tū præsentes erant, sed propter totam catholicam ecclesiam, quandiu militat hic in terris, pollicitationes hās à Christo fuisse Apostolis factas, perspicuum est. Porrò quam uigilanti studio, & quam paterna sollicitudine, Ecclesiæ suæ erudiendæ, nullo non tempore, doctores, quasi operarios uineæ suæ, destinando intēdat, & quod hactenus fecit ab initio mundi, & idipsum facturus sit, usq; ad finē mundi, ipse Christus in Euangelio apud Matthæum pulcherrima parabola declarauit dicens. Simile est regnum cœlorum homini patrifamiliâs, qui exijt primo mane conducere

1. Tim. 4.

Matt. 20.

cere operarios in uineam suam, &c. Quam exponens S. Gregorius, per patremfamilias, intelligit Deum patrem, qui habet uineam, uniuersam scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel iusto usq; ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Hic ergo paterfamiliâs ad excolendam uineam suam, mane hora tertia, sexta, nona & undecima operarios conducit, quia à mũdi initio usq; ad finẽ, ad erudiẽdam plebẽ fideliũ, prædicatores cõgregare non destitit. Mane etenim mundi fuit, ab Adam usque ad Noë. Hora uero tertia, à Noë usque ad Abraham. Sexta quoq;, ab Abrahã usque ad Moysen. Nona autem, à Moyse usque ad aduentum domini. Vndecima uerò ab aduentu domini, usque ad finẽ mundi, in qua prædicatores sancti Apostoli missi sunt. Ad erudiendam ergo dominus plebem suam, quasi ad excolendam uineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere, quia & prius per patres, & postmodum per legis doctores et prophetas, ad extremum uerò per Apostolos, dũ plebis suæ mores excoluit, quasi per operarios in uineæ suæ cultura laborauit. Itaque Apostolis domini successerunt alij pastores & doctores orthodoxi, quorũ linguis ad hæresium extirpationem, & ad plenam Ecclesiæ super rebus dubijs instructionem hactenus usus spiritus sanctus, & utetur semper. Cum enim nunquam in

Ecclesia

Ecclesia fuerit otiosus spiritussanctus, p aliquos necessum est Ecclesiam suam erudierit. Neq; enim sermo eius palam cunctis innotuit, sed aliorũ linguis ad instruendam Ecclesiam usus est, quemadmodum & de Deo patre Paulus ad Hebræos scribit, quod olim maioribus nostris loquutus fuerit multifariè multisq́; modis per Prophetas. Filium autem eius identidem per Apostolos suos, totum orbem docuisse compertissimum est. Euntes (inquit) docete omnes gentes. Itaque tertio loco par fuit spiritum sanctum per Catholicos & Ortodoxos doctores ac patres (Apostolis iam è medio sublatis) Ecclesiam in omnibus quæ ad salutẽ necessaria forent, edocere. Et quanquam ipsius sanctissimæ Trinitatis opera sint indiuisa, patris nimirum & filij & spiritussancti, scriptura tamen horum cuiq; suum & quasi peculiare tempus ob erudiendam Ecclesiam tribuit. Non quod ipsius S. Trinitatis opera sint diuisa, sed quod singulis horum suum tempus in scripturis accommodetur, quanquam & indiuisim omnes semper operati sint. Nam etiam tunc, quando patri negotiũ tribuitur erudiendæ plebis per Prophetas, etiam spiritussanctus eosdem inspirauit, quemadmodum S. Petrus testatur, dicẽs. Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Quod si tunc in Prophetis locutus est spiritussanctus, quum nondum adhuc erat datus, quantò magis hoc suo tempore, quum

Heb. 1.

Matt. vlt.

2. Pet. 1.

quum iam peculiariter sit in hoc negotium missus; per pontifices & doctores, credendus est esse loquutus? Id quod uel ex ipso Christo patet, qui
Matt.18. *non ad solos Apostolos dixit.* Non uos estis qui *loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis.* Quod uerbum S. Augustinus exponens. *Si in eis (inquit) loquitur spiritussanctus, qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non & in eis, qui tradunt discentibus Christum?* Per hosce *ergo spiritussanctus* Ecclesiam *suam semper edocuit, & cum sit spiritus ueritatis, & doceat omnem ueritatem, necesse est credere apud eam semper fuisse ac fore, dogmatum ad salutem necessariorum ueritatem. Superius quoq; citatum testimonium* Osee Prophetæ *cap. 2. abunde testatur, perpetuum doctrinæ magisterium.* Ecclesiæ *adesse, quod iugi & minime interrupto tenore duraturum sit. Sponsabo te mihi (inquit) in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, et in misericordia & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide.* Hic *audis perpetuorum sponsaliorum diuinam pactionem cum* Ecclesia, *quam* Apo*stolus in literali sensu, de uera* Ecclesia *intelligit.* Vides *ne hic iudicij, iustitiæ, misericordiæ, & fidei perpetuam promissionem, quæ nunquam deerit?* Perpetuæ *igitur illius sunt dotes, spiritussancti magisterium, iudicium, iustitia, fides atque autoritas.* Bonus *enim sponsus & liberalis, omnia*

suæ

suæ dilectæ spõsæ cõmunicat, quorũ scit spõsam suã necesse habere, & quibus poßit & nobilitari & condecorari. Eget autem permaximè lumine intelligentiæ sanctarum Scripturarũ & ueritate dogmatũ. Nam cum necesse sit, ut in ea sint scandala, & oporteat in ea hæreses suscitari, ut qui probati sunt, manifesti fiant, opus habet ut perficiat imperfectos, simplices imbuat, hæreses coarguat, & proficientes ad finem destinatum perducat per lumen intelligentiæ sacrarum literarum, & dogmatum ueritatẽ. Possumus adhuc ex diuinis oraculis alias magnificas, & absq; ulla conditione promißiones, de doctrina fidei & ueritate dogmatum, eidem factas, in mediũ producere. Psalmus 88. qui statum ueri Meßiæ redemptoris nostri & Ecclesiæ eius ad literam describit, hanc Dei habet ad membra Ecclesiæ pollicitationẽ. Domine in lumine uultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabũt tota die, quoniam gloria uirtutis eorũ tu es, quia Domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri. Si autẽ (inquit Deus) dereliquerint filij eius legem meam, & mandata mea nõ custodierint, uisitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum, misericordiam autem meam nõ dispergam ab eo, neq; nocebo in ueritate mea. Ecce hîc audis luminis intelligẽtiæ & misericordiæ diuinæ ad Ecclesiam repromißionẽ, à bona aut

mala uita minimè depēdentem. Ea quæ habētur apud Esaiam.cap.54.à Principio usq; ad finem proculdubio de Ecclesia intelligenda esse Sāctus Paulus in epist.ad Galatas ca.4.declarat, qui de Ecclesia Christi in sensu literali accipit, quod ibi dem dicitur. Lætare sterilis, &c. Videamus iam quæ de Ecclesiæ statu futuro prædixerit Esaias: Montes (inquit) cōmouebuntur, & colles contre miscent, misericordia autē mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ nō mouebitur, dixit misera tor tuus dominus. En fœdus unionis & pacis Ecclesiæ cum Deo spōso suo. Et post pauca: Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in saphyris. Et ponam iaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Vniuersos filios tuos doctos à domino, & multitudinem pacis filijs tuis, & in iustitia fundaberis. Quid clarius dici poterat? Vniuersos filios tuos (inquit) doctos à Domino. Et post pauca. Omne uas quod fictum est contra te non dirigetur, & omnē linguam resistentem tibi, in iudicio iudicabis. Hæc est hæreditas seruorum Domini; & iustitia eorum apud me, dicit Dominus. Hic habes iudicij autoritatem & magisterium in Dei Ecclesia, aduersus omnes impugnatores ueritatis, & quotquot obdurato animo illi repugnant.

Rursus cap.59. cū hac eadem Ecclesia & mēbris

bris eius loquẽs, hoc modo Deus paciſcitur. Et timebunt qui ab occidente nomẽ domini, & qui ab ortu ſolis gloriã eius. Cùm uenerit quaſi fluuius uiolẽtus, quem ſpiritus domini cogit, & uenerit Sion redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob dicit dominus. Hoc fœdus meũ cum eis, dicit dominus. Spiritus me⁹ q eſt in te, & uerba mea quæ poſui in ore tuo, nõ recedẽt de ore tuo, & de ore ſeminis tui dicit domin⁹, amodò & uſque in ſempiternum. Videtis ne clarũ diuinæ doctrinæ magiſterium ab Eccleſia nunq̃ defuturũ, ſed iugi & minimè interrupto tenore duraturũ. Sed iam tempus eſt ut aperiamus quid Velſius ad hoc interrogatorium reſpõdeat. Et quidẽ apud Eccleſiam ſuam, cœleſtem, internam, quæ corporis oculis inuiſibilis eſt, fidei tantùm & mentis conſpici poteſt, credit ſemper fuiſſe ac fore, dogmatum ad ſalutẽ neceſſariorum ueritatẽ, propter perpetuam Chriſti, eiuſq; ſpiritus, qui ducit in omnem ueritatem, in ea præſentiam. Sed quid de illa inuiſibili Eccleſia ſentiẽdum ſit, ſuperiùs ex ſcripturis et patribus declaratũ eſt, ut nõ ſit neceſſum eadẽ denuo inculcare. De externa autem & uiſibili, non ita promptè poſſe conſtitui, ait, quomodo hîc ſe res habeat, ut qui non benè inſpecta re & animaduerſa, ſæpeq; & multùm cogitata, temerè aliquid pronunciare & definire audeat, non poßit nõ impingere. Et poſt- Ioan.16.

q multis uerbis inuectus est, cõtra Antichristianos sophistas, inquisitores (nam suauis ille & benignus Propheticus spiritus non sinit eum aliter loqui) tandẽ, quid de externa & uisibili Ecclesia sentiendũ putet, in medium profert. Quoniã internæ illius & inuisibilis (inquit) Ecclesiæ mẽbra, ij nimirum, qui licet in terris adhuc agant, eorum tamen cõuersatio est in cœlis, externæ huic & in terris uisibilili, siue unam quis eam, siue plures statuat (nihil interest) admixta secundùm externam sunt conuersationem seu Politiam, seu Hierarchiam dicere mauis, eam etiam ob causam censemus, quod de Christo in præcedenti dictum est, idem etiam de sacrorum dogmatum ad salutem necessariorum ueritate statuendũ, quod nimirum p hæc, seu horum occasione, ut Christus & spiritus ueritatis, quem mundus nõ potest capere, quia nõ uidit eũ, nec nouit eũ, ipsi etiã externæ semp adfuit Ecclesiæ, et adfuturus est, ita, & dogmatũ de quibus hic agitur, ueritas. Hactenus Velsius. Quibus uerbis fatetur quidem externæ & uisibili Ecclesiæ semp adfuisse & adfuturam sacrorum dogmatum ad salutem necessariorum ueritatem, propter membra, seu occasione membrorum inuisibilis Ecclesiæ. quæ externæ et in terris uisibili admixta sunt secũdùm externũ conuersationem. Sed Christus cum Apostolis & eorum successorib⁹ polliceretur sui præsentiam

usq;

usq; ad consummationem seculi, & similiter spiritus sancti magisterium, perpetuò in Ecclesia futurum, propter quod Ecclesia errare nō posset in decidendis controuersiis, in rebus fidei, seu dubijs in sacra Scriptura occurrentibus, non discreuit inter bonos & malos, neq; dixit propter bonos & electos meos, mittam uobis spiritum sanctum, sed in genere locutus est Apostolis (inter quos tūc adhuc erat Iudas Domini traditor, qui domini traditionem iā obstinata mente conceperat) & eorum successoribus. Ille (inquit) docebit uos omnia. Et docebit uos omnem ueritatem. Quod si dixerit Velsius locum ab autoritate negatiuè non ualere, proferat ipse scripturas, quibus comprobet externæ & uisibili Ecclesiæ, quam dicimus Catholicā & Apostolicā, dogmatum, ad salutē necessariorum adesse ueritatem, propter membra, seu occasione membrorū inuisibilis Ecclesiæ. Nō enim propter mēbra inuisibilis Ecclesiæ (quæ Catholica non est, nec esse potest) sed ueritatē Dei pollicētis, qui quum fidelis sit in promissis, & mētiri ac fallere nequeat, exhibet & exhibebit Ecclesiæ suæ quod promisit.

Deinde quoniā hæc membra per totū orbem sunt dispersa non uult ea Velsius ad unā aliquam particularē Ecclesiā, utpote Romanā, Ephesinā, Antiochenam, aut aliā quamcūq; secundū externam prædictam cōuersationē, ptinere, nec huius

aut illius necessariò esse gentis seu natiōis, cū ut
Act.10. Diuus Petrus, *in concione sua, in domo Cornelij Cēturionis habita, reuerà cōperisse se dicat,* De*um personarū acceptorē nō esse, sed in omni natione, qui ipsum timet, & iustitiā opatur, ipsi esse acceptū.* Vnde *iudicat hæresim esse manifestā, & oīm hæreseū (ut aduersariorū suorū sophistarū uerbis utatur) quodāmodo matricem, ipsissimūq; adeò* Antichristi *doctrinæ seminariū, huiusmodi qd* Romanæ *Ecclesiæ attribuere, quod apud ipsam peculiariter semp fuisset ac foret, sacrorū dogmatū ad salutē necessariorū ueritas, et quod huic antecedit, quodq; ijsdē* Antichristia*nis sophistis placet, quod ei⁹* Ecclesiæ *Antistites* Papa, *quantumcunq; etiā impurè uiuens, qbuscunq; libidinibus & sceleribus cōtaminatus, quacunq; insatiabili auaritia præditus, quocūq; fastu & ambitione & inanis gloriæ cupiditate mentē corruptam animiq; oculū occæcatum gerens, errare tū, et à fide nullo modo poßit deficere, ac proinde pectus illi⁹ scriniū sit ueritatis, ipseq; in* Romana *Ecclesia (quam cum ad particulare locum annominetur, uniuersalē somniant, manifestam contradictionem nō animaduertentes) doctor unicus ac summus, quæ nō solùm absurdißima sunt, quæq; omniū mētes meritò aspernētur ac respuant, sed etiam è diametro cū Christi uerbis, & apertis scripturis pugnant.* Priusq̄

pro-

progrediamur ad reliquas illius ineptias, hæc paululùm examinem⁹. Principiò itaq; nos fatemur Ecclesiam Catholicã, id est uniuersalẽ, per totum terrarum orbem dispersam, de qua ut in pluribus locis, ita præcipuè Tract.1.in Epist.Ioan.loquitur Aug.circa illa uerba Ioannis. Si qs peccauerit, aduocatum habemus apud patrẽ Iesum Christum iustũ. & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nõ tantùm nostrorum, sed totius mundi, dicens. Quid est hoc fratres? Certè inuenimus eã in campis saltuum, inuenimus Ecclesiã in omnibus gentibus. Ecce Christus propitiatio est peccatorum nostrorum, non tantũ nostrorum, sed & totius mundi. Ecce habes Ecclesiam per totum mũdum, noli sequi falsos iustificatores & ueros præcipitatores, in illo monte esto, qui impleuit orbem terrarum, quia Christus est propitiatio peccatorũ nostrorum, non tantùm nostrorum, sed & totius mundi. Et circa finem. Nónne lapis iste q præcisus est de monte sine manibus, Christus est de regno Iudæorũ, sine opere maritali? Nónne iste lapis cõfregit omnia regna terrarum, id est, omnes dominationes idolorũ et dæmoniorũ? Nónne ille lapis creuit, et factus est mons magnus, & impleuit uniuersum orbẽ terrarũ? Nunquid digito ostẽdimus istum montem, quomodo ostẽditur hominibus noua luna? Verbi gratia, quando uolunt uidere homines nouã lunam

nam, dicunt. Ecce luna, ecce ubi est. Et si sunt ibi qui non ualeant intendere aciem, & dicant, ubi? Intenditur illis digitus ut uideant, aliquando dũ erubescunt, ne cœci putentur, dicunt se uidisse, quod non uiderunt.

Nũquid sic ostendimus Ecclesiã fratres mei? nónne aperta est? nónne obtinuit omnes gentes? nónne impletur, quod ante tot annos promissũ est Abrahæ, in semine eius benedici omnes gẽtes? Vni fideli promissum est, in milibus fideliũ mundus impletus est. Ecce mons implens uniuersam faciẽ terræ, ecce ciuitas de qua dictũ est. Non potest ciuitas abscondi super montẽ constituta. Et post pauca. Esaias ait: Erit in nouissimis diebus
Esai. 2.
manifestus mõs domus domini, paratus in cacumine montiũ. Quid tam manifestũ quã mõs? Sed sunt & mõtes ignoti, quia in una parte terrarũ positi sunt. Quis uestrũ nouit Olympum montẽ? quomodo ibi qui habitant, Giddabã nostrum nõ nouerunt? In partibus sunt isti mõtes: Ille autem mons non sic, quia impleuit uiuersam faciem terræ, & de illo dicit. Paratus in cacumine montiũ. Mons est, super cacumina omniũ montiũ. Et cõgregabuntur (inquit) ad eum, oẽs gentes. Quis errat in hoc monte? Qui frãgit faciẽ offendendo in illũ, qui ignorat ciuitatẽ supra montẽ cõstitutã. Sed nolite mirari, quia ignoratur ab istis qui oderunt fratres, q̃a in tenebris ambulant, & ne-

sciunt

sciunt quo eunt, quia tenebræ excœcauerũt oculos eorũ, montẽ nõ uident, nolo mireris, oculos non habent. Vnde oculos nõ habent? Quia tenebræ excœcauerũt eos. Hactenus ille. Talẽ Ecclesiam *nos fatemur, Catholicã in terris uisibilem, nulli loco, regioni, genti aut familiæ alligatã affixamq́ue, quemadmodũ* Petri *autoritas à* Velsio *adducta, & superiùs à nobis citata comprobat,* Velsianam, *aũt illam inuisibilem et confictã* Ecclesiam *prorsus negamus esse posse Catholicam.* Nihilominus *tamen* Ecclesia Catholica *per totũ terrarũ orbem dispersa, plures habet particulares* Ecclesias, *sub ꝓprijs* Hierarchis *siue* Episcopis *degentes, quarũ una nuncupatur* Ephesina, *alia* Antiochena, *alia* Treuerensis, *alia* Maguntina, *alia deniq;* Coloniensis, *aut quocũq; alio nomine censeantur, secundũ diuersam nomẽclaturam, urbiũ in quibus* Hierarchi *illi seu* Episcopi Cathedram *sacerdotalem obtinet. Quarũ omniũ* Ecclesiarum *per totum terrarum orbem sitarum,* Ecclesia Romana *primatum iure diuino accepit, quemadmodum inferiùs ostendemus.*

Porrò *non esse hæresim manifestã, et multominꝰ omniũ hæreseũ quodãmodo matricẽ ipsissimũq; adeò* Antichristi *doctrinæ seminariũ, huiusmodi q̄d* Romanæ Ecclesiæ *attribuere, quod apud ipsam peculiariter sẽp fuisset ac foret sacrorum dogmatũ ad salutem necessariorũ ueri-*

tas iam ostendendũ est, ac demõstrandũ autoritatibus sanctorum, in sacra scriptura fundatis.

Sanctus Irenæus *libro 3. cap. 3. aduersus hæreses,* Romanam Ecclesiam *appellat maximam & antiquißimã, & omnibus cognitam, à gloriosissimis duobus* Apostolis Petro & Paulo *Romæ fundatam & cõstitutam, ad quam propter potentiorem principalitatẽ, necesse est omnem cõuenire* Ecclesiam *hoc est, eos qui sunt undiq; fideles, in qua semper ab his qui sunt undiq;, conseruata est ea, quæ est ab* Apostolis *traditio.* Hîc *audis in* Ecclesia Romana, *semper conseruatam esse eam, quæ est ab Apostolis traditionem.*

Sanctus Ignatius, *q* Irenæũ *multis annis præcessit, epist. 11. quæ est ad* Romanos, *dicit* Romanã Ecclesiam *sanctificatã et illuminatã in uoluntate* Dei, Deo *dignam, eminentia dignam, beatitudine dignam, et fundatam in dilectione & fide* Christi. Hîc *legis,* Romanã Ecclesiam *in uolũtate* Dei *illuminatã, & fundatã in fide* Christi. 24. Quæst. 1.

Sanctus Cyp. *lib. 1. epist. 3. ad* Cornelium, *dicit* Romanorũ *fidẽ* Apostolo *prædicante, laudatã, ad quos perfidia habere non poßit acceßum.*

Sanctus quoq; Lutius *martyr et* Pontifex *ait:* Hæc *sancta et* Apostolica, *mater omniũ* Ecclesiarum Christi Ecclesia, *quæ per* Dei *omnipotẽtis gratiã à tramite* Apostolicæ *traditionis, nunq̃ errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus depravanda*

prauanda succubuit, sed ut in exordio normam Christianæ fidei percepit, ab autorib⁹ suis Apostolorũ Christi principibus illibata, fidetenus manet. Testatur sanctißimus uir, Petri sedẽ nunq̃ à tramite ueritatis aberrasse, nec hæreticis prauitatibus deprauandã succubuisse, sed in illibata fide, q̃ in exordio fidei Christianæ percepit, semp perstitisse. Eadẽ sententia, penè eisdẽ uerbis à Felice et Marco summis põtificib⁹ repetitur, et cõfirmatur. Et 24. quæst. 1. habentur multi canones sanctorũ patrũ, quibus ostenditur Romanã Ecclesiam, nunq̃ in hæresim cecidisse. Tertullianus in lib. de præscript. hæret. fœlicem appellat Romanã Ecclesiã, cui totã doctrinã Apostoli cũ sanguine suo profuderint. Cypria. lib. 4. epist. 8. Romanã Ecclesiam, matricẽ uocat Ecclesiarum, unde & alios hortatur, ut Ecclesiæ catholicæ matricẽ et radicẽ, agnoscerent ac tenerent.

Sanctus Hierony. tãti fecit fidẽ, Romanæ Ecclesiæ, ut sibi satis esse putet, si suam fidẽ qbusuis improbãtibus alijs, cõprobaret Papa Roman⁹. Mihi (inquit) cathedrã Petri, & fidẽ Apostolico ore laudatã, censui consulendã, inde nunc animæ meæ postulãs cibũ, unde olim Christi uestimenta suscepi. Et iterũ: Ego nullũ primum, nisi Christũ sequẽs, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, cõmunione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunq; tecum non collig it,

In episto. ad Damasum.

colligit,ſpargit,hoc eſt,qui Chriſti nõ eſt,Anti chriſti eſt.Idẽ ibidẽ teſtatur apud Romanos ſolos,incorruptam patrũ ſeruari hæreditatẽ. Ibi ceſpite terrã fœcundo,dñici ſeminis puritate,cẽtenos fructus referre. Et in Epiſt.ad Theophilũ Epiſcopũ.Scito(inquit)nobis nihil eſſe antiquiꝰ quã Chriſti iura ſeruare,nec patrum transferre terminos,ſempq́; meminiſſe Romanã fidẽ,Apoſtolico ore laudatã,cuius ſe eſſe participẽ, Alexãdrina Eccleſia gloriatur. Nõ immeritò proinde ſanctꝰ Athanaſius Marco Romano Põtifici ſcribẽs,optat illiꝰ ſanctæ ſedis autoritate percipere,quæ ſpectãt ad correctionẽ & recreationẽ fideliũ orthodoxorũ. Sed & ipſe Pontifex Marcus,ipſi Athanaſio et uniuerſis Aegyptiorũ Epiſcopis reſpõdens,dicit ſanctam Romanã Eccleſiam,Dño prouidente,& beato Petro opẽ ferrente,ſemper immaculatam manſiſſe, & in futuro manſuram ſine ulla hæreticorũ inſultatione,firmam & immobilem omni tempore perſiſtere. Ruffinus Aquilegienſis præſbiter in expoſitione ſymboli ad Laurentium,apertis affirmat uerbis,nullam hæreſim Romæ ſumpſiſſe exordiũ.

Sanctiſsimus et diſertiſsimus Leo Põtifex ſermone in anniuerſario aſſumptionis ſuæ ad pontificatũ.Soliditas(inquit)illiꝰ fidei,quæ in Apoſtolorũ principe eſt laudata,perpetua eſt,Et ſicut permanet,quod in Chriſto Petrus credidit, ita

ita permanet quod in Petro Christ⁹ instituit. Et post pauca. Manet dispositio ueritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseuerãs, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit. Et pòst aliquanto fidẽ beati Petri prædicãs. Hæc fides (inquit) diabolũ uincit, et captiuorũ eius uincula dissoluit. Hæc erutos mũdo, inserit cœlo, et portæ inferi aduersus eã præualere nõ possunt. Tanta enim diuinit⁹ soliditate munita est, ut eã neq; hæretica unq̃ prauitas corrumpere, nec pagana potuerit superare perfidia. Ad hũc sanctissimũ uirũ, patres ac Episcopi sexcẽti trigĩta magnæ Calcedonensis Synod⁹, Synodalẽ direxerũt Epistolã, qua actis diffinitiõibusq; suis, Apostolicæ autoritatis robur impartiri postulabãt. In qua inter cætera cõgratulantes eidẽ sedi, tã doctũ, tamq; sanctũ pontificem. Nõ desinimus (inquiunt) Dño Deo nostro gratias agere et pariter supplicare gratulantes, quòd tantæ sanctitatis, tãtæ fidei, tantæq; doctrinæ, Apostolicæ sedi (unde religiõis nostræ fons et origo manat) Antistitem dederit. Hic audis, tot patres cõtestari, ex sede Apostolica, religiõis nostræ fontẽ et originẽ manare, inde in Ecclesiã uniuersam, uelut perennẽ quendã fontem & originem, religionis nostræ syncerißimos riuos deriuari. Sanct⁹ Bernardus epist. 190. ad Innocentiũ Papã scribẽs, ait, Oportet ad uestrũ referri Apostolatũ, picu-

la quæq; & scandala emergentia in regno Dei, *ea præsertim quæ de fide cõtingunt.* Dignũ nãq; *arbitror, ibi potißimũ resarciri dãna fidei, ubi non poßit fides sentire defectũ.* Hæc quippe hu-

Luc.22. *ius prærogatiua sedis.* Cui enim alteri *aliquãdo dictũ est, ego pro te rogaui* Petre, *ut nõ deficiat fides tua.* Ergo *quod seq̃tur, á* Petri *successore exigitur.* Et *tu aliquando cõuersus, cõfirma fratres tuos.* Hæc *ille:* Eadẽ *uerba* Christi, Felix Papa *primus,* Epist.3. Benigno Episcopo *scribens, pro huius rei cõfirmatione usurpat.* Nam *cũ dixisset* Romanã Ecclesiã, *nunq̃ à tramitate apostolicæ traditiõis aberrasse, subiũxit.* Quoniam Dominus & *saluator omniũ, cuius fides est, qui pro nobis mori nõ dubitauit, et proprio nos suo redemit sanguine, fidẽ* Petri *nõ defectura͂ promisit & cõfirmare eũ fratres suos admonuit, quod* Apostolicos Põtifices, *meæ exiguitatis prædecessores, cõfidenter fecisse semper, cunctis est cognitũ, quorũ et pusillitas mea, licet impar et minima, pro suscepto tamẽ diuina dignatione ministerio, cupit pedissequa existere, &c.* Sanctus *quoq;* Papa Leo *sermõe 3. in anniuersario assumptionis suæ.* Instante*(inquit) paßione sua* Dñs, *quæ discipulorũ erat turbatura cõstantiã,* Simoni *inquit.* Simon, *ecce satanas expostulauit uos, ut cribaret sicut triticũ.* Ego *aũt rogaui pro te, ut non deficiat fides tua.* Et *tu aliquando cõuer*

sus

ſus,confirma fratres tuos,ut non intretis in tẽta tionẽ.Cõmune erat omnib⁹ Apoſtolis periculũ, de tentatione formidinis,et diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant.Quoniã diabol⁹ oẽs exagitare,oẽs cupiebat elidere,& tũ ſpecialis à Dño Petri *cura ſuſcipitur,& pro fide* Petri *ꝓ priè ſuplicatur,tanq̃ aliorũ ſtatus certior ſit fu tur⁹,ſi mẽs principis uicta nõ fuerit.*In Petro er *go omnium fortitudo munitur,et diuinæ gratiæ ita ordinatur auxiliũ,ut firmitas,quæ per* Chri ſtũ Petro *tribuitur,per* Petrũ *Apoſtolis cõfera tur,hæc ille.Quæ cũ ita ſint,meritò* Innocẽ.3.*ſa croſanctã* Romanã Eccleſiã(Deo *diſponẽte)di cit cũctorum fidelium matrẽ eſſe et magiſtram.*

Eulalius Alexandrinus Epiſcopus,ad Boni*facium* Papam *ſecundum,teſtatur in ſede* Apo*ſtolica extra maculam ſemper fuiſſe* Catholi*cam ſeruatam* Religionem,*in ea integram et ue ram* Chriſtianæ Religionis *& perfectæ ſolidi tatem,ubi & anathematizat omnes,qui contra ſanctam* Romanam *&* Apoſtolicam Eccleſiam *ſuperbiendo,ſuas erigunt ceruices.*

Cernis opinor optimè lector,& ſacræ ſcri pturæ,& ſanctorum patrum cõcordi ſentẽtia, Petri *cathedræ peculiariter tribui, quod apud ipſam ſemper fuerit,ſacrorũ dogmatum ad ſalu tem neceſſariorum ueritas.*Verũ *hi omnes præc clari* Pontifices,*fortiſsimi martyres,& ſanctiſ ſimi*

ſimi cõfeſſores, Velſio habentur hæretici, quod hæreſim maniſeſtam, et omnium hæreſeum quodammodo matricem defenderint, ipſiſsimúmque adeò Antichriſti ſeminarium iecerint.

Sed S. Ignatius, Irenæus, Lutius, Tertulianus, Cyprianus, Marcus, Felix, Hieronym⁹, Athanaſius, Leo, Epiſcopi ſexcẽti triginta, Bernardus. Eugenius affirmãt, Velſius uerò negat, cui credendum? Velſio ne cõdemnato hæretico, an potiùs tot ſanctiſsimis et doctiſsimis patribus, qui ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia fuerũt, & fidem Catholicam non ſolùm laboribus plurimis, uerùm etiã ſuo ſanguine corroborauerunt?

Porrò nos nõ dicimus quẽadmodũ Velſius affingit, & nobis placere dicit, Romanæ Eccleſiæ Antiſtitẽ Papam, quantũcunq; etiã impurè uiuentẽ, quibuſcunq; etiã libidinibus et ſceleribus cõtaminatũ, quacũq; inſatiabili auaritia præditum, quocunq; faſtu et ambitione, & inanis gloriæ cupiditate oculũ occæcatũ gerentẽ, errare, et à fide nullo modo poſſe deficere, ac ꝑinde pectus, illius ſcrinium eſſe ueritatis, ipſumq; in Romana Eccleſia doctorẽ eſſe unicũ, ac ſummũ. Nõ enim dicim⁹ Papã errare nõ poſſe aut à fide deficere. Sed dicimus, ꝙ patres iam citati comprobant, ſedẽ Apoſtolicã, Petri Cathedrã, Romanã Eccleſiã, nunꝙ̃ à recta fidei regula deuiaſſe, quæ nõ pro ſolo ſummo Pontifice accipitur, quando

dicimus

dicimus eam nunq̃ errasse, aut à fide defecisse, sed cõprehendit collegium Cardinaliũ ac aliorum doctorũ, quorũ consilio iuuatur summus Pontifex. Iustum est enim, ut in re tanti momenti, qualis est fides Catholica, in consiliũ adhibeat collegiũ fratrum suorum adiunctis etiã uiris alijs sanctitate ac doctrina eminentibus. Decet enim ut relatas ad se quæstiones, non definiat temere, sed maturè adhibita pro qualitate negotij etiam humanitus poßibili aut conuenienti diligentia, sacerdotaliq; concilio, sacerdotũ uidelicet una secum in Apostolica cathedra ministrantiũ domino, hoc est Cardinaliũ, aut etiam uicinorũ distantiúmue Episcoporum, si quando & queadmodum ipsa negotij qualitas, hoc ipsum exigere Romano Pontifici uidebitur, sicut & ab initio, ad hanc usq; diem factum & perpetuò obseruatũ constat. Non uerò conuocatis ex toto orbe undequaq; sacerdotibus & episcopis. Nam id rarò admodũ posset fieri, quemadmodum & primis illis trecentis annis nunquam factũ est ante Nicænum Conciliũ, cum tamen definiendarum incidentum quæstionum & controuersiarum, semper inciderit neceßitas. Et si quãdo, quod rarum est, idipsum posset fieri, non tamen sine magno totius orbis motu, molestia et impensa. Et postremò, nulla unquam incidit eius neceßitas, sed nec utilitas, quam fortaßis ea sola, ut ex conuenientibus ex toto orbe Episcopis, eorũq;

collatione manifestum omnibus fiat, uerum semper esse, atque orthodoxum Apostolicæ sedis iudicium, uera fides, definitio ac sententia, proinde semper & indiscusse sequendam omnibus.

Quod uerò parẽthesis loco interserit, nos Romanam Ecclesiã, cum ad particularem locum annominetur, uniuersalẽ somniare, manifestamque contradictionem non animaduertere, respondeo Velsio uero somniatori, nos non somniare, sed uigilanti mente confiteri, Romanam ecclesiam meritò dici debere uniuersalem, quod Deo adiuuante inferius ostendemus. Non enim dicimus Romanam Ecclesiam, quatenus ad particularem locum annominatur, quatenus scilicet est cœtus Christi fidelium Romæ degentium, esse Ecclesiam uniuersalem, sed Ecclesiam Romanam, secundum suum caput Petrum, & Petri legittimum successorem esse Ecclesiam uniuersalem. Vnde constat, nullam hic esse contradictionem.

Nõ sunt ergo ista absurdißima, quæq; omniũ mentes aspernentur ac respuant, nisi schismaticorũ, hæreticorũ, qui ea quæ Catholica credit et cõfitetur Ecclesia, aspernantur, respuunt, ac absurdißima iudicant. Sed priusquam uideamus quibus scripturis comprobet, ea ex diametro cum Christi uerbis & apertis scripturis pugnare, inquiramus & excutiamus fundamentum, cui Velsius innititur, ad demonstrandum Papam non posse esse im-

munem ab errore. Vult enim Papam esse non posse immunem ab errore, si non sit immunis à peccatis & uitijs ac animi perturbationibus, uidelicet auaritia, uentris & uoluptatis studio, fastu, ambitione, inani gloria, ira, odio, & id genus uitijs, & cum eum à uitijs & peccatis nullo unq̃ tempore liberum necessario esse ostendere queamus, quod nec ab errore immunis sit, docere possimus.

Principio non dicitur à nostris, Papã non posse errare, ac à fide deficere, sed sedem Apostolicã ac Petri cathedram nunquàm defecisse, nec unquã defectură. Deinde quod affirmat in Papis hæc uitia regnare, non probat, nisi quod ex multis synodorum & conciliorũ decretis & actibus, apertißimè dicit cognosci, quod eo ipso etiam tempore, quo hæc agerentur & decernerentur, & ijs ipsis adeo decernendis & agendis, alij ambitione, alij auaritia, alij alio quopiam scelere animum corruptißimum gesserint, cum quidem nihil non agerent, quo tyrannicum suum primatum, & supra alias Ecclesias iurisdictionem constituerent, nunc uerò in ijs toti decernendis essent, ut omnia tantum non orbis bona per fas nefásque inuaderent, & se suamq; appellatam Ecclesiam, reuera autem Romuleam tyrannidẽ locupletarent, quorum historias cum dicit esse plenas, & ex iure Canonico id etiam lippis & tonsoribus esse notũ,

& nullam historiam adferat pro dictorum suorũ confirmatione in medium, neque aliquem locum ex iure Canonico producat, respondere ei non ineptè possumus, quemadmodum S. Augustinus respondit petiliano. li.2.contra literas eius cap.51. Hæc non uides, non aliqua esse documenta, sed uana conuitia. Et iterum. Dicis quidem ista, nihil probans. Sed etsi de aliquibus probares, de his cœteris non præscriberes.

Porrò ut donemus Velsio quorundam Pontificum (non enim de omnibus tam impiè sentire audebit, ac tam temere pronunciare ut opinor) execrabilem uitam ac peßimos mores, ostendere tamen possumus, & hominem esse posse, ab errore ad fidem pertinente, liberum, qui tamen à uitijs liber non sit, & spiritum sanctum per malos Pontifices regere Ecclesiam suam, et conseruare in fidei integritate. Qui enim oriri facit solem suum super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, quid mirum si imbrẽ gratiæ suæ, in arenosum littus effundat? Quod nouum, si etiã ipsos cœcorum oculos, sui radij splendore feriat, ut & ipsi meritò cantare poßint, quod infœlix ille Balaam dixit. Homo (inquit) cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonum Dei, qui nouit doctrinam altißimi, & uisionem altißimi uidet, qui cadens apertos habet oculos. Ecce unde hic auaritiæ filius, tanta potuit magnalia cernere, & redem-

Matt. 5.

Num. 24.

demptionem mundi lōgißimè post futuram, tam expreßè, tam lucidè nunciare, si spiritussancti præsentiam non habet? Sic enim ægregius prædicator ait. Quis nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Itaq; quæ Dei *sunt, nemo nouit nisi spiritus* Dei, *præsertim cum & eadem scriptura dicat, quia irruente in se spiritu* Dei, *assumpta parabola ait, uidelicet quod modò præmisimus. Sed iste* Balaam, *non solùm auarus, sed etiam simoniacus fuit, & simoniata hæresis in illo iam tunc uiguisse cognoscitur.* Nam *spiritussancti gratiam uendere conabatur, cum ad promißionem precij ariolatus sui depromebat oraculum. Sic enim scriptura testatur, quia seniores Moab rogabant eum, habentes prætium diuinationis in manibus.* Et *rursus per alios nuncios misit ad eum* Balach *filius Sephor dicens. Ne cūcteris uenire ad me, paratum honorare te, & quicquid uolueris dabo tibi. Amore quidem pecuniæ succensus æstuabat, & tamen per eum spiritussanctus, profunda mysteria loquebatur.* Balaam *deniq; &* Balach, *uterq;* Deo *manifestè contrarius, uterq;* Dei *populo extitisse probatur infestus, donumq; diuinæ gratiæ, quod alter emere, alter uenditare nihilominus gestiebat, at tamē* Prophe*ticæ reuelationis arcanum, & iste extra meritum protulit, & ille utiq; indignus audiuit, atque ut magis largitatem diuini muneris admiremur, ma*

1. Cor 2.
Num. 24.
Num. 22.

ledicere nitebatur Balaam, *& tamen inuitus ecõ-*
Num. 23. *trario benedicebat. Ad maledicẽdum (inquit) ad-ductus sum, benedictionem prohibere non ualeo.* Non solum ergo per hunc simoniacum Balaam spiritus sanctus est locutus, sed etiam, quod non minus stupendũ est, cum iam cor eius cõcupiscentiæ ignibus ureretur, Deus nihilominus ei per diem
Num. 22. atque noctem familiariter inuenitur locutus. Et ne fortaßis idcirco spiritum sanctũ minus habuisse credatur, quia per Moysen appellatur ariolus, uigilanter eiusdem historiæ uerba percurrite, & eodem Mose perspicuè testante reperietis, quia
Num. 24. cum uidisset Israel in tentorijs commorantem, protinus in illum spiritus Dei irruit, & ut reuera Prophetam in uaticinij mox oraculum excitauit. Et ariolus ergo appellatur, & Propheta est, quia quem ad Propheticam dignitatem gratia superna prouexerat, obscœno ariolatus nomine propria prauitas deturbabat.

Vbi considerate quàm profundum Dei sit atque subtile iudicium, imò quàm terribilis sit De-
Psal. 65. us in consilijs super filios hominũ, cum uidelicet mirabilis ille uir, neq; propter reatus sui nequitiam gratiã propheticam perdiderit, & tamen propter ipsam gratiã quam usurpabat indignus, diuinæ ultionis sententiã declinare non potuit. Quid ergo mirum, si omnipotens Deus, qui semper est, & mutari non potest, nihilominus antiqua exami

nis

nis sui iura custodiat, & eandē assuetæ discretionis regulā teneat, ut quod in Balaā fecit, hodieq́; in suis similibus non dißimiliter operetur, quatenus & prolargitæ clemētiæ dona sua indignis exhibeat, & pro censura iustitiæ digne eos ultionis animaduersione percellat? Illud quoq; obscurum non est, quod cū Saul direxisset lictores ad capiendum Dauid, *atque iuxta fidē historiæ uidissent cum ea prophetarū chorum uaticinātium, & Samuel stantem super eos, factus est etiam in illis spiritus domini & prophetare cœperunt. Cūq́; Saul secundo & tertio alios atque alios mitteret, & illos nihilominus spiritus propheticus inuasisset, tandē (ut scriptura testatur) iratus ipse Saul abijt in* Ramatha. *Sed antequam peruenisset, factus est etiam super eum spiritus* Dei, *& prophetauit tota die nudus cum cæteris coram Samuel. Quid ergo mirū, si peruersi homines dona* Dei, *quibus digni non sunt, ad cumulum suæ damnationis accipiant, cū Sauli isti, quem* Deus *abiecerat, quē dæmon agitare consueuerat, sepißime non modo spiritum* Dei *ad horā suscipere, sed etiam cum suis officijs concessum est diutius prophetare?* Iracū*diæ nempe felle cōmotus, & liuoris simul & odij erat ardore succensus, atq;* Deo *uacuus, malo spiritui fuerat infatigabiliter mancipatus. Tamen cum ad locum chori uaticinantis accesit, repente in eum diuinus spiritus irruit, & uelut apposi-* 1. Reg. 19.

tam materiam ignis insiliens occupauit. Non ergo *incredibile uideri debet, si in sancta* Ecclesia *(quæ proculdubio thron⁹ dei, sacrariũ est spũssancti, oĩmq; cœlestiũ charismatũ est receptaculũ) donũ spũssancti, & indignus accipiat, quod nõ dãtis*
Ioan 3. *hominis uel accipientis est meritũ, sed summi largitoris est beneficium.* Non *enim legitur, quia spiritus ubi dignum est, spirat, sed potius dictum est, ubi uult spirat, ut profectò spiritalis gratia, diuinæ potius uoluntati, quàm humanis meritis adscribatur.* Enimuero *spiritussanctus, nõ pro meritis semper uenit.* Et *in ueteri testamẽto* Aaron *&* Eleazarus *&* Phines *primi sacerdotes, uiri fuere sancti, qui tamen in sacerdotio multos habuerunt successores, qui* Deo *displicebant, et indigni erant sacerdotali dignitate, & tamen in genere præceptũ est* Iudæis *in lege, nulla facta mentione, uel nullo habito delectu bonorũ uel malorũ sacer*
Deu. 17. *dotum.* Si *difficile & ambiguum apud te, iudiciũ esse prospexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas uideris uerba uariari, surge & ascende ad locum, quem elegerit dominus* Deus *tuus, ueniesq; ad sacerdotes* Leuitici *generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij ueritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quẽ elegerit dominus, & docuerint te iuxta legem*

legē eius,sequerisq; sententiā eorū,nec declinabis ad dexterā,neq; ad sinistram. Qui autē superbie rit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino Deo tuo,ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malū de Israel,cunctusq; populus audiens timebit,ut nullus deinceps intumescat superbia. Facies(inquit)quodcunq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit dominus, & docuerint te iuxta legem eius,sequerisq; sententiā eorū, quia iudicabunt tibi iudicij ueritatē. Vnde & saluator in aduentu suo in hunc mundum de sacerdotibus Iudæorū (qui erant auari,superbi,ambitiosi,hypocritæ & symoniaci)dicebat ad plebem. Super cathedrā Moysi sederunt Scribæ & pharisæi,quæ dicunt facite,quæ autem faciunt,facere nolite. Dicunt enim & nō faciūt. Matt.23.

Sed hic obstrepit nobis Velsius, futile uocans argumentū, quod de Scribis & Pharisæis super cathedram Moysis sedentibus,à nostris adfertur in medium. Nam ex eo(inquit) nihil aliud confici potest,quàm ueram sanamq; doctrinā (à qua non recedendum esse,sesßione super cathedram Moysis,qui contestatus fuerat Israelē,ne quid ad uerbum,quod loquebatur ijs,adderent,nec auferrēt ex eo,sed integrè custodirent, secundū scripturæ loquendi modum allegoricum adumbratur)propter malos & uitiosos uerbi ministros, minimè hominibus aspernandam esse, nulla autem dogma Deut.4.

tizandi, & subinde noua decreta procudendi autoritas colligatur. Hactenus Velsius.

Si nulla dogmatizandi & noua decreta procudēdi hoc dicto colligitur autoritas, quare Christus dixit. Omnia quæcunq; dixerint uobis, seruate & facite, secundum opera uero eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia (inquit) & quæcunq; (inquit) dixerint uobis seruate & facite. Quæ dicebant, bona erant, quæ uero agebant, mala. Dogmatizandi autoritas in cathedra, præcipiendi uero & decreta procudendi, pro ratione temporis etiā noua, in hoc designatur, quòd Christus omnia dixit seruanda, quæcunq; dicerent. Porrò ex hoc quòd super cathedram Moysi sedebant, licet essent uitiosi, cogebantur bona dicere, etiam non bona facientes. Vnde Aug. lib. 4. de doctrina Christiana; cap. 27. Postq̄ hæc domini uerba recitasset, subiūgit. Vnde ait & Apostolus. Siue ueritate, siue occasione Christus annūcietur. Christ⁹ autē ueritas est, & tamen etiā non ueritate annūciari ueritas potest, id est, ut prauo & fallaci corde, quæ recta & uera sunt prædicentur. Sic quippe annunciatur Iesus Christus ab eis, qui sua quærunt, non quæ Iesu Christi. Sed quoniam boni fideles, non quemlibet hominum, sed ipsum Deum obedienter

Phil. 1.

Philip. 2.

audiunt, qui dicit. Quæ dicunt facite, &c. Ideo *audiuntur utiliter, qui etiam utiliter non agũt. Sua enim quærere student, sed sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis Ecclesiasticæ, quẽ sana doctrina cõstituit. Propter quod ipse dominus priusq̃ de talibus, quod cõmemoraui diceret, præmisit. Cathedram Moysi sederunt. Illa ergo cathedra non eorum, sed Moysi cogebat eos bona dicere, etiã non bona facientes. Agebant ergo sua in uita sua, docere autẽ sua cathedra illos non permittebat aliena. Multis itaq; prosunt dicendo, quæ non faciunt, sed longè pluribus prodessent faciendo quæ dicunt. Bernardus sermone 66. in Canticis Canticorum. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, & qui non obedierunt eis tanquam Episcopis, inobedientiæ rei fuerunt, etiam in ipsum dominum præcipientem & dicentem, quæ dicunt facite. Patet quamuis Scribæ, quamuis Pharisæi, quamuis uidelicet maximi peccatores, propter cathedram tamen Moysi, ad eos quoq; nihilominus pertinere, quod item dixit. Qui uos audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit.*

His ita pro responsione interiectis, id quod habebamus in manibus argumentum prosequamur.

De nequißimo Caipha interfectore saluatoris, inter cæterea scribit S. Euangelista Ioannes. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni Ioan. 11.

fex anni

fex anni illius prophetauit, ut cognoscatis spiritū sanctum datorem gratiarum, nō personam sequi, aut digni aut indigni, sed propositum uoluntatis diuinæ. Nunquid enim Caiaphas *ille dignus fuerat, per quem spiritussanctus, uiuificæ mortis Christi mysterium loqueretur?* Nam cùm *dixisset, expedit ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat, protinus* Euangelista *subiungit, hoc autem à semetipso non dixit, sed cū esset pontifex anni illius prophetauit.* Prophe*ticum planè spiritum ad momentū accepit, non ut ipse quæ uaticinabatur agnosceret, sed ad hoc potiùs, ut conspiratores suos, ad accelerandam mortem dominicam, auidiùs incitaret.* Nobis *nempe, non sibi uidit, & occultum sapientiæ thesaurum, quem ipse ignorabat, aperuit. Cum alijs (inquit* Theophilactus) Pontificatus *dignitas erat corrupta, simul ac uenalitij facti fuerunt principes, nec ultra per omne tempus unus, sed duntaxat in annum unum, sacerdotio fungerentur, & quamuis ita corrupta foret dignitas, adhuc tamen aderat gratia spiritussancti operans in his qui uncti erant.* Vnde *colligitur, quod licet* Caiaphas, *sanctus non esset, imò atrocißimus* Christi *persecutor, & symoniacus, propter sanctitatē tamen pontificalis offitij sui, gratiam illam habuerit à* Deo, *per quam prophetaret redemptionem, quæ per* Christum *erat futura, cum tamen ille mysterium*

ſuæ Prophetiæ ignoraret. In manu quippe cœci, poſitum erat lumen (ut Petrus Damiani *inquit) non quod ille conſpiceret, ſed alijs miniſtraret.* Non *enim ex meritò ille propheticum ſpiritum, ſed ex miniſterio, quo fungebatur, accepit.* Re*gnum nanq; & ſacerdotiũ, à* Deo *cognoſcitur inſtitutum.* Et *ideo licet adminiſtratoris perſona, prorſus inueniatur indigna, officium tamen, quod utique bonũ eſt, competens aliquando gratia comitatur.* Hinc *eſt enim, quod* Nabuchodonoſor, Dan.3.
poſtquàm tres pueros in caminum miſit incendij, quamuis alij plures adeſſent, ſolus tamen quartũ (cuius ſpecies erat ſimilis filio Dei) *conſpicere potuit.* Nam *oculos mentis eius, ſpirituſſanctus aperuiſſe credendus eſt, ut quod alios latebat, ſolus aſpiceret, & quod aſpexit, etiam ultro agnoſceret.* Hinc *Pharao ſomniũ uidit, per quod uenturæ* Gen.41.
ſterilitati, ne famis impatiens Aegyptus *profligeretur, occurrit.* Hinc Abimelech, *diuinæ allocutionis oraculum meruit, & ut Saram uirò red-* Gen.20.
deret, ne repentè moreretur, audiuit Reges *enim & ſacerdotes, licet nonnulli eorum reprobi ſint,* Pſal.81. & 104.
per notabilis uitæ meritum, dij tamen & Chriſti, Ioan.10.
dici reperiuntur, propter accepti miniſterij ſacramentũ. Hinc *eſt quod ſeruus* Hebræus, *dijs applicari ex lege præcipitur, hoc eſt, ſacerdotibus* Exod.21. 22.
præſentari. Hinc *alibi dicitur* Dijs *non detrahas, id eſt, ſacerdotibus ne deroges.* Hinc Saul, *cum* 1. Reg.24. & 27.

iam

iam diuina ſententia, regalis ſolij arce fuiſſet de-
Exod. 34. *iectus, nihilominus adhuc Chriſtus domini uſque ad obitum dicebatur.* In lege quoque *præcipitur, ut omne primogenitum maſculini ſexus ſanctum*
Mal. 1. *domini uocaretur. Sed ſi meritum cuiuſque diligenter attenditur, nunquid* Eſau *ſanctus iure uocabitur, dé quo nimirũ diuina uoce dicitur.* Eſau
2. Reg. 13. *odio habui?* Nunquid Amon *ſanctus erat, qui dum in ſororis concubitum impudenter exarſit, fratris* Abſalon *gladium ultorem uidelicet inceſtuoſi cri-*
4. Reg. 21. *minis proprio ſanguine madefecit?* Nũquid *Manaſſes, nunquid* Ochozias *rectè ſancti dici poſ-*
1. Par 33. *ſunt?* Quorum *alter (ſcriptura teſte) omnem cœ-*
4. Reg. 1. *li militiam coluit, alter dum* Be[illegible]zebub Deũ Accaron *de uitæ diuturnitate* [illegible]*nſuluit, miſerando exitu uitã, in perfidiæ ſuæ deſperatione concluſit. Aliud nanq; eſt, ex uitæ meritis ſanctum eſſe, aliud ex miniſterio conditionis dici.*

Ex *quibus perſpicuum fit, non eſſe ridiculum (quod tamen dicit* Velſius*) quod produximus de* Caipha, *qui cum eſſet peßimus, tamen quia* Pontifex *erat prophetauit.* Hæc *(inquit* Euangeliſta*) ex ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet* Pontifex *anni illius, prophetauit, quia* Ieſus *moriturus erat pro gẽte.* Sed *ridiculum planè eſt, quod inſinuat, nos ex duabus particularibus propoſitionibus aliquid conficere, aut in tertia figura particulare aliquid concludere.* Nullus *enim ſyllogiſmus à*

nobis

nobis productus est, sed ipsam prophetiam Cai-*phæ (quã à semetipso non habuit sed à spiritu san-cto, eo quòd esset* Pontifex *anni illius) duntaxat expendimus.*

Porrò *quod asserit* Velsius, *ipsum* Caipham *ab errore in rebus religionis & fidei, uel eo etiã anno immunem non fuisse, ut quem patet multa perperam, & flagitiose decreuisse, nihil facit cõ tra nos, sed magis pro nobis.* Si *enim illũ hoc pro-phetiæ dono dignatus est spiritussanctus, q mul ta perperam & flagitiose contra Christum decre uit, qui in rebus fidei & religionis errabat.* (Nã *ex uaticinijs prophetarum & miraculis ope-ribusq;* Christi, Meßiam *suum agnoscere ac re-cipere debuerat) cur non dignaretur pontifi-ci Christianorum, licet peccatori & indigno suo dono adesse in dogmatum ueritate?* Fit *nanq;, ut rectè & benè quis doceat, & tamen uiuat ma-le.* Econtra *nonnunquam contingit, ut uiuentes cum laude doceant peruersa, quales olim fuerũt: pœnitentiæ abnegatores* Nouatiani *uitæ sancti-monia admirabiles, et atroces in miseros peccato res relapsos censores. Cæterum posse esse homi-nem uitiosum, qui tamẽ bene doceat, sanctus* Pau-*lus ostendit, dicens:* Qui *prædicas non furãdum, furaris, qui dicis non mœchandum, mœcharis, q abominaris idola, sacrilegium facis.* Et *sancti do-ctores ac patres peccatores fuerunt (nam si dixe* Rom. 2.

rimus

rimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est) non tamen propterea statim oportet, & doctrinam eorum reprehendere, etiã si perditè uixissent, ut in Caipha & Balaam monstratum est.

Multi quoque in primitiua Ecclesia, hoc donum spiritussancti habebant, ut loquerentur uarijs linguis, quas nunquàm ab homine didicerãt, multi item ut in nomine Christi prophetarent, et dæmonia ab obsessis corporibus eijcerent, & signa alia facerent, qui tamen operarij erant iniquitatis, quemadmodum liquet ex uerbis saluatoris apud Matthæum cap.7. suprà citatis. Spiritum enim sanctum indubitanter habuerant, qui uenientes ante tribunal iudicis clamant. Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus? Quibus uidelicet illico respondetur: Discedite à me operarij iniquitatis, nescio uos. Qui nimirum dum se Prophetiæ spiritum habuisse testantur, & tamen repulsionis sententiam subeunt, patenter ostenditur, quia in quibusdam, neque propter prauitatem uitæ excluditur spiritussanctus, neque propter spiritum sanctum, quo irruerentur abusi
Ioan 3. *sunt, uita damnabilis excusatur. Sicut enim testante domino, nescimus unde ueniat, uel quò uadat, sic etiam scire nemo potest, uel quur aliquando, & in reprobos homines ueniat, atque per eos suæ*
2.Cor.6. *uoluntatis iudicium promat. Nam cum Apostolus*

dicat,

dicat, quia spiritualis homo iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur, quis iudicet ipsum spiritum sanctum, si & in prauos non abhorreat arcana, qua ipse nouit discretione descendere, qui etiam coessentialem & coæternum sibi Dei *filiũ noluit ex impiorum manibus liberare?* Quid *mirũ, si spiritus sanctus aliquando in reprobos ueniat, cum & filius eiusdem cum eo naturæ atque potentiæ impiorum se manibus tradidit, & non solum se eorum uerberibus affici, sed & inferri sibi mortis atrocia non contempsit?* Denique *quis sceleratior quã* Iudas *Scariothis, q & fur erat, & loculos habebat, & ea quæ mittebantur portabat?* Hic *tamẽ cum cæteris* Apostolis *missus est à* Domino, *ad gratiam spiritalem dispẽsandam, ad prædicãdum uerbum* Dei *&* Euangelizandũ *regnum* Dei, *& (ut multa paucis concludã) ad exequendum & perficiendũ cuncta, quæ ad* A*postolorũ officium pertinebant.* Et *tamẽ rata esse permisit ea dominus, quæ ab illo gerebantur, non minus q̃ ea, quæ à cæteris* Apostolis *facta sunt.* Cæterùm *est in sacramẽto ordinis, quemadmodũ etiã inferiùs declarabimus, gratia quædã, quæ operatur non tantum in bonis, sed etiam in malis sacerdotibus.* Nã *etsi mali sacerdotes spiritu careant quo ipsi sancti sint, spiritum tamen sanctum habent, qui ministerijs, quæ per eos aguntur, adsistit.* Vnde Amb. *in* Epist. 1. Cor. *cap.* 12.

Sicut (inquit) idolorũ imago, in ministris eorum est, ordinem suum habẽs per singulos gradus, totum tamen hominis est: ita & in lege dominica gradus charismatum sunt in Ecclesiæ *officijs.* Et *iterum:* In *loco ordinis* Ecclesiastici *officij cõstitutus, gratiam habet qualisuis sit, non utiq; propriam, sed ordinis per spiritus sancti efficatiam.*

Hæc *itaq; & alia fortaßis plura possemus in medium producere ad demonstrãdum, etiã malos* Pontifices *spiritum sanctũ docere posse* Ecclesiam *suam, ut non sit necessarium admittere fundamentum* Velsii, *quo uult* Papam *nõ posse immunem esse ab errore, si nõ sit immunis à peccatis. Sed tamẽ non est necessarium, ut ad has angustias cõfugiamus, cũ à nobis nõ dicatur,* Papã *nõ posse errare, sed sedẽ* Apostolicam, *cathedrã* Petri, Ecclesiam *scilicet* Romanã, *nec defecisse, nec defecturã unq̃ à uera fide, & sana doctrina.* A *uitijs planè hanc sedem non defendimus, sed à defectu fidei eam liberam semp fuisse & futurã liberè profitemur.* Nam *eadem fides, quæ ab initio p beatißimos* Apostolos Petrũ & Paulum *in ea plantata est, & quæ à successoribus beati* Petri *prædicata est, quorum plurimi pro confeßione catholicæ fidei martyrium ptulerunt: multi autem alij, & sanctitate conuersationis, & cælestibus doctrinis* Ecclesiã *uehementer illustrarunt, eadem (inq̃) fides usq; in hodiernum diem*

in ea prædicatur & tenetur, adiuuante apud patrē illa Domini nostri Iesu Christi interpellatione, de qua ipse dixit ad Petrum. Ego rogaui pro te, ut non deficiat fides tua. Quod utiq; non dicebat peculiariter de illa fide, quam Petrus habebat in mente sua, sed de fide Ecclesiæ, quam uoluit gubernari à Petro. Vnde etsi quādo contigit aliquem summorū Pontificū à fide catholica deuiare ac errare, non diu permisit Dominus eiusmodi Pōtificem permanere, ne forte per ipsum Ecclesia corrumperetur. Quod si dixerit Velsius Ecclesiam Romanam ita corruptam esse, ut nunc in ea aliud credatur & doceatur, q̄ quod credidit & in ea docuit beatus Petrus, & illius successores, de quibus dubium non est, quin sancti fuerint, ostendat nobis in ueritate, quid sit illud in quo discordet ab illorum fide & prædicatione, & quid sit illud, quod illi crediderunt, & quod nunc, quantum ad fidem attinet, non suscipiatur à successoribus illorum. Sed in ueritate non poterit, quia dominus noster Iesus Christus, inter multas procellas persecutionum & oblatrationes hæreticorum, incorruptam adhuc cōseruauit fidem catholicam in sede illa Apostolica, & conseruabit usque in finem. Luc. 22

Ex quibus manifestū euadit, falsum esse, quod Velsius ait, dictum Christi ad Petrum: Ego rogaui pro te, & cætera, ad Petrum peculiariter

dictum esse, & ad ipsius fidem non defecturam propriè pertinere.

Siquidē licet contendentibus inter se Aposto*lis quis eorum esset maior, pleraq; dixisset ad omnes quibus carnalem adhuc eorum ambitionē reprimeret, & uni quidē* Simoni *dixerit.* Ego *autē rogaui pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, uni Simoni denunciauerit fratrum &* Ecclesiæ *periculum, dicit enim:* Ecce Sathanas expetiuit *non te, sed uos, ut uentilaret.* Et *quāuis oēs sint expetiti à Sathana, & pro uno* Petro *singulariter rogauerit, dicens:* Ego *autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua.* Non *dicēs:* Rogaui *pro uobis, ut nō deficiat fides uestra, sed rogaui pro te, tamen in* Petro *etiam cōprehenditur illius cathedra, & intelligitur unius* Ecclesiasticæ *hierarchiæ præsidis, atq; eius cathedræ, ea in re singulare priuilegium statutū.* Nā *subindicans, cuius esset in subortis eiusmodi dubitationum fluctibus, & hæreticæ persecutionis procellis ac tēpestatibus, fluctuantes in fide fratres confirmare.* Et *tu (ait) aliquando conuersus confirma fratres tuos, insinuans ad autoritatē* Petri *& eius cathedræ pertinere, dubia & controuersias, quæ inter* Christianos *de fide, lege, religioneq;* Christi *quomodolibet oriuntur, definire.* Vni *ergo* Petro, *atq; eius cathedræ* Christus *sua oratione pri-*

ne priuilegium hoc impetrauit, ut ad fratres confirmandos in fide non deficeret eius fides. Nã illa Christi oratio haud quaquam pro illo statu & tempore ad Petrum pertinuisse uidetur, qui non multò post Christum ter abnegauit, sed magis ad sequentem statum Ecclesiæ, cum abiens à nobis Christus in cœlum, Petrum super uniuersam familiam suam pastorem cõstituit, quã eius curæ etiam tertiò repetita diligenter cõmendatione commisit. Quod ipsum eisdem ipsis uerbis satis innuit, dicẽs: Et tu aliquãdo conuersus, innuẽs uidelicet eũ prius defecturũ in fide, sed deinceps eius fidem & cathedræ, nõ defecturam aliquando ad Ecclesiæ cõfirmationem. Quod itaq; hic Christ⁹ oratione sua, uelut singulare priuilegiũ uni inter Apostolos Petro, Ecclesiasticæ domus ueluti patrifamiliâs impetrauit, ad successionis eius cathedram porrigendum est, quemadmodum superius circa interrogatoriũ tertium ex Felice, Leone, Bernardoq; comprobauimus, quibus potius fides adhibenda est, quàm Velsio.

Non possum prætermittere, quin hoc loco impudentiã ac inuerecundiã Velsij, hominis perfrictæ frontis ob oculos ponã, qui nõ ueretur apertissimo mendacio principi sacerdotum detrahere. Dicit enim ipsum tyrãnicam planè potestatẽ in hominũ animas, seruatoris nostri Christi sanguine pretiosissimo redemptas impudenter sibi

uendicare, cum Dist. 40. *ad Luciferanam suam tyrannidem confirmandam & augendam intentus, propalam asserere ausit, neminem sibi contradicere debere, etiamsi infinitas animas ad inferos secum in æternum cruciatum manifestè traheret, quæ meritò incarnati diaboli, non hominis uox uideatur.* Hæc ille.

Ego certè totam illā distinctionē à principio usq; ad finem diligenter perlegi, & tamen illa uerba inuenire non potui, quæ Velsius Papæ *adscribit, q̄ asserat, neminē sibi cōtradicere debere, sed inueni hæc uerba ex dictis* Bonifacij *martyris:* Si Papa *suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos, cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cū ipso plagis multis inæternum uapulaturus.* Huius *culpas istic redarguere præsumit mortaliū nullus, q̄a cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehēdatur à fide deuius, pro cuius p̄petuo statu uniuersitas fidelium tanto instātiùs orat, quanto suam salutem post* Deum, *ex illius incolumitate animaduertit propēsius pendere.* Hactenus *ibi.* Vbi *quæso hìc audis* Papā *asserere, neminē sibi cōtradicere debere?* Hæccine *est* Velsii *demōstratiua, scientifica, ex indubitatis notionibus & princi-*

pijs, ac diuinitus traditis oraculis probatio?

Sed pergit Velsius & ratiocinatur, dicẽs: Ab omni ratione alienum est, qui soli Deo debetur honor, quod nec gẽtiles ignorarunt philosophi, uniq; inter homines Christo, ut qui non solũ homo, sed & Deus sit immortalis, ab omni errore liberum esse, ac proinde ueritatis doctorẽ ac magistrum unicum, ut ex ipso, qui mentiri nõ potest, apud Matthæum didicimus, eũ homini mortali & caduco, multis uarijsq; perturbationibus ac sæpe uitijs obnoxio, quæ mentem, ut omnibus in confesso est, obnubilant, ueritatisq; uidendæ uim eripiunt, tribuere, & eũ errare non posse, nec à fide deficere, quatenus nimirum pontifex sit, & super cathedram Petri (ut ipsi loquũtur) sedeat, ac pastorale munus exerceat, cõstituere. Necesse enim omnino fuerit, ut uel eo certè tẽpore, & secundũ eam saltem functionem, aut ab omni peccato absolutum eum & liberum ostendant, aut etiã hic errare posse confiteãtur, quod fieri nequeat, in quo sit erroris causa, & quidẽ continens, in eodem non simul & error inueniatur. Hæc ille. Matt. 23.

Primò nos haudquaquam illum honorem, qui soli Deo uniq; inter homines Christo uero homini & Deo immortali debetur, tribuimus homini mortali & caduco, sed confitemur dominum nostrum Iesum Christum unicũ esse ueritatis docto

rem ac magistrum, ab omni errore liberũ, ut ex ipso (q mentiri non potest) apud Matthæũ didicimus. Vos (inquit) nolite uocari Rabbi. Vnus est enim magister uester, oẽs autẽ uos fratres estis. Nec uocemini magistri, qa magister uester unus est Christus. Vnus est magister uester, uidelicet qui omnes homines naturaliter docet. Si enim homo hominem erudiret, omnes homines discerent quod habent doctores. Nũc autem quia non homo docet, sed Deus, multi quidem docentur, pauci autem discunt. Homo enim non intellectũ præstat homini docendo, sed à Deo præstitũ per admonitionem exercet. Christus ergo natura magister est, quia ipse oẽs per intelligentiæ lumen inter ius docet. Porrò quemadmodũ unus per naturam Dei filius non præiudicat cæteris, ne per adoptionem filij Dei uocentur, ita & unus magister non præiudicat alijs, quo minus suo modo ministerialiter uocentur magistri, & hoc ex cõsortio, & sub magisterio unici & ueri magistri.
1 Tim. 2 Vnde Paulus ad Timotheum ait: Veritatẽ dico, non mentior, doctor gentium in fide & ueritate. Et iterũ: In quo (scilicet Euangelio) positus sum
2. Tim. 1. ego prædicator & apostolus, & magister gentium. Quod autem dominus ait: Vos autẽ nolite uocari Rabbi, tãtum est ac si dixisset, ne uelitis, ne concupiscatis. Siquidem uocari ab alijs magister aut Rabbi non est in potestate nostra, sed uo-

can-

cantium. Non *enim prohibetur aliena actio, sed propria, ac per hoc non uocari prohibetur, sed affectus ad nominis gloriam. Non prohibet* Do*minus uocari, sed uelle uocari.*

Non *est ergo absurdum ac inconueniens homini mortali ac caduco magisterij nomen tribuere, saluo honore Christi, qui quomodo unicus sit magister noster, abunde expositum est in confutatione* Apologi*æ* Velsii. *Quod autē subiungit* Velsius*, nos* Pap*æ tribuere quod errare non poßit, nec à fide deficere, quatenus nimirū* Pontifex *sit, & super cathedram* Petri *sedeat, ac pastorale munus exerceat, falsum esse ostendimus:*Nō *enim dicimus* Pap*ā errare nō posse, sed cathedram* Petri Romanam Eccle*siā errare nō posse.* Et *tamen quia propter sanctitatē pontificalis officij potest à* Deo *accipere gratiā ampliorem, quemadmodum de* Caipha *suprà dictū est, non esse necesse, ut ostendamus eum, uel eo certè tempore, & secundum eam saltem functionē ab omni peccato absolutum & liberum, si non debeat errare, cum* Balaam *auarus & simoniacus non solùm nō errauerit, sed & præclara uaticinia ediderit.* Sed *fieri nequit (ait* Velsius*) in quo sit erroris causa & quidē continens, in eodem nō simul & error inueniatur.* Erroris *aūt causæ nō solùm antecedentes, sed etiam continentes animi perturbationes sunt, uitia & peccata.* Nam *primum*

mum quidem de auaritia, sic apud Paulum legimus. Cæterùm qui uolunt ditescere, incidunt in tētationem & laqueum, &c. Ex quibus perspicuè cognoscere est, Paulū continentē causam omnium malorum (radicem enim eam nominat) sed & aberrationis à fide, pecuniæ studium & auaritiam, censere à spiritu sancto sic edoctum. Sed stultissima est hæc argutatio Velsii. Cui causa inest, & effectus. An nescit rectè seq: Effectu posito, necesse est causas proprias esse uel fuisse, sed non consequi, qualicunq; causa posita, statim adesse effectum? An nescit plusq̃ 12. diuisiones esse causarū? Sunt siquidē causæ per se, sunt causæ p accidēs. Et tñ ne causis quidē p se positis, necesse est semper effectū adesse, sed tātum causis per se positis in actu cum cæteris, necesse est sequi effectum. Et in genere causæ efficiētis, sunt causæ naturales, sunt uoluntariæ. In uoluntarijs, quæ ex uoluntate prodeunt, non seqtur effectus necessario, sed suspenditur uel coartatur ad certam speciem secundum deliberationem uoluntatis. Sunt causæ totales, sunt causæ partiales. In partialib9 ubi nō una tantum, sed multæ causæ cōcurrunt, ad positionē causæ, etiā naturalis, insitæ ui naturæ agentis, non sequitur effectus. Sic sunt causæ aliquæ propinquæ, aliquæ remotæ. Posita causa remota in subiecto, nō sequitur effectus. Apostolus docet radicē omnium malorum esse cupidita

tem

tẽ, & fieri ut interdum quidam eam appetẽtes, errẽt à fide. Hinc uerò inferre, ergo omnis cupidus errat in fide, est insanire. Nam rapi cupiditate nõ est causa totalis hæresis, nec causa per se sola, nec naturalis, nec propinqua, quomodo ergo Velsius inferet ex hac causa, Pontificẽ Romanũ cupiditatis uitio laborantẽ (ut demus talem aliquẽ fuisse, & si interim id nõ esset uitium põtificatus, sed personæ) ob id sequi necessariò omnẽ põtificem Romanũ errare in fide. Radix omnium criminũ est concupiscentia, hærẽs in mẽbris nostris, & tamen ob id non omnes omni genere criminũ sumus contaminati. Et qui in regeneratis reliquus est peccati fomes, radix est omnis peccati actualis, quod post baptismũ committitur, & tamen nõ sequitur, quòd ob id in baptizatis à baptismo adsint continuò peccata omnis generis, cum diuinæ literæ testentur, baptismo ablui & tolli omnia peccata, & si maneat fomes.

Præterea hæresis uel secta distinguitur contra luxuriam, auaritiã, & reliqua peccata, quæ Paulus enumerat ad Galatas cap. 5. & dicit esse opera carnis, non habent ergo easdem causas immediatas.

Et Apostolus arguit Corinthios, quòd cõmunicarunt cũ fornicarijs & auaris. 1. Corinth. 5. & 6. Interim tamẽ non solum Corinthios communicantes sceleratis, sed ipsos etiã sceleratos,

intus

intus esse dicit. Nónne (inquit) de ijs, qui intus sunt, uos iudicatis? Quod nemo dixerit de hæreticis, qui cũ ex nobis sint, ex nobis exierũt, intelligi posse. E quo dicto quoq; Paulino Lutherus confutatur, qui finxit, quod quisquis in mortali peccato est, is statim excommunicatus sit. Nam fornicatores & auaros Christianos intus in Ecclesia esse dicit Paulus. Confutatur quoq; Lutheri discipul⁹ Velsius, q in responsione ad interrogatorium uigesimũ fol. 77. falsò dicit, fœneratores, auaros, rapaces, blasphemos, periuros, ebriosos, gulosos, adulteros, scortatores, & id genus hominũ colluuiẽ, omnes de facto excõmunicatos esse, & tales, cũ quibus Paulus iubeat ut
1. Cor. 5. ne cibum quidem capiamus, quósq; negat regni
Gal. 5. Dei hæredes futuros. Sed hóc suo loco.

Ad hæc Apostolus expressè inquit 1. Cor. 13. Et si habuero omnem fidem, ita ut mõtes transferam, charitatem autem nõ habuero, nihil sum. Potest ergo esse in homine peccatore charitate destituto uera fides, quia dicit, si habuero omnẽ fidem, quam peccator habere potest absq; charitate. Porrò hunc locũ non de uulgari fide, sed de syncera, integra et solida intelligendũ esse, docent Origenes, Gennadius & Theophylactus. Videant ergo, qui eam à charitate non distinguũt, quàm rectè sentiant. Cæterùm si peccator charitate uacuus potest habere uerã & solidam fidẽ,

imò

imò tantã, qua poßit montes transferre, cur nõ poßit ambiguitates & quæstiones in fidei negotio obortas resoluere ac definire? Deinde nõ statim, quod quis ædificat super fundamentũ (quod est fides) lignum, fœnũ, stipulã, eo ipso amittit fundamentum. Feret is quidem suã pœnã (si pœnituerit) temporalẽ, sed ipse saluus erit, quod de hæretico dici nõ potest, in æternum damnato & damnando, nisi redeat ad ueram fidem Ecclesiæ. Libenter fatẽtur omnes sancti se peccatores, sed interim nolũt hæretici esse. Orat Chrysostomus communicaturus in Missa, appellans Christum: Neq; (inquit) osculum tibi dabo, quemadmodũ Iudas, sed ueluti latro ille cõfitebor tibi. Memẽto mei domine, cùm ueneris in regnum tuum. 1. Cor. 3.

Hoc non animaduertit Velsius, Paulũ non dicere: Radix omnium malorũ est cupiditas, quã omnis qui appetit, errat à fide, sed quam quidã appetentes errauerunt à fide, quẽ in modũ quoque in eadem epist. cap. 1. inquit.

Hoc præceptum cõmendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiã, habens fidem & bonã conscientiam. Quam quidam repellentes, circa fidẽ naufragauerunt. Quidã (inquit) non omnes. Falsum est ergo quod Velsius dicit hoc Pauli pronunciatum esse uniuersale. Nam licet cupiditatẽ dicat omnium malorũ radicem, tamen ab hac radice 1. Tim. 1.

dice non oriũtur semper in auaro actu omnia alia peccata, ita quòd necesse sit auarum infidelẽ
Matt.6. esse, aut hæreticum. Deinde quæ adfert ex Euangelio Mattthæi, sicut nihil faciũt cõtra nos, ita nihil prorsus pro Velsio. Ibi enim Dominus dehortatur nos ab auaritiæ studio dicens: Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra, &c. Quod uerò sequitur. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totũ corpus tuũ lucidũ erit. Si aũt oculus tuus fuerit nequã totũ corpus tuũ tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? ita accipiendũ est ut per oculum interiorẽ, & corpus morale nouerimus designatã rationem illuminatricẽ ac directricẽ, quia signatum est super eã lumẽ uultus diuini siue hominis intentionẽ & uniuersitatem seu congeriẽ operũ. Ratio enim illuminata, uel intẽtio recta multo melius hominẽ dirigit in agẽdo quã lucerna corporea corporis oculũ in eũdo. Si ergo oculus tuus fuerit simplex, hoc est, ratio nõ puersa, & intentio bona, totũ corpus tuum, idest, congeries operum tuorum erit lucida, pura & splẽdore uirtutum ornata. Si aũt oculus tuus nequã fuerit, si intentio obliqua, & ratio errabunda, totum corpus tenebrosum erit, quia opera tua erunt cõmaculata & uitiosa. Si ergo lumẽ quod in te est tenebræ sint, id est, si lumẽ rationis tuæ

tenebris

tenebris ignorãtiæ & peccatorũ ita obnubila-tur ac obscuratur, ut ipsa quoq; intentio peruer tatur, ipsæ tenebræ, ipsa peccata (quæ rectè dicũ tur opera tenebrarũ) quanta erunt? Erũt enim *duplici iure uitiosa, primò quidẽ, quia in se ma la sunt, deinde q̃a ex praua intẽtione facta sunt. Sed nemo (inquit) potest duob⁹ dominis seruire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet.* Nõ *potestis* Deo *seruire & mãmonæ.* Ex *quibus in-fert* Velsius, *obtenebrationis mentis, uniuersiq; animi pecuniæ studium (ut quod ad inferiora i-sta detrahens, auaritiæ sordibus totum eum op-pleat) causam à* Christo *constitui.* Neq; *uerò le-uem, sed grauißimam, cum dicat,* Ergo *si lumen quod in te est, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Verùm *de quibus tenebris loquatur domi nus, iam explicatum est.* E*sse autem pecuniæ stu dium causam obtenebrationis mentis, uniuersiq; animi, ad sensum expositum libenter admitti-mus. sed quod in omnibus qui pecunijs congre-gãdis student, sit causa aberrationis à fide, nun-quam comprobabit* Velsius.

Sed et quod dominus ait: Neminẽ *posse duo-bus dominis seruire, &c. q̃d hoc facit ad propo sitũ?* Non *enim loquitur de credulitate siue in-credulitate, sed fidei fundamento iam præiacto, & tanquã pro cõfesso ab omnibus habito, de su-*

per

per ædificandis bonis operibus, nimirum de ipsius Dei *famulatu, & seruitute dißerit.* Nemo *enim (inquit) potest duobus dominis seruire.* Nõ *autẽ ait:* Nemo *potest in duos dominos credere, sed nemo potest duobus dominis seruire, qui quum adinuicẽ contrarij sint, contraria & pugnantia iubent.* Duobus *autẽ inter se dißidẽtibus dominis, & contraria iubentibus seruire & obtemperare, est impoßibile.*

Quod deinde adfert Canonem 80. *Apostolis attributũ, libenter amplectimur, et omnino censemus in* Ecclesiã *reuocandũ, cui cõsentit* S. Paulus *in epist. ad* Timotheũ *dicens:* Nemo *militãs* Deo *implicat se negotijs secularibus, ut ei placeat, cui se probauit.* Quò *etiã respicit* Clementis *autoritas. Si enim quis mundialibus curis fuerit occupatus, non tam plenè atq; perfectè singulis quibusq; distinguere potest, quæ ad salutẽ pertinent, quẽadmodum ille qui liber & expeditus à negotijs secularibus, officio suo diligenter intendit.* Porrò *& si propter studium auaritiæ quis impediatur, quo minus cõmodè ueritati inueniendæ, cognoscendæ ac docendæ simul intẽtus sit, non tamen inde conficitur, eum necessariò errare in fide & naufragium pati.*

2.Tim.2.

Quod etiam adfert de uentris & uoluptatis studio, de fastu quoq;, ambitione & inanis gloriæ cupiditate, quid quæso faciunt ad rẽ? Mirũ

planè est Velsium tantum Philosophum, eundéq; Platonicum, quo hoc seculo, uel suo iudicio, non sit superior alter, concupiscentiam carnis & oculorũ, ignorasse alias habere causas propinquas, quàm habeat error in fide. Illa enim sunt uitia appetitus concupiscibilis appetente per infirmitatem uoluntate.

Error autem in fide, seu hæresis, ex mero prauo iudicio rationis, & electione corruptæ uoluntatis. Dicta est enim hæresis ab electione, quoniã unusquisq; eligit sibi sententiam, quam putat esse meliorem, secundum sanctũ Hieronymum in epistola ad Galatas.

Quæ ex Ioanne citat Christi uerba, dicentis ad Ioan. 5. *Iudæos. Quomodo uos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis? non ostendunt, fieri nulla ratione posse, ut in quo ambitio, honorumq; esset contentio, eum credere ac rectè de religionis ueræ ac fidei negotio constituere ualere. Multos enim uidemus ambitiosos & arrogantes, ueram & Catholicam fidem habentes, qui etiam plerunque contra aduersarios fidei miro ac feruenti zelo armantur, eamq; scriptis & prædicationibus defendunt, rectéq; negotia fidei & religionis tractant, qui tamen, quum sint ambitiosi, honoresq; affectant mundanos & humanos, duntaxat mortuam fidem habent, uacui charitate. Quamdiu er*

go in ambitionis ac uanæ gloriæ peccatis permanent, credunt quidem fide informi, non tamen possunt credere, fide formata uiua & operatoria. Vel dicendum est Christum illa uerba dixisse Iudæis incredulis, qui ideo credere non poterant in Christum, quia cum superba mens eorum, gloriã & laudem appeteret humanam, & meßyam suum crederent in gloria & maiestate regia temporaliter regnaturum, in Christum (qui pauper & abiectus erat in hoc mundo) credere non poterant. Nam (ut Theophylactus ait in persona Christi loquẽs) principes quidem & magistri, ipsi soli uolẽtes haberi apud uulgus, non accipient me, ne imminuatur eorum gloria. Populi autẽ, quærẽtes diligi à principibus, non me accedere uolunt, ut ne excidant, propter me, ab honore, quem à principibus habent. Vnde apud eundem Euangelistam

Ioan 12. *scribitur. Multi ex principibus crediderunt in eũ sed propter pharisæos nõ confitebantur, ut de synagoga nõ eijcerentur. Ista ergo fuit causa, cur Iudæi in Christum non crederent, nimirũ, ne gloriam quam abinuicem quærebant, amitterent, inde tamen non conficitur, eum qui in Christũ iã credidit, propter ambitionis uitium & gloriæ studiũ, cõtinuò in fide errare, atq; ab ea deficere.*

Iam uerò (inquit Velsius) quod & ira & odiũ consimili ratione, homines in tenebris constitutos

1. Ioan. 2. *esse faciant, Christo dilectus discipulus nos docet inquiens.*

inquiens. Qui dicit se in luce esse, & fratrē suū odit, in tenebris est usq; adhuc. Qui diligit fratrē suum in lumine manet, & offendiculum in eo nō est. Qui autem odit fratrum suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Atq; hinc quidem perspicuum esse arbitror, quod hæc & id genus alia uitia & peccata, erroris & in fide naufragij causæ sint, quibus nō sublatis, nec illa tolli posse perspicuū est. Iā ut dißimulem, Orestis quoddā somnium uideri, eam subito in Papis, fieri posse metamorphosim, ut quoties pastorale munus obeant, ab omnibus liberi et immunes protinus reddātur pturbationibus et peccatis, et sic ab ignorātia uindicētur et errore. Hactenus ille. Sed sciendū est hoc loco dilectū Christo discipulū, nō loq de tenebris infidelitatis & erroris, sed peccatorū. Nā in scripturis sanctis p tenebras designātur nonnunq̄ uitia & peccata, quēadmodū hoc loco, et in epist. 2. Cor. 6. ad Corinth. ubi dicit Paulus. Quæ societas luci ad Psal. 34. tenebras? Atq; in Psalmo. Fiat uia illorū tenebræ & lubricū. Qui ergo dicit se in luce esse, et fratrē suū odit, est usq; adhuc in tenebris peccati nimirū odij, & in tenebris peccatorū ambulat, qa omnia peccata tenebræ sunt, quæ Paul⁹ rectè appellat opera tenebrarū dicens. Abijciamus opera tenebra Rom. 13. rum, quòd de tenebris ignorantiæ & malitiæ proficiscantur. Nā omnis malis ignorans, tum etiam

separant, vel hæreticos vel schismaticos merito censeri.



Anctus Pet. apost. in priore epistola sua c. 3. dicēs: in diebus Noë cum fabricaretur arca, in ea paucos. i. octo animas saluas factas p aquā, & affirmās fideles similis formæ saluos facere baptisma, insinuasse uidetur, arcā illā typum gessisse Ecclesiæ. Vnde S. Cyprianus de simp. præl. Illius (nimirū Ecclesiæ) fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica. Vnam domum nouit, unius cubiculi sanctitatē casto pudore custodit. Hæc nos Deo seruat, hæc filios regno, quos generauit, asignat. Quisquis ab ecclesia segregatus, adulteræ iūgitur, à promißis Ecclesiæ separatur. Nec pertinet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, prophanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit euadere, qui extra arcam Noë fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, euadit. Monet dominus & dicit: Qui non est mecum, aduersus me est, & qui non mecum colligit, spargit. Qui pacem Christi & concordiam rumpit, aduersus Christum facit. Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. Et in sermone de spiritu sancto. Arcam illā, quæ Matt. 1

typum gerebat Ecclesiæ, *spiritussanctus & tunc regebat, & adhuc regit, extra quã, quisquis perfidus euagatur, inuolutus fluctibus mergitur in profundum & impoßibile est eum uiuere, cui nõ superfertur spiritus uitæ cuius uiuificus calor animat omnia, & fouet, & prouehit et fœcundat.* Et *libro primo epist. 6.* Quod *item circa* Raab, *quæ ipsa quoque typum portabat* Ecclesiæ, *expressum uidemus, cui mandatur & dicitur.* Patrẽ *tuum & matrem tuam, & fratres, & totam domum patris tui, colliges ad teipsam in domum tuam, & omnis qui exierit ostium domus tuæ foras, reus sibi erit.* Quo *sacramento declaratur, in unã domum solam, id est, in* Ecclesiam *uicturos, & ab interitu mundi euasuros colligi oportere.* Quisquis *autẽ de collectis foras eiecerit, id est, si quisquam in* Ecclesia *gratiam consecutus recesserit, & ab* Ecclesia *exierit, reum sibi futurum, id est, ipsum quod pereat imputaturum.* Hieronymus *in epistola ad* Damasum. Quicunque *extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca* Noë *non fuerit, peribit regnante diluuio.* Lactantius *libro 4. diui. instit. ca. 30.* Sola *Catholica* Ecclesia *est, quæ uerum cultum retinet.* Hic *est fons ueritatis, hoc est, domiciliũ fidei, hoc templum* Dei, *quo si quis non intrauerit, uel à quo si exiuerit, à spe uitæ ac salutis æternæ alienus est.* Neminem *sibi oportet, pertinaci concertatione blandiri*

blandiri. Agitur enim de uita & salute, cui nisi cautè & diligenter consulatur, amissa & extincta erit. Sed tamen quia singuli quiq; cœtus hæreticorum, se potißimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est illam esse ueram, in qua est religio, confeßio, & pœnitentia, quæ peccata & uulnera, quibus est subiecta imbecillitas carnis, salubriter curat. Aug. epi sto. 50. ad Bonifaciũ comitem. Iustus hic nemo iu stitia sua, id est, tanq̃ sibi à seipso facta, sed ut dicit Apostolus, sicut unicuiq; Deus partitus est mẽ suram fidei, sequitur aũt & adiungit. Sicut enim in uno corpore multa mẽbra habemus, omnia aũt mẽbra non eosdẽ actus habent, ita multi unũ corpus sumus in Christo, ac ꝑ hoc nemo poterit esse iustus, quãdiu fuerit ab unitate huius corporis separatus. Quemadmodũ enim membrũ si præcidatur ab hominis uiui corpore, nõ potest tenere spiritũ uitæ, sic homo qui præciditur de Christi iusti corpore, nullo modo potest spũm tenere iustitiæ, etiã si figurã mẽbri teneat, quã sumpsit in corpore. Et iterũ ibidẽ de Donatistis loquẽs. Multo magis isti, eũ (nimirũ spiritũ sanctũ) nõ acceperunt, ubi à corporis cõpage diuisi, quod solũ corpus uiuificat spũs S. extra ecclesiã, & cõtra ecclesiam, ecclesiæ sacramẽta tenuerũt, et tanq̃ ciuili bello nostris cõtra nos erectis signis armisq; pugnauerũt. Et circa finẽ. Nõ quærãt (inqt) spũm S. nisi in

Rom. 12.

Christi corpore, cuius habent foris sacramentũ, sed rem ipsam nõ tenẽt intus, cuius est illud sacramentũ, et ideo sibi iudiciũ mãducãt et bibũt. Vnus
1, Cor. 10. enim panis sacramẽtum est unitatis, quoniã sicut Apostolus dicit: Vnus panis, unum corpus multi sumus. Proinde Ecclesia Catholica sola est corpus Christi, cuius ille caput est saluator corporis sui. Extra hoc corpus neminem uiuificat spiritussan-
Rom. 5. ctus, quia sicut ipse dicit Apostolus. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritũ sanctũ, qui datus est nobis. Non est autem particeps diuinæ charitatis, qui hostis est unitatis. Non habent itaq; spiritum sanctum, qui sunt extra Ecclesiam.
Iud. 1. De illis quippe scriptum est. Qui seipsos segregant, animales, spiritum non habentes.

Quæ cum ita sint, merito censentur hæretici uel schismatici omnes illi, qui se ab ea destinata mentis alienatione separant. Dixi autem destinata mentis alienatione, quia error in fide non facit hæreticum, sed destinata mentis electio ac alienatio. Nam hæresis Græcè, autore Hieronymo, ab electione dicitur, quòd scilicet unusquisq; sibi eligat, quod ei melius esse uideatur. Quod ante eum Tertullianus, in libro de præscrip. hæret. asseruit, dicens, hæreses dictas Græca uoce, ex interpretatione electionis, qua quis ad instituendas, siue ad suscipiendas eas utitur. Solet etiam communiter dici, errorem non facere hæreticum, sed pertinaciam.

ciam. Porrò schismaticus ille reuera est cēsendus, qui destinata mente unitatem diuidit ac rumpit Ecclesiæ, q capiti Ecclesiæ se subdere recusat, & cōiungi alijs Ecclesiæ mēbris, capiti cohærētibus.

Sed iam expendendum est, quid Velsius huic interrogationi respondeat. Et quidem primo & per se, utrumq; de inuisibili Ecclesia, quod hic interrogatur, dicit uerum esse. Sed nos superius, quid de illa inuisibili Ecclesia, sentiendum sit, abū de demonstrauimus. Quod uero dicit, secundò atque per accidens (ob id nimirum, quod mortali hoc corpore circundati, materiali quadam manuductione, uerbi Dei externa & auribus percipienda doctrina, & sacramentorum recto usu, ad internum hominem excitandum, ueraq; salutarium præceptorum ac rerum cognitione & scientia imbuendum, ac nobis in Christo oblatæ gratiæ participem reddendum indigeamus) de externa illa & uisibili Ecclesia rectè dici, quam superius ex 4. cap. ad Ephesios descripsit, nec nos negamus. Nam in tali Ecclesia superius asseruit tam malos quā bonos inueniri. Sed nos superius quoque ostendimus, esse quidem notas illas Ecclesiæ proprias, sed non adeō claras & sufficientes, ut sufficiant ad ueram catholicam Ecclesiam demonstrandam.

Deinde quid sentiat de Romana Ecclesia aperit. De Antichristi (inquit) Ecclesia, Romana, in-

quam Tyrannide,si id intellectum uelint, ut certè uolunt,tantùm abest,ut utrumq; uerum esse statuam, ut eius contrarium potius asseram, in ea, quatenus nimirum à Christo, eiusq; uera doctrina,& recta sacramentorum usu desciuit,& portentosa Paparũ Antichristorũ,*horũq; satellitum sophistarũ decreta et abominabiles abusus,cũ horrẽda idolomania amplexa est(nã secundũ hoc* An*tichristi ecclesia cẽsetur,nõ secundũ ea,quæ ueteris adhuc et ueræ religiõis in ipsa licet euanida ꝓpemodũ cernũtur uestigia,ut in homine quantum uis malo,diuinæ imaginis,ob ratiõis et mẽtis uim) neq; salutẽ, neq; remißionẽ esse peccatorũ, parũ dixi,dicere debebã, pestẽ ac pniciem esse,& peccatorũ grauißimã accumulationẽ.* Eamq; *ob causam,qui se ab hac,secũdũ id quod dictũ est,nõ corpore,sed animo,sancteq; & innocenter secundùm Christi præcepta ducendæ uitæ proposito, & ut ipsi loquũtur,destinata mẽtis alienatiõe,separat, hunc ego nec hæreticum, nec schismaticũ iudico, sed uerè* Catholicũ,*ut q* Ecclesiæ Catholicæ *uocẽ audit,quæ inqt.*Exite *ex ipsa populus meus, etc.*

Apoc. 18. Nos *certè hoc interrogatoriũ de ecclesia catholica et apostolica intellectũ uolumus, cuius caput uicariũ in terris est* Rom.Pont.*&* Romana *ecclesia principalis,quã* Velsius *hæreticorũ more,* An*tichristi* Ecclesiã Romanã *appellat tyrannidẽ, in*

Lib 1.epi. 5. *hoc sese declarãs seruũ diaboli,qui est aduersari*

Christi

Christi, & Ecclesiæ inimicus, qui ab hoc (ut Cyp. ait) Ecclesiæ præpositum, sua infestatione persequitur, ut gubernatore sublato, atrociùs atq; uiolẽtiùs, circa ecclesiæ naufragia grassetur. Et paulò ante. *Cũ talis (inquit) à quibusdã despatis & pditis, & extra ecclesiã cõstitutis, impugnari uidetur, apparet quis impugnet, nõ scilicet Christ⁹, q sacerdotes, aut cõstituit, aut protegit, sed ille qui Christi aduersarius, & ecclesiæ eius inimicus*. Deinde quod negat in ecclesia Romana utrũq; inueniri, quatenus nimirũ à Christo eiusq; uera doctrina, & recto sacramentorũ usu desciuit, nullo mõ admittimus neq; Velsius uel probat, uel unq̃ probare ac ostendere poterit Romanam Ecclesiam defecisse à Christo eiusq; uera doctrima & recto sacramentorum usu.

Quod deinde dicit hãc Romanã ecclesiã portẽtosa papistarũ Antichristorũ, horũq; satellitũ sophistarũ decreta, & abominabiles abusus cũ horrẽda idolomania amplexã eẽ, & pestẽ ac perniciẽ esse & peccatorũ grauißimã accumulationẽ, falsißimũ est, nihilq; aliud hæc uerba sonant, quã uirulẽti & maledici hominis excogitata mendacia. Nõ enim decreta Romanorũ Pontificũ portẽtosa sunt, sed iuri & æquitati consentanea, neq; idolomania est, quod amplexa est Romana ecclesia, sed uerus cultus dei et sanctorũ unde nõ est dicẽda pestis atq; pnicies, sed salutaris doctrinæ magistra.

Si qui sunt in ea abusus, & si quæ ibi committuntur peccata, ea nos defendere nolumus, neq; eam ob causam nos ab hac, neq; corpore, neq; animo separamus, quia (secundũ S. Augustini sententiam) propter paleam, non relinquimus arem domini, neq; propter pisces malos rumpimus retia domini, neq; propter hædos in fine segregandos, deserimus gregem domini, neq; propter uasa facta in contumeliam, migramus de domo domini. Nam *quisquis in in hac* Ecclesia *benè uixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia communio malorum, non maculat aliquem communione sacramentorum, sed consensus factorum. Ad frumenta (inquit iterum* Aug. *) crimen non pertinet.* Neque *considerantes, quia quibus mali placent in unitate, ipsi communicant malis, quibus autem displicet, & eos emendare non possunt, neque ante tempus meßis audeant zizania eradicare, ne simul eradicent & triticum, non factis eorum, sed altari* Christi *communicant.* Ita *ut non solum non ab eis maculentur, sed etiam diuinis uerbis laudari prædicariq; mereantur, quoniam ne nomen Christi per horribilia scismata blasphemetur, pro bono unitatis tolerant, quod pro bono æquitatis oderunt. Si habent aures audiant, quid spiritus dicat* Ecclesiæ.

Epist. 48 ad Vincētium.

Epist. 162.

Porrò *quisquis ab hac* Ecclesia *catholica fuerit separatus, quantumlibet se laudabiliter uiuere existi-*

re existimet, hoc solo scelere, quod à Christi unitate seiunctus est, non habebit uitam æternam, sed ira Dei manet super eum.

Quod autẽ Velsius ex Apoca. Ioannis adducit uocem angeli de cœlo dicentis. Exite de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Non de Ecclesia Romana, sed de ciuitate diaboli intelligitur, quæ est regnum peccati, principatus mundi, latrocinium diaboli, de qua pij egredi debent, ruptis uinculis peccatorum. Apoc. 18.

Vnde libenter audimus ac gratanter suscipimus uerba Pauli dicentis. Nolite iugum ducere cũ infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cũ iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial. Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei uiui, sicut dicit Deus. Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorũ Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, & separamini dicit dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam uos, & ero uobis in patrem, & uos eritis mihi in filios et filias, dicit dominus omnipotens. Optamus ex animo, ut uox hæc non tantũ ad aures hominum perueniat, sed ipsam mentem penitus peruadat, homines ab errore uiæ suæ reuocans, ne quid fortè imprudem 2. Cor. 6.

prudentibus huiusmodi accidat, cuiusmodi tertius minatur angelus, qui inquit. Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de uino iræ Dei *quod mixtum est mero, in calice iræ ipsius.*Sed *per bestiam illam non* Papa Roma*nus, sed intelligendus est* Antichristus, *qui pulchrè bestia dicitur (secundùm doctißimum* Rupertum) *quia erit secundùm operationem satanæ,*Deo *& omni creaturæ infestus, secundùm proprietatem siue etymologiam appellationis, quia bestia, quasi festia dicitur, per antiphrasim, eò quod infesta sit.*

Apoc. 14.

DE PRIMATV PETRI & Ecclesiæ Romanæ.

5

Quintò, an credat sancti Petri (cui in genere dictum est. Pasce oues meas) cathedram, quæ Romana est Ecclesia, inter cæteras omnes principalitatem obtinere, & ab ea vnitatem sacerdotalem vt Cyprianus ait) & Ecclesiæ catholicæ pendere.

Christi


Hristi regnũ Ecclesia catholica, supra à nobis descripta, et suis no ris depicta, regnũ est ornatissimũ nõ Babylonica cõfusio, nõ cõfusa multitudo, sed q̃ à propheta sub noĩe Hierusalẽ describitur, quæ cõdita est uelut ci uitas quædam nobilissima, cuius ciues in unum co eunt, in quam ascendunt tribus tribus domini, ad confitendum laudem nomini domini, in qua etiam consistit iudicij solium.

Quanquam autem in hoc regno suo, dominari debeat unus Christus, legifer, rex, & Imperator noster, ipse tamen abiens in regionem longinquam, Petrum sua uice illi præfecit, illiq́; tradidit claues eiusdem, hoc est, illud ipsum regendi et gubernandi autoritatem, illum eius pastorem & rectorem pronunciauit. Hoc enim requirebat ac expostulabat ipsa necessitas, (quemadmodum est dictum) ut eò commodius conseruaretur in hoc regno, necessaria illa communicatio membrorum omnium, & illa connexo unitas & conspiratio, ad totius salutem & utilitatem, ob quam unumquodque membrum, suum proprium commodum & propriam salutem debet negligere. Et certè multis rationibus congruebat, ut unus uice capitis toti præsideret Ecclesiæ. Sic enim in synagoga, quæ fuit umbra duntaxat Ecclesiæ præfuit unus qui & princeps sacerdotũ dicebatur, sub quo multi

multi gradus & ordines fuerunt. Ecclesia quoq; triumphans, cui uelut exemplari nostra militans respondet, unum habet præsidem Deum, sub quo nouem angelorum ordines esse, notißimum est. Quomodo igitur Ecclesia (quæ media inter umbram & exemplar est, ex una quidem parte respiciens umbram, ex altera uero spectãs exemplar) carere potest unitate præsidis? Porro absq; ulla demonstratione hoc ipsum, ipsa loquitur rei euidentia, quia nec fingere quisquam potest, alium esse aut fuisse, quàm Petrum, & qui eius locum obtinet, quem pastorẽ rectoremq; ouilis sui Christus esse uoluerit, & principantem in corpore societatis Ecclesiasticæ. Sine quo ut nec ad momentum potuisset subsistere & conseruari illa eius unitas, ita ab initio Petrus, nec alius Apostolorum quisquam pro tali se geßit, & pro eodem recognitus fuit ab uniuersa toto orbe Christi Ecclesia. Quod etiam ex eo cuiuis perspicuũ esse potest, quod necessariam hanc principantis aut rectoris in hoc Christi regno authoritatem, nisi ex Christi commißione, nemo sibi arrogare potest. Neq; enim humana hæc est, sed diuina authoritate congregata societas, nõ hominum humani conuictus causa congregatorum, sed Christi est regnum, cœlestis regni assequendi gratia, hic præparatum hominibus. Nam non nisi ex hoc regno ulli patet aditus ad regnum cœlorum. At nulli singula-

gulariter Apostolorum omnium, quam uni Petro, Christus quicquam dixisse legitur, ex quo sibi quisquam præ alio, potuisset hanc authoritatem sibi præsumere, cum tamen hoc necessariò requireret principantis in uno corpore unitas. Sed 1
uni Petro, in Apostolorum omnium præsentia, promisit se daturum, illius regni sui claues, hoc est, gubernãdi autoritatem, qua in eodem regno, quicquid statueret, ligaret, aut solueret, hoc ipsum se ratum habiturum in cœlis. vni illi præsen- 2
tibus cæteris, singulariter tamẽ præ cæteris, commisit, ut fratres confirmaret, dubios & errantes in fide corroboraret. Et quo hoc posset certiùs, rogauit patrem pro eodem, ne fides eius deficeret. Vni singulariter Petro, iam iam ascensurus
ad cœlum, in cæterorum Apostolorum & disci- 3
pulorum præsentia, uniuersi ouilis regniq; sui etiam ter commißione repetita, mandauit curam & regimen. Solum omnium Petrum Cepham 4
pronũciauit, hoc est, saxum, petram, aut rupem, super quam affirmauit se ædificaturum Ecclesiam
suam. Euangelia quoq; ei primus ubiq; partes tri 5
buunt. In soluendo didrachmate, Petrus solus præ
cæteris Apostolis Christo adiunctus est. Nomi- 6
natim ad Petrum angelus mulieres dominicæ re-
surrectionis nuncias misit. Cum currerent Pe- 7
trus & Ioannes, præcurrẽte licet Ioanne, Petrus
tamen primum sepulchrum Christi ingressus est. 8

In surrogatione S. Matthiæ Apostoli in locum Iu
9 dæ proditoris, Petrus totiꝰ rei gestæ, author præ
cipuus fuit. In die sacro Pentecostes, solus Petrus
10 concionem habuit. Solus Petrus, licet adesset Io=
annes, claudum sanauit. Solius Petri eximia qua=
dam potestate Ananias et Saphira, subitanea mor
11 te intereunt. Petri miracula singulariter præ cæ=
terorum miraculis describuntur. Petrus in Cæsa=
12 rea, solus uisionem uidit, de gentium uocatione ac
admissione ad fidem. In synodo Hierosolymita=
13 na, suam sententiã Petrus primùm dixit. Ex qui=
bus omnibus, facilè intelligi potest, Petrum fuisse
14 principẽ nõ solũ apostolorũ, sed et caput totius ec
clesiæ. Quod ut pleniùs intelligatur, cuncta ex or
15 dine sacrarum literarum testimonia, resumemus,
ac fusiùs explicabimus.

Principio diximus CHRISTVM *uni Petro promisisse in præsentia omnium Apostolorum, regni sui claues, hoc est, gubernandi authoritatem, & cæ.* Matt,16. *Cum enim Petrus confessus fuisset* CHRISTVM *filium Dei, inter cætera dixit ei* CHRISTVS. *Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Nónne hic perspicuum sit,* CHRISTVM *claues regni cœlestis, nulli reliquorum Apostolorum, qui tamen præsentes erant, sed uni Petri promisisse ac postea dedisse? Tibi (inquit) dabo claues. Porrò Deus fidelis est in promßis,*

promißis, & quia ueritas est, mentiri nequit, quod ueraciter pollicitus est Petro, reipsa exhibuit. Dedit autem ei claues, quando fecit eum pastorem Christiani ouilis dicens pasce oues meas, Ioannis uicesimo primo. Nec solam ad personam Petri spectat hæc potestas, sed etiam post Petrum, perpetuò conseruatur in eius Cathedra Romana Ecclesia, & hæreditaria quadam succeßione trãsit in Petri successores. Cum enim Ecclesia, non confusa quædam & indigesta congeries, sed esse debeat ordinatißima Christianorum congregatio, in qua uarios gradus & ordines esse constat, qui ad unum ceu caput & principem referendi sunt. Christus uoluit eam à Petro sumere exordium, & ab ipso per succeßiones continuas ad finẽ usq; seculi perdurare. Compertißimum nãq; est, Pontifices summos alterum post alterũ hactenus in Ecclesia succeßisse, nec interruptam fuisse succeßionis huius continuam progreßionẽ, ad hunc usq; diem. Qua succeßione præter cætera sanctus Augustinus contra epist. Manichæi quam fundamenti uocant cap. 4. scribens, non mediocriter in fide se coroboratũ fuisse testatur, atq; in Ecclesiæ gremio stabiliter fuisse retentum. Tenet me (inqt) ab ipsa sede Petri (cui pascẽdas oues suas post resurrectionẽ dñs commẽdauit) usq; ad præsentẽ Episcopatũ, succeßio sacerdotũ. Porrò claues illas regni cælorũ tũc uni Petro ꝓmissas intelligũt

omnes, uniuersam ipsam Ecclesiasticam *potestatem, quæ uniuersa illa comprehendat, quæcunq; nobis hominibus, ut efficaciter dirigeremur ad cœlestem illam hæreditatem consequendā (qui finis est societatis, & hierarchiæ* Ecclesiasticæ*) fuerant necessaria, ligandi, inquam, & soluendi, dimittendi et retinēdi peccata hominibus, cæteraq; uniuersa, quæcunq; ad conseruandam catholicam Christi* Ecclesiam *in unitate religionis & fidei, eandemq; dirigēdam in finem suū, quem diximus, fuerant necessaria. Quæ qualia sint aperit* Christus *claues regni cœlorum appellans à fine, tā congregationis, quam autoritatis* Ecclesiasticæ, *simul & augustam eius potestatē magnificentiāq;, hac ueluti elocutionis metaphora explicans, ut quæ in terris existens, etiam in regnum cœlorum uim suam exerat, eóque nos dirigat, promoueat & introducat.* Porro *illam potestatem clauium, uelut particulatim explicare incipiens, iudiciariam imprimis aut iurisdictionis eius autoritatem statuit, subiūgens continuò ad* Petrum. Et *quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Quibus uerbis luculentißimè demonstrauit, autoritatem* Petri *& imperium, nulla coarctatum certa prouinciā, nullis circumscriptum esse certis limitibus. Quia quicquid ligaueris (inquit) super terram, orbem uidelicet terræ*

terræ uniuersum, eius autoritati subijciens & imperio. Deinde *non restrictam ad unum aliquid, aut alterum, sed uniuersalem illi omnium, quæ in* Ecclesiastica *domo dispensanda, constituenda, & ordinanda forent, authoritatem attribuit dicens:* Quodcunque *ligaueris, ligatum erit.* Qui dicit. *quodcunque, nihil excipit omnium.* Ligat *autem nos, non finibus aut catenis, sed uinculo obligationis & præcepti.* Quod *enim ille tanquam commodum & utile ad* Ecclesiasticæ *societatis finem constituit, præcipit atq; ordinat in* Ecclesiastica *domo, ad hoc obseruandum obligamur omnes, qui eiusdem sumus ouilis* Christi *& familiæ.* Si *quid uero antè laudabiliter constitutum, temporum pòst occasione aliud exigente, soluitur ab ecclesiasticæ hierarchiæ præside, hoc ipsum iam liberum factum est, cum prius obligaret.* Et *ne quis tanquam humanas tantùm eiusmodi obligationes paruipenderet, affirmat in cœlis, hoc est, coram* Deo *ligatum, quicquid ligauerit* Petrus, *coram* Deo *eiusdem nos obligari uinculis & præceptis, eisdem nos obedientiam debere.* Non *est autem* Christus *hic locutus, hisce uerbis ad* Petrum, *aut de potestate excommunicandi, aut dimittendi & retinendi hominibus peccata.*

Sed potestatem dimittendi peccata hominibus, Apostolis *& discipulis omnibus indifferenter post resurrectiõem suam contulit dicens:* Ac-

Ioan.20. *cipite ſpiritum ſanctum. Quorum remiſeritis pec-cata, remittuntur eis, & quorum retinueritis re-tenta ſunt.* Hæc autem poteſtas remittendi & reti-nendi peccata, toto genere diuerſa eſt, à poteſtate Petro tradita, & etiam diuerſa utriuſque ope-ra. Authoritatis Petri præcipuum opus eſt li-gare, huius peccata remittere, illi quaſi priuati-uè opponitur ſoluere, huius uerò retinere, hoc eſt, non remittere. Videt ut hæc toto genere di-uerſa ſunt? Hæc authoritas ſacerdotibus omni-bus competit, illa data eſt uni Petro, ubi dictum eſt. Poteſtas etiã dimittẽdi hoĩbus peccata, et excõ-municãdi, cõprehendũtur in poteſtate clauiũ, ſi-cut partes in toto. Quãdoquidẽ illa excõmunicãdi poteſtas, nõ eſt aliqua ſingularis, Eccleſiæ autho-ritas, ſed cõſequitur ex hac quã mõ adſtruximus, uniuerſali poteſtate clauiũ. Nam in excommu-nicatione nihil aliud facit Eccleſia, quam quod putrida membra ſua, hoc eſt, Eccleſiaſticæ au-thoritati contumacia, ordinem eiuſdem & di-ſciplinam diſſoluentia, & quæ nolunt obedi-re monenti, & præcipienti Eccleſiæ, à ſe abſcin-dit, ſimul interdicendo ſuis fidelibus, ne eiſdem, communicent, quo confundantur et cogantur re-uerti ad cor, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſe humi-liter ſubmittere. Quæ planè uniuerſa includun-tur in illa uniuerſali poteſtate clauium, hoc eſt, authoritate eius qui præſidet Eccleſiaſticæ do-

mui.

mui. Qui ſicut pro Eccleſiaſticæ ſocietatis fine, il lis qui intus atque in eadem domo ſunt, interdicere poteſt, ne communicent ijs, quos ipſe notauerit, tanquam domeſticæ tranquillitatis & diſciplinæ perturbatores, ita poteſt & alia uniuerſa, quæcunq; ad eundem finē pertinent. Quod ipſum clariſsimè innuit Chriſtus, Matthæi *cap.* 18. *Vbi &* Eccleſiæ *ſimilē quandam authoritatē nobis cō mendat, modum docēs, & ordinem præſcribens, corripiēdi in nos peccantis fratris, quē noſtra cor reptione non emēdatum, iubet denunciari* Eccleſiæ. *Si (inquit)* Eccleſiam *non audierit, ſit tibi tanquā ethnicus et publicanus, authoritatē hoc ipſo nobis commēdans præcipiētis* Eccleſiæ, *et ſuo præ cepto nos ad aliquid conſtringētis. Si (inquit)* Eccleſiam *non audierit, hoc eſt, præcipiēti* Eccleſiæ *non obedierit. Sed quare nobis ut ethnicus & pu blicanus habēdus eſt, ſi qs cōtumaciter eſt inobedi ens eccleſiæ, ipſe rñdet et docet Chriſtus. Quia (in qt) quæcūq; alligaueritis uos, eccleſiā cōſtituētes & repræſentātes, hoc eſt, quæcūq; alligauerit eccleſia, ſuæ præceptiōis uinculo (neq; enim alia uin cula, neq; alios funes habet, qbus fideles alliget) li gata erunt et in cœlo. Quaſi diceret.* Non *ſolùm hac in re* Chriſtianus *quilibet, obedientiam debet* Eccleſiæ, *ſed in omni præcepto.* Non *enim ſolùm, quod hac in re ligat, ſed quæcunque alligat, coram* Deo *etiam ligata ſunt. Quæcunque (inquit)*

ſubintelligendum, ad Eccleaſt*icæ ſocietatis finem conſequẽdum, ordinata & commoda.* Nos tamen *præcipiendi* Eccleſi*æ, ſimpliciter in omnibus obedire tenemur, & non de præceptis eius, an ad finem ſuum conducant ſuperbiæ & rebellionis inflati ſpiritu, temerè iudicare.* Quare & *à nobis obedientiam, erga præcipientem* Eccleſiam *exigens, nihil prorſus excepit, ſed quæcũq; (inquit) alligaueritis uos, exiſtentes* Eccleſia, *ligata erũt & in cœlo.*

Secundò diximus, uni Petro, *præſentibus cæteris, ſingulariter tamẽ præ cæteris, commiſſum à*
Luc. 22. *Chriſto ut fratres confirmaret, dubios & errantes in fide corroboraret.* Et quò *hoc poſſet certiùs, Chriſtum pro* Petro *patrem rogaſſe, ne fides eius deficeret.* Hic *ſi reuocentur ad memoriam, quæ ſuperiùs circa hæc uerba dicta ſunt, de indefectibili fide* Romanæ Eccleſi*æ, facilè etiam intelligemus eiuſdẽ authoritati eſſe, ſubortas de fide & religione controuerſias & quæſtiones, dogmaticè diffinire, & hoc eſſe ſingulare priuilegium, cathedra* Petri *conceſſum.* Ad *illius enim autoritatem, Chriſtus uoluit pertinere, dubia, controuerſiaſq́; quæ inter Chriſtianos de fide & religione Chriſti, oriuntur, definire, & ad illius iudiciũ in omni ambiguo difficiliq́; negotio nos recurrere uoluit, cui claues regni cœlorum tradidit, cui commiſit* Eccleſi*æ ſuæ gubernationem*

&

& regimen, et super eandem, plenißimam autho ritatem impartitus est. Vides itaq; quale priuilegium Christus uni Petro atque eius cathedræ, sua oratione impetrauerit, ne uidelicet ad fratres cõfirmandos in fide, deficeret eius fides. Quæ tamen Christi oratio, pro illo statu & tempore, nõ tam ad solum Petrum pertinuisse uidetur, qui nõ multo post Christum ter abnegauit, quàm ad sequentem statum Ecclesiæ, cum abiens à nobis Christus in cœlum, Petrum super uniuersam familiam suam pastorem constituit, quam illius curæ etiam tertiò repetita diligenter commendatione commisit. Quod eisdem ipsis uerbis suis satis innuit dicens: Et tu aliquando conuersus, innuens uidelicet eum prius defecturum in fide, sed deinceps eius fidem, eius inquam, & qui locum eius tenerent, ecclesiasticæ hierarchiæ præsidum, non defecturam aliquando, ad Ecclesiæ confirmationem. Nisi forte uanam & inefficacem illam Christi orationem quis fuisse contendat, quod absit. Porrò si uerba Euangelistæ paulò altiùs repetamus & excutiamus, inueniemus hic Christum Petro sublimiorem quandam authoritatem suprà cæteros Apostolos tribuisse. Cum enim facta esset inter Apostolos contentio, quis eorum uideretur esse maior, Christus exemplo suo uolens docere, quem in modum is se gereret, q maior inter eos esset futurus, mox ad Petrum conuersus ait: Simon, ecce satanas expetiuit

petiuit uos, ut cibraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. An non his uerbis, palàm tribuit Christus Petro, maiorem quandam præ cæteris sublimitatem? præsertim cum protinus ut docuerat, quemadmodum is, qui maior esset futurus, seipsum gereret erga cæteros, subiecit, satanã oẽs illos expetiisse, se tamen orasse pro Petro, quatenus fides eius non deficeret, ut sic tandẽ ipse conuersus, confirmaret et cæteros. Nisi enim ita se habere dixerimus, insoluta manebit quæstio, quis Apostolorum uideretur esse maior. At ad hunc modum, plenè erit dissoluta. Nam eum haud dubiè, qui cæteros confirmaret, maiorem instituit. Deinde licet Christus sæpe Apostolos ad humilitatem inuitet, dicendo. Qui maior est in uobis, fiat sicut minor, & q̃ præcessor, sicut ministrator, tñ inter eos affirmat esse quendam maiorem & principem, quod palàm cõtra aduersarios facit. Et cum dicit. Reges gentiũ dominantur eorum, &c. uos autem non sic, & c. non tulit omnem superioritatem aut iurisdictionis authoritatem unius suprà alios, sed potius uoluit, ut esset aliquis inter illos maior & primus, quod illis ipsis uerbis apertè innuit, sed uoluit, neminem suiipsius causa, suæ dominationis, sui honoris gratia, ambire debere eiuscemodi primatũ. Non enim dixit. Nemo inter uos sit altero

maior,

maior, princeps, rex, aut primus, sed onus & officiũ principatus, ut à Christiano atq; inter Christianos geri debeat, describit. Non enim debet is qui præest, siue ciuiliter politicéq;, siue in hierarchiá Ecclesiastica, præesse sibi, nimirũ ad suã gloriã, honorẽ, libidinẽ, ostentationẽ & commodum (hoc enim nõ esset legittimã potestatẽ exercere, sed tyrãnicã) sed ad solã utilitatẽ eorũ qbus præest, & ad solius Christi filij Dei honorẽ et gloriã. Ioan.21.

Tertiò diximus, uni singulariter Petro, in cæterorũ apostolorũ et discipulorũ præsentia, Christũ cũ iã iã cõscensurus esset cœlũ, uniuersi ouilis & regni sui, etiã ter cõmißione repetita, curã & regimẽ cõmendasse. Dixit (inquit) Euãgelista Ioannes) Simoni Petro Iesus. Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei. Etiã dñe, tu scis, quia amo te. Dicit ei. Pasce agnos meos. Dicit ei iterũ. Simon Ioannis, diligis me? Ait illi. Etiã dñe, tu scis quia amo te. Dicit ei iterum: Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò. Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me, & dixit ei. Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia amo te. Dicit ei. Pasce oues meas. Hactenus sacer euãgelista et apostolus Ioãnes. Quib⁹ planè uerbis, Christus abundè testatus est, se totũ ouile suũ, hoc est, Ecclesiã uniuersam una cũ agnis & ouibus, administrationi Petri cõcredidisse. Quẽadmodũ enim olim Moyses cõscẽsurus in montẽ, ut cũ Deo colloquium Exod. 24.

quium

quium haberet, post se reliquit Aaron, cui & uices suas super curanda plebe commisit, Sic & post passionem suam Christus, cœlestem monte ad patre conscensurus, Petro omnium ouium suarum cura tradidit priusquàm enim cœlum ascedisset, Petro suum gregem pascendum commendauit, & id no oscitanter, sed seriò, tertiò repetita commissione. Ter enim cæteris illic præsentibus, Petrum percontatus est, num plusquam illi se diligeret. Simo Ioannis (inquit) diligis me plus ijs? Soli Petro loquebatur, & præsentes cæteros indicabat. Nec erat alius quisquam inter eos, qui Simon Ioannis uocabatur. Ad solum ergo Petrum hæc interrogatio spectabat, qui etiam præ cæteris, magis dilexit Christum. Diligis (inquit) me plus ijs? Si ergo conferamus diligenter hæc adinuicem, perspiciemus nullam umbram suo corpori congruere posse magis, exactiusque respondere, quam umbra illam Iudaicam administrationis rerum Christianarum ueritati. Sed & hoc obseruandum est, Christum hic duobus uerbis usum fuisse, quorum alterum significat pascere & regere, alterum pascere duntaxat. Inficiari enim nemo potest, quin duplici uerbo Christus sit usus. Bis enim dixit βόσκε, quod est, pasce, & ποίμαινε quod est, uel rege, uel pasce. Quod uerbum etiam habetur in secundo Psalmo. Reges eos in uirga ferrea. Vbi Græce scriptum est. ποιμανεῖς. Similiter in Act. Apost. cap.

20. *inquit Paulus ad maiores natu* Ecclesiæ Ephi*sinæ. Attendite uobis & uniuerso gregi in quo uos spiritussanctus posuit* Episcopos, *regere* Ec*clesiam* Dei, *quam acquisiuit sanguine suo.* Vbi *pro uerbo regere, habetur* ποιμαίνε. Quod *ergo* Christus *ait:* ποίμενε τὰ πρόβατα μȣ̃, *si quis ad uerbum interpretur, est, rege oues meas,* ποιμαίνω *certè utrunq; significat, & pascere & regere.* Et *quum* Christus *iam mutarit uerbum, certè nobis insinuat, & sensum uoluisse mutare.* Et *non incongruè quidem.* Nam *quum agni, nouellos & teneriores designent christianos, eos mitiùs tractari iubet Christus, & pasci solùm. Oues autem, quibus robustiores indicantur, duriùs quũ opus fuerit, coerceri mandauit.* Vtrunq; *ad* Pa*pam spectat, nimirum esurientes pascere uerbo* Dei, *& duros regere uirga iustæ correctionis.* Habere *enim debet potestatem aliquam etiam coactiuam, alioquin authoritas eius inefficax, & planè frustratoria esset, nisi coactiua quoq; authoritate aliqua conuenienter & sufficienter armata esset.* Hac *ergo coactiua potestate, enormiter peccantes,* Imperatores, Reges, Principes, *& tyrannos, subditos suos opprimentes, potest & debet corrigere & punire.* Debet *habere supremus* Ec*clesiæ pastor, non solùm peram, sed etiam baculum.* Sed *cum uarij sint coactiuæ authoritatis & coactionum modi, quæ omnibus quidem, qui-*

bus

bus aliorum commiſſa eſt gubernatio, in ſubiectos ſibi neceſſariò competit, non tamen eadem omnibus, ſed cuiq; ſua. Alia *eſt enim patris in filios, alia dominorum in ſeruos, alia pædagogorum in diſcipulos, alia abbatũ in ſuos monachos, alia ſecularium principum ac ciuilium magiſtratuum, in ſibi ſubditos, alia deniq; totius* Eccleſiæ Rectoris, *in omnes, in reges, in principes, regna* & Imperia. Q*uemadmodum enim nec unus coercendi modus, conuenit omnibus (uni enim uirgæ conueniunt, alteri ferulæ, alteri flagra, compedes, carceres, aut etiam gladius) ſic neq; omnibus in ſibi ſubiectos eadem coactiua poteſtas ac authoritas, qua poßint delinquentes punire, & errata eorundem corrigere.* Habet ergo *ſummus* Eccleſiæ *antiſtes ſuper omnes, potentiorem poteſtatem coactiuam, qua etiam armatos & gladium portãtes principes, ſibi ſubijcere poteſt, ſine cæde tñ, ſine orbis tumultu & incendio.* Hic *eſt autem ſpiritualis gladius ille, quo* Eccleſiaſticæ *rector familiæ, contumaciter ſibi inobedientes, poteſt interdicere ingreſſu* Eccleſiæ, *et communioni* Chriſti *fideliũ, poteſt reſecare à corpore* Eccleſiæ, *atque ita illis cœlum claudere, ad quod nulli, niſi ex* Eccleſia, *patet aditus.* Vnde *conſtat* Romano Pontifici, *ſucceſſori* Petri, *uelut paſtori et rectori totius* Chriſti *ouilis, ſuperiorem iuriſdictionis authoritatem competere, non ſolùm in* Epiſcopos

ecætros

cæteros, presbyteros, & uniuersos ordines Ecclesiasticos, sed etiam in omnes, qui inter Christi oues censeri uolunt, etiam Imperatores, Reges, & principes, qua eos delinquentes etiam corrigere & punire poßit, secundum leges diuinas & Ecclesiasticas. A cuius authoritate nemo exemptus est, qui inter oues Christi connumerari uoluerit. Nam Christus omnes oues suas, illius regimini indiscriminatè subiecit, nec distinxit à magistratu plebium, non principem, non regem, non imperatorem excepit, sed pasce (inquit) & rege agnos meos & oues meas. Cui autem aliquorũ commissum est regimen, necesse quoq; est, datam illi, eosdem regendi potestatem, his autem obsequendi, & obediendi Rectoris imperijs neceßitatem impositam, sine quo nemo posset, uel decem personarum familiam & societatem regere. Neque elegit ad hoc Christus nobiles secundum carnem, non reges, non imperatores & huius mundi principes, sed infirma potiùs huius mundi elegit, ut confundat fortia. Vnde & Petrum piscatorem elegit, & post eum ex infirma plebe plurimos, sub quorum gubernatione regimine & imperio, se humilient necesse est, quicunq; in Christi ouile & regnum adscribi uoluerint.

Sed est hoc loco etiam illud obseruandũ, quod deinde Christus singulariter Petro dixerit. Sequere me. Quo sanè uerbo significatur, Petri quædã

præ

præ cæteris, in sequela Christi præeminentia. Quod & Chrysostomus diligenter adnotauit di cens. His uerbis iterum curam & familiarem in eum affectum, Christus ostendit. Insinuat utique Christus de Petro *sibi curam ampliorem esse, quã de cæteris, quod illi speciatim dixerit, Sequere me.*

Quare & Petrus *iam audacior factus, interro gat de* Ioanne, *quem nouerat à Christo fuisse dile ctum intimus, quod esset futurum, & an ipse pa riter sequeretur.* Neq; *enim in cœna fuit ausus in terrogare de* Iuda, *sed* Ioannem *tunc sibi mediato rem fecit. At nunc uicißim postquàm* Petro. *At nunc uicißim, postquàm* Petro *Christus tanta cõ municasset, & orbis terrarum curam demandas set, simul & testatißimum fecisset eius amorem,* Ioannes *tacet,* Petrus *autem loquitur, ut quærit ipse à Christo dicens.* Hic *autem quid? Sed audit à Christo rursus ingeminatum sibi. Tu me seque re.*Porrò *secuti sunt & Christum cæteri, sed* Pe*trus propriori mortis similitudine, nimirum ut si mili quodam præ cæteris eum imitaretur mortis genere, cuius in* Ecclesia *uices præ cæteris erat ad ministraturus. Cæterum quoniam orbis totius cu ram Christus* Petro *commendauit, idcirco apud eam urbem, quæ totius orbis cum caput erat, se dem postremam delegit. Quod non humana cre dendus est fecisse industria, sed diuino potius insti gante*

gante spiritu. Qualem enim sedem haberet hodie Petrus, uel Hierosolymis uel Antiochiæ? Nõ ergo absque summa Dei prouidentia curatũ est, ut Petrus in ea mundi parte sedem firmaret suã, unde continua nobis & interrupta Pontificum successio propagata est. Discurre per cæterorũ Apostolorum sedes, & iam, aut omnes uacuas inueniet, aut non legittimos habere successores. Nec Paulus, nec Ioannes, nec Iacobus, neque cæterorum ferme quisquam, successionem hodie reliquit ullam. Soli Petro sua sedes atque successio permansit incolumis. Porrò hæc uerba, pasce oues meas, non solùm Petro, sed etiam illius successori dicta sunt. Quod ex ipsis Christi uerbis manifestum euadit. Nam dicendo, pasce oues meas, unum ouium suarum pastorem instituit, ut ipsa uerba, absq; planiore probatione indicãt ac testantur. Pastor enim significat ordinarium rectorem ouium, quod & nominibus pastoris et ouium, & ex ipsa ratione pascendi, liquet. Deinde quia oportet eum, qui ordinariæ gerit curam ouium, uel mercenarium, uel pastorem esse, & constet mercenarium non esse, qui quum uiderit lupum uenientem fugit, & non pertinet ad eum de ouibus, quia mercenarius est, ut dominus dixit apud Ioannem cap. 10. relinquitur eũ, quia ordinariam curam ouium gerit, pastorem esse. Constat autem pastorem, utpote ordinari-

um officialem, non finiri morte illius, qui pastorale officiũ exercebat, sed per succeßionẽ oportere durare. Et *hinc fit, ut institutio pastoris, sit institutio perpetui officij, unde deinceps cõsequitur, hoc quod in prima institutione pastori tribuitur, pro quolibet successore eidẽ esse cõceßũ ac cõtraditũ.* Dñs *ergo dicẽdo* Petro, *pasce oues meas, pastorẽ toti⁹ ecclesiæ instituit, & totius ecclesiæ pastorale officiũ statuit tũc & in seculũ secuii, & quod cõtulit* Petro, *significauit se dare in* Petro, *cuilibet successori eiusdẽ.* Ad *hæc,* Chri*st⁹ dicẽdo. pasce oues meas, alia ratione intelligẽdã monstrauit pastoris ꝑpetuitatẽ.* Nã *oues suas prædixit duraturas in præsentis miseriæ uno ouili usq; ad cõsummationẽ seculi, & idcirco ex hoc quod ouibus, in uno ouili, usq; ad cõsummationẽ seculi duraturis, prospexit ac prouidit de uno pastore, dicẽdo* Petro, *pasce oues meas, significauit se prouidere eisdẽ de uno pastore, usq; ad consummationẽ seculi.* Impium *est ergo dicere, hanc dignitatem* Petro *datã, ad successores eius non deriuare.* Nã Christus Ecclesiã *suã usq; ad finẽ seculi durapturã instituit, secundũ illud* Isa. c. 9. *Sup soliũ* Dauid, *& sup regnũ eius sedebit, ut confirmet & corroboret illud, in iudicio & iustitia, amodò & usq; in sempiternũ.* Nã *potestas apud eos qui cũ* Christo *uixere, ita instituta est, ut ad posteros deriuaretur, ꝑ unitate ecclesiæ usque ad*

que ad finẽ seculi, quẽadmodũ ipse saluator, ait, Ego uobiscũ sum, usq; ad cõsummationẽ seculi. Matt. vlt.

Habemus ergo ex ipsis uerbis Euãgelij, quẽlibet Petri successorẽ, esse à dño institutũ, in ipso B. Petro, totius Ecclesiæ pastorẽ. Quod, etiã rationes in sacra scriptura fundatæ, demonstrant. Siquidem nónne euidens indicium insipiẽtiæ est, existimare Christũ pro eo dũtaxat tẽpore prospexisse ouibus suis de pastore, quo uicturus erat Petrus, & non potiùs usq; ad consummationẽ seculi, quousq; nouerat oues suas duraturas? Deinde quũ Christus dicẽdo Petro, pasce oues meas, oẽs oues, per orbem uniuersum, Petro pascẽdas cõmiserit, & omnes oues suas ubiq; terrarũ compræhendat, nullam penitus excipiens, consequitur & easdem quoq;, pro quocunq; etiam tempore futuro compræhendat, cum rationi consonum sit, ut cum locorũ uniuersalitate, simul intelligatur temporum etiam uniuersalitas.

Ad hæc cũ dñs Deus sufficiẽtißimè prouiderit Sinagogæ ueteris testamenti, ita ut ei imperãdo dicat, quid ultrà facere debui uineæ meæ & non feci? nónne ridiculum est credere, Christum, insufficienter prouidisse Christianæ Ecclesiæ, & nõ potiùs eam constituisse, unum ouile, sub uno pastore, coæuo Ecclesiæ? Cum enim Christus Deus noster, sponsam suam Ecclesiam, tam feruenti amore dilexerit, ut sanguinem suum pro ea

effuderit, acerbißimum & ignominiosißimum crucis supplicium perpessus, nequaquam credendum est, eum in his quæ necessaria sunt Ecclesiæ non oportunè consuluisse. Porrò hic Petri successor, in pastorali cura totius Ecclesiæ, censendus est Papa Romanus, cuius succedentis rationem, Euangelica comprobat institutio.

Siquidem Romanus Pontifex Petro succedens, autoritatem habet Apostolicam, ab Euangelica Christi uoce, pasce oues meas. Nã cuilibet Petri successori, Christus dixit in Petro, pasce oues meas. Dicẽs enim petra ante ascensionẽ suã, pasce oues meas, & ante paßionẽ, confirma fratres tuos, Et rursus. Tbi dabo claues regni cœlorũ, palã ostendit, potestatẽ clauiũ per petrũ, ad alios deriuandã, ut Ecclesiæ seruaretur unitas. Habuit autẽ ista Romani Põtificis succeßio initiũ, ex hoc quod Petrus Ecclesiam Romanã sibi quodãmodo propriam & peculiarẽ fecerit, postremã suam sedẽ ibidem deligendo, & tandẽ moriẽdo. Nã si Petrus in sede Antiochena, in qua aliquot annis, sedit, perseuerasset usq; ad mortẽ, nõ Romanus Põtifex, sed Antichenus successor esset Petri. Et similiter si Petrus reliqsset Romã, mutando nõ solùm locũ, sed etiã sedem, & alibi sedẽ elegisset, non succeßisset Romanus Pontifex Petro, sicut nec modò succedit Petro Antiochenus, quia inde disceßit, mutãdo nõ solũ locũ, sed

etiam

etiam sedem. Imò si Petrus (cui tota Ecclesia cõmissa est) pseuerasset usq; in finẽ, quẽadmodũ incepit, & nullã sibi sedẽ peculiariter propriã fecisset, nec Romanus Põtifex, nec aliqs alius particularis Episcopus, esset Petri successor, sed migrãte ad cœlũ Petro, unus fuisset electus in Episcopum catholicæ Ecclesiæ, q successor fuisset Petri. Sed quia Petrus sedẽ Romanæ Ecclesiæ, sibi singulariter propriã reddidit, et eandẽ morte quoq; cõfirmauit, inde ortũ est, ut Romanus Põtifex Petro succedat, & Romana Ecclesia Pontificatui Petri addicta sit, imò & Christi autoritate, robur firmitatis obtinuerit. Nã (ut Egesipp⁹ & Ambrosius affirmãt) Petro uolẽti ex urbe Roma discedere, obuiũ habuit Christum iubentẽ ut Romæ mortem pateretur, & dicentẽ. Venio Romã iterũ crucifigi, ut nõ nuda Petri mors Romæ, sed mors iussa à Christo Romæ, firmaret Romanã sedẽ in Petri successione. Licet itaq; Apostolicam sedẽ Romani esse Pontificis, inde initiũ habuerit, q Petrus Romanam Ecclesiã sibi propriã fecit, postremam suã ibi collocando sedem, quã etiam confirmauit, quia tamen sic firmatũ est, eo ipso quo aliquis uerus ac legittimus est Ecclesiæ Romanæ Pontifex, uerus etiã & legitimus est Ecclesiæ catholilæ Põtifex, à Christo in beato Petro institutus. Itaq; liquet unum esse Põtificẽ qui præsit Ecclesiæ uniuersæ, et q hic post

Egesippus li. 3. de excid. Hier. c. 2. Amb. in orat. cõtra Auxẽtium. lib. 5. epist.

Christũ Petrus fuerit, & illo uita functo, legitimi successores eius Romani Põtifices, usq; in hodiernũ diẽ, neq; posse dici aliã quampiam Ecclesiam, hoc prærogatiuo gaudere, nec ipsam quidẽ hierosolymitanã, in qua tamen fuit nostræ salutis officina, cui etiã Iacob⁹ frater dñi, magnus præfuit Apostolus. Nã Christus cum uicariũ Petrũ elegit, ei loco hanc dignitatẽ concessit, quẽ Petrus ipse suo sanguine consecraret, ut ibi esset cœleste regnũ, ubi terrenum, usq; ad summũ creuerat imperiũ. Manifestum autẽ est hoc diuina reuelatione facta, tũ uniuersali Ecclesiæ, tũ sanctis doctoribus innumeris, tũ sacris Cõcilijs. Nullus siquidẽ Christianus dubitare permittitur, ex diuina prodire reuelatione, quicq̃d a fidei Christianæ rationẽ spectãs, cõtestatũ inuenitur à præfatis. porrò cõmunis oĩm Christianorũ, semp fuit unanimis cõfeßio, Romani põtificis sedẽ, solã esse apostolicã sedẽ. Quod q̃d aliud est, q̃ fateri Romanũ Põtificẽ, Petri successorẽ, esse rectorẽ catholicæ ecclesiæ? Nã in apostolica sede, includitur Apostolica autoritas, in Apostolica autẽ autoritate, facultas regendi totam Ecclesiam.

Quũ hactenus in scribẽdo essem progreßus incidi (aliud tñ q̃renti mihi) in secundũ lib. S. Bernardi de cõsideratione ad Eugeniũ Papã ubi legẽs ei⁹ uerba, omittere nõ potui, q̃n hic subijcerẽ. Agè (inq̃t) indagem⁹ adhuc diligẽtiùs q̃ sis, q̃

gerās

geras uidelicet pro tẽpore pſonã in Eccleſia dei. Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Põtifex. Tu Princeps Epiſcoporũ, tu hæres Apoſtolorũ, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abrahã, ordine Melchiſedech, dignitate Aarõ, autoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctiõe Chriſtus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sũt quidẽ & alij cœli ianitores, & gregũ paſtores, ſed tu tãtò glorioſius, quãtò & differẽtius utrũq; p̃ cæteris nomẽ hæreditaſti. Habent illi ſibi aßignatos greges, ſinguli ſingulos tibi, uniuerſi crediti, uni unus. Nec modò ouiũ, ſed & paſtorũ, tu unus oĩm paſtor. Vnde id probẽ q̃ris? Ex uerbo dñi. Cui enim nõ dico Epiſcoporũ, ſed etiã apoſtolorũ, ſic abſolutè & indiſcretè, totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre, paſce oues meas. Quas? Illi⁹ uel illi⁹ populos ciuitatis, aut regionis, aut certè regni? Oues meas inq̃t. Cui nõ planũ, nõ deſignaſſe aliquas, ſed aßignaſſe oẽs. Nihil excipitur, ubi diſtingui tur nihil. Et fortè præſentes cæteri cõdiſcipuli erãt cũ cõmittẽs uni unitatẽ oĩbus cõmendaret, in uno grege & uno paſtore, ſecundũ illud. Vna eſt colũba mea, formoſa mea, pfcta mea. Vbi unitas, ibi pfctio. Reliq numeri perfctionẽ nõ habent, ſed diuiſionẽ, recedẽtes ab unitate. Inde eſt quod alij ſinguli, ſingulas ſortiti ſunt plebes, ſcientes ſacramentũ. Deniq; Iacobus, qui uidebatur

colũna Ecclesiæ, una contentus est Hierosolyma, Petro uniuersitatem cedẽs. Pulchrè uerò ibi positus est, suscitare semen defuncti fratris, ubi occisus est ille. Nã dictus est frater dñi. Porrò cedẽte dñi fratre, quis se alter ingerat Petri prærogatiuæ? Ergo iuxta canones tuos, alij in partẽ sollicitudinis, tu in plenitudinẽ potestatis uocat⁹ es. aliorũ potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, q potestatẽ super alios acceperũt. Nõne si causa extiterit, tu Episcopo cœlũ claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiã & tradere sathanæ potes? Stat ergo inconcußũ priuilegiũ tuũ tibi, tã in datis clauib⁹, q̃ in ouib⁹ cõmendatis. Accipe aliud, quod nihilomin⁹ prærogatiuã cõmendat tibi, Discipuli nauigabãt, et dñs apparebat in littore, quodq; iucundius erat in corpore rediuiuo. Sciẽs Petrus, quia dñs est, in mare se misit, & sic uenit ad Iesum, alijs nauigio peruenientibus. Quid istud? Nẽpe signũ singularis põtificij Petri, p quod non nauẽ unã, ut cæteri quiq; suã, sed seculũ ipsum susceperit gubernandũ. Mare enim seculũ est, naues Ecclesiæ. Inde est q, altera uice instar dñi gradiens sup aquas, unicũ se Christi uicariũ designauit, q̃ non uni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidẽ aquæ multæ, populi multi. Ita cum quisq; cæterorũ habet suam, tibi una cõmissa & grãdißima nauis, facta ex omnibus ipsa uniuersalis Ecclesia, toto

sia, toto orbe diffusa. Hactenus ille. *Porrò si huc aliorũ patrum autoritates, & sanctarum œcumenicarum synodorum testimonia ac definitiones, in medium producere liberet, constaret apertißimè, in hoc sensu semper intellectam esse, institutionẽ pontificatus Petri sup totã Ecclesiã à Christo factã.* Et *quis dubitat illum esse uerum scripturæ sensum, quẽ cõcorditer sancti patres tradiderũt, et uniuersales synodi cõprobarunt?*

Quartò dictum est Christum pronunciasse Petrum Cepham, hoc est, saxum, Petram *aut rupẽ, super quam affirmauit se ædificaturum* Ecclesiam *suam. Tu es (inquit Christus ad Petrum) Simon filius* Ioanna, *tu uocaberis Cephas, quod* Ioan 1.
interpretatur Petrus. *Et iterum.* Ego *dico tibi,* Mat 16.
quia tu es Petrus, *& super hanc Petrã ædificabo* Ecclesiam *meã. Mutatio nominis, indiciũ semper fuit, altioris cuiusdam mysterij, quod uel ex ueteri testamento patet, ex nominibus cõmutatis,* Abrahæ, *Saræ Israelis, q priùs uocati sunt* Abrahã *Saraij* Iacob, *ut nec iã absq; grandi mysterio* Christũ *existimemus, huic apostolo nomẽ indidisse nouum.* Tribus *solis apostolis, qui præ cæteris apud Christũ maioris erãt autoritatis, scilicet Simoni, Iacobo, Ioanni, nomina Christus indidit.* Nã *hi dicti sunt* Bona erges, *hoc est, filij tonitrui.* Simõ *uerò Petrus uocabatur* Sic *enim* Marc. 3.
Marcus tradidit, ubi duodecim apostolorũ re-

cēſet nomina. Et impoſuit(inquit)Simoni nomē Petrus,& Iacobū Zebedæi,et Ioannē fratrē Iacobi,& impoſuit eis nomina Bona erges.his tribus præ cæteris Chriſtus familiariùs utebatur, quos plerumque ſolos, ſuæ conuerſationis uel miraculorum ſuorum teſtes aſſumpſit. Nam hi ſoli in transfiguratione ſua, præſentes aderant,& quum Iairi filiam ſuſcitabat,& quum paulo ante paßionem ſuam orabat prolixiùs in horto, ut non ſine cauſa, ſolis iſtis impoſuerit nomina. Simon tamen(ut ſingularis eius præeminentia fieret apertior, nomen non aliunde,quam ab ipſo Chriſto deriuatum accepit. Chriſtus enim(ut teſtatur Paulus) petra erat,ac proinde à Chriſto petra,dictus eſt Petrus.Nimirum ut hac nominis deriuatione,Chriſtus nobis præſagiret,Petro ſuas uices,& præcipuam autoritatem fuiſſe committendam. Nam alioqui, cur à ſeipſo nomen hoc deſumptum, Petro communicaret?

Quinto diximus Euangelia Petro ubiq; primas partes tribuere,licet non fuerit uocatione primus.fuit ſiquidem Petrus Andrea, quantùm ad uocationem attinet,poſterior,ſcilicet in ordine, primus locus tribuitur Petro. Sic enim
Matt.10. Matthæus ſcribit. Duodecim apoſtolorum no-
Marc.3. mina ſunt hæc.Primus Simon, qui dicitur Pe-
Lu.6. trus,& Andreas frater eius &c. Similiter & Mar=

Marcus & Lucas, hunc primum faciunt. Nec *est credendum* Euangelistas,*suis arbitrijs,quēquam(qui uocatione posterior fuerat)collocasse primum,nisi certo scirent, eundem à Christo fuisse cæteris præpositum.*Nec *mysterio caret,* Luc. 5.
quod Christus Petri *nauem ascendit, & rogauit eum à terra reducere pusillùm.*Hæc *enim nauis*Simonis,*est* Ecclesia,*quam illi primum commendauit regendam,quæ uerè una est & indiscissa.*Et *licet plures sint* Ecclesiæ,*quasi nauiculæ plures, & earum complures sint rectores, omnes tamen illi in unam tantũ singuli sollicitudinis partem uocati sunt,*Petrus *autẽ totius* Ecclesiæ *curam à Christo suscepit.*Hæc *est* Ecclesia *sancta Catholica,quæ à spiritu sancto uiuificatur,sanctificatur & regitur,extra quam nemini salus,nemini est remißio peccatorum,quemadmodum dictum est superiùs.* Itaq; *frustra & uanè,sperant aduersarij nostri siue Lutherani, siue Velsiani,spiritum sanctúm eorũ nauem gubernare,quæ rupta atq; discissa,tot fatiscit rimis,quot erroribus etiam inter se pugnantibus, lacerata est.*Huius *cõfractæ nauis impulsor diabolus est,qui nõ colligit,sed dispergit,qui hãc in omnium scelerum atque errorum syrtes seducit & scopulos,ut hanc tandem perpetuæ damnationis naufragio demergat.*Ab *hac cauete dilectißimi,hanc nolite ingredi nauem, quam tot*

scissuris

ſciſſuris ac rimis uidetis eſſe cõfractã, in qua qui ſunt, nihil aliud, quã certam damnationem operantur, Deniq; *nec otioſum credẽdum eſt, quod in ultima cœna, quum Chriſtus uellet lauare pedes diſcipulorum ſuorũ, uenerit primũ ad Simo*
Ioan. 13. *nem Petrum,* Vbi *Auguſt.* Quis *(inquit) neſcit, primum apoſtolorũ beatiſſimum Petrũ.* Sed *non ita intelligẽdum eſt, quòd poſt aliquos ad illum uenerit, ſed quod ab illo cœperit.* Quando *ergo pedes diſcipulorum lauare cœpit, uenit ad eum, à quo cœpit, id eſt, ad* Petrum.

Sexto in ſoluendo didrachmate, Petrus *ſolus præ cæteris apoſtolis, Chriſto adiũctus fuit.* Nõ
Matt. 17. *eſt hæc prærogatiua parui põderis, quod in ſoluendo didrachmate, Chriſtus* Petrum *ſolum præ cæteris omnibus* Apoſtolis*, ſibi tanquam parem adiunxit.* Quæ *res tam apertum indicium cuiuſdam præeminentiæ futuræ in* Petro *fu*
Matt. 18. *it, ut inde mox inter cæteros, oborta quæſtio fuerit, quis futurus eſſet maior in regno cœlorum.* Duplex *ergo didrachma Chriſtus dari iubet, quum tamen ſimplum exigebatur, pro ſe uidelicet & pro* Petro. Nam Petrus *ad præceptum domini, acceſſit ad mare, & repertum in ore piſcis ſtaterem (erat aũt ſtater duplex didrachma) dari iuſſit exactoribus.* Voluit *enim Chriſtus, non pro ſe ſolũ tributũ hoc dari, quanquã ipſe caput eſſet totius familiæ, uerũ etiam pro*
Petro.

Petro,cui suas uices committere meditabatur. Quando igitur hoc tributum pro nemine pendebatur, qui non esset alicuius familiæ gubernator & caput (Iudæi enim Romanis *tributarij quum essent, pro annuo censu, singularum familiarum capita, ad ualorem didrachmatis,exoluebant* Romanis) *& Christus utriusque nomine dari iußit,tam suo quam* Petri,*palam est eum totius* Ecclesiæ *gubernatorē instituisse* Petrum, *& totius familiæ suæ caput.* Propter *quod & S.*August. *quæstione.75. lib. quæst.nō.& uet.testamēti.* Didrachma*(inquit) capitum solutio intelligitur.*Et *paulo post. Saluator quum pro se & Petro,dari iubet,pro omnibus exoluisse uidetur. Quia sicut in saluatore,erant omnes causæ magisterij,ita & post saluatorem,in* Petro *omnes continentur. Ipsum enim constituit caput eorum.*Hæc *illæ.*Nec *incōueniens* Petrum *caput fuisse cæterorum apostolorum,sub Christo supremo capite.Quemadmodum enim Aaron comparatione cæterorū,summus habebatur & princeps & caput, quanquā ipso,Moyses adhuc superior erat,sic &* Petrus *cæterorum comparatione summus,princeps atque caput erat,tametsi Christum habuerit superiorem.*

Septimo nominatim ad Petrum *angelus, mulieres dominicæ resurrectionis nūcias misit,quæ*

tam

tam illi quam cæteris apostolis nũciaret, surrexisse Christum à mortuis. Ite (inquiũt) dicite discipulis eius, & Petro. Magnum id omnino fuit indicium, præcellentiæ Petri, quod eum angelus
Mar. ulti. *magis, quam cæteros nominauit. Certè non leue magnitudinis Petri fuit argumentum, quod ad illum nominatim angelus, ipsas nuncias miserit mulieres. Vbi Theophylactus. Petrum (inquit) ab alijs discipulis, ut præcipuum segregat, ac ob excellentiam nominat illum præ alijs, hæc ille. Quod si quispiam obiecerit mihi uerba Theophylacti, quæ continuò sequuntur. Vel quia ne-*
Luc. 24. *gauerat Petrus &c. uel scilicet Gregorij dicentis. Vocatur ex nomine, ne desperet ex negatione &c. illum sensum etiam nos libenter amplectimur, sed si obseruauerimus Christum post resurrectionẽ suam præ cæteris omnibus apostolis*
1. Cor. 15. *ipsi Petro apparuisse (Vndecim enim dicebant, ad duos illos discipulos qui ipsa die resurrectionis remeauerant à castello Emaus, ubi dominũ cognouerant in fractione panis, quod surrexit dominus uerè, & apparuit Simoni. Et Paulus in priore epist. ad Corinthios affirmat dominum post resurrectionem suam uisum esse Cephæ, & post hoc undecim) intelligemus ocyus, ipsum Petrum à Christo satis magnam cõsolationem accipere potuisse, qui ei soli præ cæteris apostolis primùm apparuisse legitur. Profectò qui non*

dedi-

dedignabatur semetipsum Petro rediuiuum ostẽdere, potuit etiam omnem ab illius animo desperationem pellere. Sed & hoc non minimum excellentiæ Petri fuit indicium, quod Petro priusquam cæteris apostolis apparuerit. Vt autem ijs tertium addatur, nisi Petrus præ cæteris apostolis fuisset maior, nunquam tam insignem eius lapsum, sancti Euangelistæ, tanto studio expressissent. Non enim ignorauerunt, cur omnipotẽs Deus eum, quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ uocem pertimescere, & negare permiserit. Quod nimirũ (ut Gregorius ait) magnæ actum pietatis dispensatione cognoscimus, ut is qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri deberet. Prius itaq; eum ostendit sibi, & tunc præposuit cæteris, ut ex sua infirmitate cognosceret, quam misericorditer aliena infirma toleraret.

Octauò, cum simul currerent Petrus & Ioannes, præcurrente licet Ioanne, Petrus tamen primo sepulchrum Christi ingressus est. Et Ioan. 20. *istud non postremum ac infimum, præstantiæ Petri indicium est. Nimirum, quod quum in eum locum primus introierit, unde surrexerat Christus, primus in Ecclesia post Christum, uices eius esset gesturus. Potuit enim Ioannes prius ingredi, quippe qui cursu præuenerat Petrum, cure-*

rebant enim(Euangelista teste)ambo simul,sed Iohannes præcucurrit citiùs Petro & tamē quū uenisset prior ad monumentum substitit,nec est introgressus, sed Petrus ubi uenit ad monumentum mox introijt. Primus ergo Petrus Christi intrauit sepulchrum,qui post Christum primus in eius Ecclesia erat futurus. Porro si omnes has iam ex sacris Euāgelijs collectas Petri prærogatiuas & commißiones eidem singulariter præ cæteris factas,exacte pensitare,atq; quasi linum limo nectentes, inuicem adglutinare uoluerimus,proculdubio cognoscemus Christum uoluisse Petrum,maiori quam cæteros autoritate pollere,suumq; uicarium in terris eum constituisse, simulq; ei totius Ecclesiæ commisisse curam, pariter & administrationem. Non enim absque causa uni Petro præ cæteris tot insignia contulisset Christus,nisi quia uicarius eius esset futurus: & toti Ecclesiæ ceu princeps & caput præficiendus. Cæterùm licet hæc ita sese habeant,non tamen par fuit atq; æquum Petro, exercere omnimodam suam potestatem,sed ad multa necesse fuit ipsum condescendere,partim humilitatis, partim unitatis gratia. Nam qui sic urgebantur, ut immutarent ea, quæ Christus ipse, postremis etiam uerbis, fieri mandauit, nempe de baptizandis gentibus,in nomine patris & filij & spiritussancti,simul & id genus

genus

alia nonnulla, qd mirum si de suo iure, quisquã nonnihil imminui pateretur? Petrus tamen ubique, sic suam à Christo sibi traditam, executus est potestatẽ, ut cuius compertissimum esse possit, illũ principẽ & caput fuisse cæterorũ, quẽadmodum ex sequentibus euadet manifestum.

Nono itaq; loco dictum est, in subrogatione sancti Mathiæ Apostoli, in locum proditoris Iudæ, cõstat. Petrũ totius rei gestæ autorẽ præcipuum fuisse. Nam super hac re ad reliquam tum nascentis Reipublicæ Christianæ multitudinem concionẽ habuit, (erat enim turba hominũ simul ferè centũ uiginti) in qua cõmonuisse legitur cæteros de hac re. Quibus placuit hoc ratum habere, quod tũ hortabatur Petrus, atq; ita sorte Mathiam elegerunt, ut is Iudæ traditoris locũ suppleret, Petrus certè eũ nõ elegit, sed certa ratione ductus, id permisit alijs. Animaduertebat enim quosdã, ipsum Ioseph, qui & iusti cognomen habuit, eo munere dignũ iudicari, quosdam uerò Matthiam. Nã in hos duos consensit tota multitudo. Petrus igitur, ne suo sensui nimis inniti uideretur, et ne quicq̃ offenderet unitatẽ, simulq; ut successores futuros, hoc gestorũ suorum initio erudiret, neminẽ in eiusmodi muneribus conferendis, affectũ priuatũ sequi debere, uoluit sortibus hoc negotiũ agi, quatenus in eo null⁹ humano affectui locus pateret, sed tantũ Act. 1.

diuinitùs fieri crederetur. Propter q̄ et Diony. Areopagita parte 3. ca. 3. eccleſ. Hierarchiæ ait: Oportet Pōtificē ſanctū, non motu proprio, ſacerdotales ordinationes cōficere, ſed ſub Deo agente has pōtificaliter cœleſtiq́; celebrare mun ditia. hæc ille. Ob hāc itaq; cauſam, ſuæ poteſtatis amplitudine tū uti noluit Petrus. Verūtamē autor ipſe præcipuus fuit, totiùs rei geſtæ, quēadmodū ex Actis palā conſtat. Vnde nō immerito S. Matthiā Petrus ſuffeciſſe dicitur in duodenariū ſacratiſſimū numerū. Sic enim Diony. Areopagita ſcribit Eccleſ. Hierarchiæ cap. 5. p. 3. ubi etiā ſ. Petrū appellat ſupremū diſcipulū. Et Beda in Acta ſcribens tradit, quod Petrus numerum duodenarium Apoſtolorū integrauit. Nec certè repugnant Apoſtolorū Acta, cum in illis ſcriptū ſit, quod Matthias annumeratus eſt, cū undecim Apoſt. Et q̄s alius q̄ Petrus illū cæteris annumerauit? Cōgruebat ſanè, quatenus p̄ eū, q̄ primus fuit inter Apoſtolos, et ſortium euētus promulgaretur, et electus coaptaretur cæteris.

Decimò, in die ſacro Pentecoſtes, ſolus Petrus concionē habuit. Quū enim cōpletis diebus Pentecoſtes, omnium linguis tota ipſa multitudo loqueretur, cōfluentibus ad miraculi nouitatē populis, ac ſtupentibus cūctis qui tū aderāt omniū nationū populis, et multis id miraculi, temulentiæ adſcribētibus, ſolus Petrus ut princeps et ca-

put

put cæterorũ,concionẽ habuit,qua stultã illorũ opinionẽ ex Scripturis sacris apertissimè confutauit,& persuasit pluribus,Iesum(quẽ ipsi crucifixerãt,sanctũ è cœlo spũm,iuxta prædicationẽ suã, et aliorũ Prophetarũ uaticinia,super credẽtes tunc effudisse.Et est hic obseruandum, quemadmodum Scriptura seorsum à cæteris,Petrum nominatim exprimat:Stãs (inquit)Petrus cum undecim. Quod & cap. 5. similiter facit. Respondens autem Petrus & Apostoli dixerunt.Non profectò ita seiungeret eum Scriptura à cæteris,si non maior in eo quam in cæteris fuisset autoritas.

Vndecimò,solus Petrus,licet adesset Iohannes, claudum sanauit:Argẽtum(inquit Petrus) & aurum,non est mihi,quod autem habeo, hoc tibi do.In nomine Iesu Christi Nazareni,surge & ambula.Ecce Petrus in sui ipsius persona,solum claudo loquitur.Et hoc insigne miraculũ, & sanè primũ,q̃ à quouis Apostolo post Christi resurrectionẽ factũ legitur,ipsi Petro uelut Apostolorũ principi inscribitur,simulq; & cõciones (quotquot hactenus habitæ fuerunt)non aliundè manauerunt,quam ab eodem Petro.

Duodecimò,solius Petri eximia quadã potestate,Anan. et Saphira subitanea morte intereũt. Nã ꝓpter fraudẽ factã, de ꝑtio agri,diuino iudicio ꝑcussi,protinus expirarũt.Cũ enim Petr⁹

Ananiam increparet ac redargueret, & Ananias uerba eius audisset, statim cecidit & expirauit. Similiter & Saphyra eius uxor ad correptionem Petri, confestim cecidit ante pedes eius & expirauit. Ecce ut Petrus præ cæteris apostolis eos redarguerit, tanquam totius apostolici collegij princeps, & caput multitudinis? Et uidete quàm eximia præ cæteris fuerit in Petro potestas, ut ad eius uerbum uterq;, alter post alterũ, tam celeriter interierint.

Tertiodecimò Petri miracula singulariter, præ cæterorum miraculis describũtur. Nã cùm apostoli cæteri, multa signa & prodigia palàm ederẽt in populo, de nullo tamẽ id scriptura, nominatim hactenus expresserat, quã de Petro. Sic enim de illis scribitur. Per manus aũt apostolorum fiebãt signa et prodigia multa, in plebe. De
Act. 5. Petro uerò scribitur ibidem. Magis aũt augebatur credentiũ in dño multitudo uirorũ ac mulierum, ita ut in plateis eijcerent infirmos, & ponerẽt in lectulis ac grabatis, ut ueniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquã illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem & multitudo uicinarum ciuitatum Hierusalem, adferentes ægros & uexatos à spiritibus immundis, qui curabãtur omnes. Cernis ne quantum discriminis, inter Petrum & cæteros Apostolos faciat?

Decimo quarto. Petrus *in* Cæsarea, *solus uisionem uidit, de gentiũ uocatione ac admißione ad fidẽ.* Ex *qua quidẽ uisione cælitus eidẽ, dilucida fit autoritas* Petri. Nã *positus in mẽtis excessu, uidit cœlũ apertũ, atq; inde uas quoddam uelut lintheum magnũ, quatuor initijs submitti de cœlo, in terrã, in quo erant omnia quadrupedia, et serpẽtia terræ, et uolatilia cœli.* Et *facta est uox ad eũ.* Surge Petre, *occide & manduca.* Qua *mirũ uisione,* Petrus *admonebatur, etiam gẽtes incorporare* Christo. Gentiũ *enim immunditiæ, per quadrupedia terræ, per bestias, reptilia & uolatilia significabãtur, et illas iã deus intra lintheũ* Ecclesiæ *recipiẽdas decreuerat.* Propter *q̃, iubebatur* Petrus *eas mactare primũ, hoc est, p̃ uerbũ* Dei, *q̃ & gladio quouis utrinq; incidentẽ penetrãtius est, tetrũ peccati sanguinẽ effunderet, eisq; deinde uesceretur, hoc est, more cibi traijceret eas in corpus* Ecclesiæ, *& incorporaret eas* Christo. Nũ *ista nõ indicant* Petrũ *totius* Ecclesiæ *caput fuisse?* Cui *sic iussum est, etiã gentes in* Ecclesiã *recipere, et eas corpori* Christi *aduanare, simul & cui mysteriũ istud q̃ adhuc cæteros apostolos latebat, tã apertè fuerat monstratum?* Et *ne scrupulus aliq̃s alicui⁹ ambiguitatis uel dubitationis eũ teneret, ter fuit admonitus.* Insup *& e uestigio post uisionẽ, uenerunt à* Cornelio *uiro gẽtili quidã, accersendi* Petri *gratia,*

Act 10.

quaten⁹ illũ in fide Christi erudiret. Nã ita præmonit⁹ ab angelo Corneli⁹ fuerat, ut quosdã eius rei gratia mitteret ad Petrũ, Petroq; iussum est identidẽ à spũ, ne quicq̃ hæsitaret una cũ illis ire. Quũ igitur accessisset ad Corneliũ Petrus, habita concione, nondum finitis uerbis, ilico cecidit super eos qui tum aderant spiritus sanctus.

Vltimò, in synodo Hierosolymitana, suã sententiã Petrus primũ dixit. Quũ enim suborta esset quæstio, super obseruatione legaliũ, et synodus Hierosolymis fuisset coacta, in illa Petr⁹, ut princeps & caput cæterorũ. suã sententiam primus dixisse refertur, nimirũ q̃ gentibus ad fidẽ Christi couuersis, nõ esset iugũ hoc imponendũ, et hoc præcipuè, q̃ per ipsius prædicationẽ, Deũ sic eũ præ cæteris ad hoc munus eligentẽ, gentiles aliqui credidissent, & sanctũ spũm, similiter ut ex Iudæis cõuersi, recepissent. Quã sententiã quũ Paulus et Barnabas cõfirmassent, postremo Iacobus eandẽ approbauit, utpote quem decuit in sua sede, totius synodi recensere decretum.

Ex quibus omnibus euidenter ostenditur, quot & quantis prærogatiuis & ijs diuinis Petrus præ alijs Apostolis donatus sit, ut firmissimè credendum sit, Petrum & aliorum Apostolorum principem, & totius Ecclesiæ caput & pastorem à Christo esse institutum eiq; in primatu succedere legitimum Romanũ pontificẽ.

Sed iã uidendũ, quid Velsius de hac Cathedra Petri Romana scilicet Ecclesia sentiat. Et certè per Cathedrã nihil aliud, q̃ pastorale munus dicit significari, contendens per hoc nullam aliam autoritatẽ tribuere Summo Pontifici, quã pascendi gregem Christi pabulo doctrinæ Euangelicæ, uel prædicandi uerbi Dei, et disciplina Ecclesiastica regẽdi, cuiusmodi munꝰ, dicit Petro, sed et reliquis ex æquo Apostolis à Christo fuisse delegatum, per legitimam succeßionem, quæ διαδοχὴ *Græcis dicitur, ad posteros deriuatũ. Quod probat autoritate Clementis, referentis, quomodo Petrus circa finem uitæ suæ Clementi prædicationis suæ & doctrinæ Cathedram tradiderit. Ipsi (inquit Petrus) trado à Domino mihi traditam potestatem ligandi & soluendi, ut de omnibus quibuscunque decreuerit in terris, hoc decretum sit & in cœlis. Ligabit enim, quod oportet ligari, & soluet quod expedit solui, tanquam qui ad liquidum Ecclesiæ regulam nouerit. Hoc dicit esse uerum & legitimum munus pastorale. Autoritatem autem quã Papa (qui in Antiocho adumbratus, merito rex impudens facie dicatur) sacrilegè in gregem Christi uendicat & iniustè, adulterinam & tyranicam esse.*

Ad Iacob. frat. Domini epistola. 1.

Daniel. 8.

Quid æqualitatis habeant cæteri Apostoli cum Petro, & quid non, paulò inferius dicemus.

Quantum ad reliqua attinet, si Velsius per cathedrā Petri, ita pastorale munus dicit significari, ut non poßit esse papa, sic nō pascat uerbo doctrinæ Euangelicæ et apostolicæ, iustißimè ei cōtradicimus. Nā suprà diximus, Christum hîc duobus uerbis usum fuisse, quorū alterū significat pascere & regere, alterū pascere duntaxat. Vtrūq; ad papā spectat, & esuriētes pabulo Euāgelicæ doctrinæ pascere, et duros regere uirga iustæ correctionis. Propterea namq; pastor iste, etiā baculū habet. Si ergo pōtifices, nūc alijs preßi negotijs, regant solū, & nō pascant, nunqd propterea nō erunt pōtifices? Nos certè non probamus, si pōtifex (nisi quū urgentibus negotijs præpeditur) Ecclesiā nō pascat. Veruntamē si neglexerit hoc facere, nō protinus ob id adimitur ei pōtificatus. Nequaquā enim hoc consequitur. Manet enim papa, etiam si non pascat, etiam si non amet, cum amor magis uideatur requiri in papa quàm pastura. Nam Christus cum Petro committeret curam ouilis sui, dicēs. Pasce oues meas, requisiuit etiam, num se diligeret, etiam plus alijs. Vnde quia præ cæteris amplius amauit, hanc à Christo præ cæteris, accepit prærogatiuam, ut cunctis illius ouibus ueluti pastor præficeretur. Et sanè deceret eum, qui ad tantum fastigium sublimatur, ampliore amore Christum prosequi. Sed

quia

quia diuersa res est priuat⁹ iste, quàm amor, potest alter ab altero separari, & potest manere primatus, ubi non fuerit amor. Neq; enim quum *ista* Christus Petro *dixit, amorem tunc ei contulit, sed amanti dedit primatum.* Prius igitur *amor fuit in* Petro, *quàm primatus, quem amãs accepit, & potuit etiam* Petrus *post acceptum priuatum, ex amore decidere, priusquam scilicet confirmaretur uirtute ex alto.* Nã *quamdiu non fuerat à spiritu sancto confirmatus, potuit haud dubiè peccasse mortaliter, & tunc perijsset amor, manente primatu.* Quemadmodum ergo, *non admittit primatum* Papa, *quoties non fuerit amans* Christi, & Papa *est* Papa, *etiamsi non amat* Christum, *ita* Papa *manet* Papa, *etiam si non pascat pabulo* Euangelicæ *doctrinæ, gregem* Christi. Et *quemadmodum falsum est, quod sine amore nequeat hæc potestas esse, ita falsum est, quòd non possit esse absque pastura.* Nam *sicut manet absoluendi potestas & baptizandi, atque etiam consecrandi* Euchristiam, *amore per peccatum sublato; et pastura per externas occupationes neglecta, ita manet & hæc potestas, quanquam ad tempus depereat amor, & negligatur pastura.*

Si autem Velsius *per* Cathedram Petri, *nihil aliud uult significari, quàm pastorale munus, contendens per hoc nullam aliam autoritatem*

illa potestas prærogatiua prima, à nobis abũde explicatum esse credimus. Qua quidem autoritate sic constituta, nimirum quòd autoritas Petri & imperium, nulla sit coarctatum certa prouincia, nullis circumscriptum certis limitibus, sed pateat & sese extendat, per uniuersum terrarũ orbem, bene consequitur, uniuersalem illi omnium, quæ in Ecclesiastica domo dispensanda, ordinanda & constituenda forent, autoritatem attributam, ut meritò fuerit uniuersalis Apostolus, & successores habet, quibus commissa est, uniuersalis Ecclesiæ cura & principatus, quemadmodum totius Ecclesiæ cura & primatus commissus fuit Petro. Et quis non est Ecclesiæ Romanæ Pontifex uniuersalis habendus, cui totius Ecclesiæ uniuersalis cura principatúsque committitur?

Ex quibus & hoc cõstat, quod superiùs in interrogatorio interserebatur (cui in genere dictũ est, pasce oues meas) non dubiũ aut ambiguũ sensum cõtinere, sed q̃d sibi uelit, expeditũ esse intellectu, nimirum ut peculiariter ad Petrum, & ipsius successores Papas id referatur: Petrꝰ enim Christi gregi præfectꝰ est, q eiusdẽ ouiũ, nõ hariũ quidem, aut illarũ, sed generatim omniũ curã gereret. Si ergo generatim absq; ulla exceptiõe omnes oues suas Christus curæ Petri subiecit et regimini, cur cauillatur Velsius, dictum illud, Cui

in ge-

in genere dictum est, pasce oues meas? Et certè sat supérque superiùs demonstratum est, ex ipso contextu uerborum Christi ad Petrum, illa uni Petro, & nemini aliorum Apostolorum cõpetetere posse. Nõ est ergo ista hæretica & schismatica opinio, sed orthodoxorum patrum, & Ecclesiæ catholicæ uera sentẽtia, sed potiùs Velsius est hæreticus & schismaticus, qui contra aptam scripturam, cui sanctorum patrum astipulatur expositio, credit, & ut ueram sententiam amplectitur, hoc dictum cui in genere dictum est, pasce oues meas, intelligi debere, secundum id genus, quo Apostoli continentur, id est, quatenus Apostolo ipsi dictum sit, ut & ad cæteros Apostolos, id dictum ex æquo pertineat. Quod autem dicit nos imperitè sermone uti, ac turpiter incurrere in utrunq;, quod in problematibus spectari uitium & erratum docet Aristoteles, in una eademq; oratione, ridendum potius, quàm conuellendum existimamus. Nam quis tam incipiens, quis tam ineptus, ut rem tam diuinam tractantibus præscribat Aristotelica præscripta, & philosophorum decreta, quibus se per omnia conforment? Non damnamus Aristotelica præcepta, sed neque eisdem nos alligatos uolumus. Porrò non est hoc nouum, sed aduersarijs nostris admodum familiare, insultare nimirum catholicis tanquam indoctis & imperitis.

ritis. Humana etenim ſapientia, & ſeculari eloquentia turgidi, deſpiciunt nos tanquã idiotas & indoctos. Faciebat id olim Sabinus Heracliæ Tracẽſis Macedoniorum Epiſcopus, qui patres Niceni Concilij imperitos et idiotas appellauit. Habita enim congeſtione eorum, quæ per diuerſa concilia ſacerdotum ex ſcripto prolata ſunt, eis qui in Nicæa conuenerunt, uelut idiotis & & ſimplicibus derogauit, ut refert Socrates lib. 2. Trip. hiſto. cap. 8.

Hæc non idcirco recenſuimus, quòd nos aliquomodo uel conferendos nedum æquandos exiſtimaremus. ſapientiſſimis, doctiſſimis & ſanctiſſimis illis patribus Nicæni concilij, ſed ut hoc exemplo, hæreticorum (inter quos Velſius non poſtremas partes obtinuit) ſuperbiam & arrogantiam oſtenderemus, qui magno ſupercilio præ ſe catholicos omnes, tanquam imperitos aſpernantur & faſtidiunt.

Deinde Velſius amplius contra autoritatem & poteſtatem pontificis obijcit dicens. Paſtorale munus, cui legitima ſucceſſione cõmitti debeat, quanta & qualia in eo requirantur, haud obſcurè hic docetur. Quæ ſub Epiſcopi definitione ab officijs facta, quam Græci ἱερῶδει, uocãt, ut ex uoci δεῖ, id eſt, oportet. Vnde τὸ δέον, colligere licet, proponens Paulum ſic ad Timotheum ſcribit. Oportet Epiſcopum irrepræhenſibilem

1. Timot. 3 Titum. 3.

bilem

Conditionem ergo à Paulo enumeratæ, rectitudinem respiciunt pastoralis officij, & idcirco qui eiusmodi bonis conditionibus carent, non sunt boni pastores aut Episcopi, sed solum officio & nomine, studio autem & exercitatione, reuera sunt mercenarij. Ita spectant hæ conditiones Paulinæ, ad Episcopos, ut tales esse teneantur, quales eos uult esse Paulus, ueruntamen si tales non sint, non continuò amittunt Episcopi officium, aut potestatem. Indigni quidem sunt pastorali aut Episcopali dignitate, & meritò deberent ea priuari, non tamen idcirco eos esse priuatos Scriptura docet. Ezechielis siquidem tricesimoquarto reprehenduntur mali pastores, qui non Dei gregem, sed semetipsos pascebant, appositis Propheticis minis, priuationis pastoralis officij, per ipsum Deum exercendæ, pastores tamen relinquuntur. Mali quoque erant pastores, de quibus Dominus in Euangelio Matth. 23. ait. Super cathedram Moysi, &c. & tamen manebant pastores, & uoluit Christus esse audiendos.

Iam uerò quod Velsius affirmat Paulum hic definire Episcopum, Quis non rideat? Chrisostomus certè hoc loco sic scribit: Dicturus (inqt) de Episcopatus officio, cuiusmodi esse Episcopum deceat, indicat. Et post pauca: Episcopatus

(inquit) ex eo dicitur quod omnes inspiciat, cunctaq; speculetur. Et Theophylactus. Episcopatus (inquit) ab ἐπισκοπεῖν dicitur, hoc est, est, prouidere, & prospicere uniuersis, quos sub eius cura & tutela susceperit. Aug. lib. 19. de Ciuit. Dei c. 10. Episcopatus nomen est operis, nō honoris. Græcum enim est, atq; inde ductum uocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens. Epi quippe super, scopos uerò intentio est: Ergo Episcopin Græce, si uelimus Latine, super intendere possumus dicere.

Non hîc Paulus definit Episcopum, sed Episcopi describit officium, indicans cuiusmodi esse debeat.

Quod si dixerit Velsius se non propriè accipere definitionem, quæ essentiam rei explicat, cur argumentatur ab illa definitione dicens, cui definitio non conuenit, eidem nec definitum conuenit, insinuare uolens, idcirco pontificem, non esse pontificem, si desint illi conditiones, quas Paulus in Episcopo requirit.

Iam uerò quæ sequuntur, nihil sunt, quàm mera maledicta, mendacia & contumeliæ, in summum Pontificem, quas Velsio suggerit, non spiritus ille propheticus, quem fraudulenter iactitat, sed spiritus sathanicus, cuius obtemperat uoluptati.

Deni=

Deinceps dicit de Romana Ecclesia, quòd non aliter Romana, quam in Apocalypsi E- Apoc.2.
phesina quædam dicitur Ecclesia, & alia rursus Smyrnensium, quemadmodum & apud Paulum ea quæ est Corinthi, & omnino quæ 1.Cor.1.
cuiuslibet alterius, uel in qualibet alia ciuitate dicitur Ecclesia esse, cœtus nimirum & congregatio eorum, qui in ea nomen Christo saluatori nostro dederunt, atque in ipso crediderunt, quod cuiuis in sacris literis uersato uerum esse, perspicuum sit, & certè ipsa etiam uocis ratio indicet. Quod cùm ita se habere manifestum sit, non uideat quomodo Romana Ecclesia. id est, cœtus & congregatio Romanæ in CHRISTVM credentium, cathedra Petri (quod est functio ac munus prædicandi uerbi Dei, & doctrinæ Euangelicæ pabulo pascendi gregis Christi, & disciplina Ecclesiastica regendi) dici posit nisi fortè tali quapiam loquendi figura, qua Paulus Corinthios, suam Epistolam esse inquit. Quod si recipimus (ait 2. Corinth.3.) nulla ratio est, cur magis Petri quàm Pauli cathedra, Romana dicatur Ecclesia, cùm ad huiusmodi functionem Romæ obeundam, Paulum uocationem habuisse constet, tùm ex 23. capite Actorum, ubi legimus. Bono animo esto Paule, ut enim testificatus es de me Hierosolymis, sic te oportet & Romæ testifi-

cætum Christi fidelium, non tam uerbum Dei prædicantium, quàm audientium.

Deinde secundò, Romana Ecclesia intelligitur secundùm caput suum. Licèt ergo hæc Ecclesia, secundùm reliqua illius membra, non sit prima, nec mater omnium Ecclesiarum, nec immediatè à CHRISTO *instituta, & ipsa tamen secundùm suum caput Petrum ac Petri successorem, Cathedra dicitur Petri, & prima est & mater, nec non magistra omnium Ecclesiarum, & immediate à* CHRISTO, *Euangelica uoce, autoritatem, robur, ac firmitatem habens. Et hoc modo nimirum secundùm rationem capitis, ueri sunt omnes canones, & Sanctorum sententiæ intelligendæ, Romanam Ecclesiam primam, magistram, matrem Ecclesiarum omnium, & Cathedram Petri, aut à* CHRISTO *Domino & Saluatore nostro Euangelica uoce fundatam firmatámque sonantes. Et hoc intendisse censendi sunt omnes, quia ita scripserunt, uel ex eo dilucidum esse potest, quòd eorum sententia fundatur super uerbis Domini ad Petrum, qui caput fuit, & in successoribus suis Romanis Pontificibus, est caput Catholicæ Ecclesiæ.*

Vnde longa alia ratio est, cur Romana Ecclesia, magis dicatur Cathedra Petri, quam

Pauli, quia licet Paulus ad eiuſcemodi functionem Romæ obeundam uocationem habuerit, nequaquam tamen dictum eſt illi à CHRISTO, *paſce oues meas, ſicut commiſſum eſt* Petro, *quemadmodum frequentius iam dictum.*

Ab hac denique Petri cathedra Romana Eccleſia, unitas ſacerdotalis & Eccleſiæ catholicæ pendet. Quod ſanctiſsimus martyr Cyprianus in tractatu de ſimplicitate prælatorum affirmat, docens unitatem Eccleſiæ, ab unitate epiſcopatus Petri pendere. Nam exordium Eccleſiæ poſt Chriſtum à Petro, tanquam ab unitate quadam fuiſſe profectum affirmat. Ita enim inquit. Loquitur dominus ad Petrum. Ego tibi

Matt. 16. *dico (inquit) quia tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non uincent eam. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Et eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit. Paſce oues meas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionẽ ſuam, parẽ poteſtatem tribuat, & dicat.*

Ioan 21. *Sicut miſit me pater & ego mitto uos, accipite ſpiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata, remittentur illi, ſi cui tenueritis, tenebuntur, tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis eiuſdem originem, ab uno incipiẽtem, ſua autoritate diſpoſuit.*

spoſuit. Hoc erāt *utiq; & cæteri* Apoſtoli, *quod fuit* Petrus, *pari conſortio præditi, & honoris & poteſtatis, ſed exordiū ab unitate proficiſcitur, ut* Eccleſia *una monſtretur*. Et *poſt pauca*. Epiſcopatus *unus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur*. Eccleſia *una eſt, quæ in multitudinē latiùs incremēto fœcūditatis extēditur, quomodo ſolis multi radij, ſed lumen unū, & rami arboris multi, ſed robur unū, tenaci radice fundatū*. Et *cum de fonte uno, riui plurimi defluūt, numeroſitas licet diffuſa uideatur, exundātis copiæ largitate, unitas tñ ſeruatur in origine*. A*uelle radium ſolis à corpore, diuiſionē lucis, unitas non capit*. Ab *arbore frange ramum, fructus germinare non poterit*. A *fonte præcide riuum, præciſus areſcet*. Sic *&* Eccleſia, *domini luce perfuſa, per orbē totum, radios ſuos porrigit unū tamen lumen eſt, quod ubiq; diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur, ramos ſuos in uniuerſam terram, copia ubertatis extendit profluentes largiter riuos, latiùs expandit, unum tamen caput eſt & origo una & una mater, fœcunditatis ſucceſſibus copioſa*. *Hactenus ille*. Ex *cuius uerbis perſpicuum eſſe exiſtimo, ſententia* Cypriani *illa uerba* Chriſti. *Tu es* Petrus, *& tibi dabo claues regni cælorum, & paſce oues meas, ad* Petrum *eſſe dicta, per eadem caput* Eccleſiæ *eſſe conſtitutum*. Nam *idem martyr lib*. 1.

stolos, pari consortio, & honoris & potestatis præditos, ad unum supremum tanquam caput, reuocari Episcopum, non Romanum, sed Dominum nostrum Iesum Christum, cui rationem actus sui sint reddituri, ut sit uidelicet Christi Episcopatus unus, cuius à singulis in solidũ pars tenetur. Ecclesia una, &c. Ex qua nimirum illa sit concordia cohærens Episcoporum, tum Latinorum, tum Africanorum, ac cæterorum omnium. Principiò ex præmissis falsum esse constat, pascendi & regendi munus, reliquis ex æquo Apostolis à Christo fuisse delegatum, & per legitimam successionem ad posteros deriuatum. Nõ enim Christus alijs dixit Apostolis, aut alteri à Petro. Tibi dabo claues regni cœlorũ, & pasce oues meas, sed soli Petro dixit, qui eãdem quoq; autoritatem & potestatem, quã accepit à Christo sup cæteros, trãsmisit ad posteros p legitimã successionẽ, quod alij Apostoli, q æqualem cum Petro potestatẽ non habuerunt, minimè facere potuerunt. Nõ enim aliã aut maiorem ad posteros deriuare potuerunt, quàm ipsi à Domino acceperant.

Quod aũt Cyprianus dicit, Christũ Apostolis oĩbus post resurrectionẽ suã parẽ potestatẽ tribuisse, intelligendũ est, quantũ ad remißionẽ peccatorũ spectat, queadmodũ uerba Dñi, q̃ ab eodẽ probationis gratia adducũtur, demõstrãt.

Deinde quod addit. Hoc *erant utiq; & cæteri Apostoli quod fuit* Petr⁹*,pari consortio præditi,& honoris et potestatis.* Et Episcopatus *unus est cuius à singulis solidum pars tenetur. ita accipienda sunt, ut intelligatur loqui de unitate* Episcopatus*, unum esse dicit, singulos asserit in solidum, non nisi quandam tenere partem, quem quamuis numero multi gerant, ordine tamen ac genere uel gradu dignitatis, par sit in omnibus, quemadmodum exemplis declarat. Non tamen omnium propterea* Episcoporũ *potestas par est, quantum ad usum clauium, & quantum ad iurisdictionem (quæ disciplinæ coniuncta est) pertinet. Dicens autem. Cuius à singulis in solidum pars tenetur, sic accipiēdum credimus, ut dicamus quenq;* Episcopum*, toto sacerdotio fungi in* Ecclesia *sua, docendo, baptizando, ligando, soluēdo, offerēdo, sed ita, ut seruiatur interim disciplinæ, quæ ad pacem & unitatem conseruādam necessaria est omnibus, quæ nihil detrahit muneri* Episcopali*, sed officio ei⁹ legem statuens, functionē potestatis, ad uniuersorum utilitatē moderatur, & ut significetur disciplinæ (quæ discrimē facit inter* Episcopos*, ut alius alio maior habeatur) rationē habēdā esse, sine q̄ nec stare* Episcoporũ *ordo, nec ulla de doctrina in ecclesia uel religio, salubris esse potest. Quātũ ergo attinet ad ordinē ac gen⁹ dignitatis*

par atq; unus episcopatus est, & oẽs episcopi pares sunt. Nã oẽs sic æquè episcopi sunt, atq; æquè multum per impositionẽ manuũ, illis collatum est. Verùm quantum ad disciplinam & iurisdictionem, non omnes pares sunt, sed alius alio maior est. Sic enim super Episcopos, Arbiepiscopi, *& super ipsos patriarchæ, super omnes deniq; papa collocatur.* Vnde S. Leo Papa, *uir & sanctißimus & disertißimus doctißimusq;, epist.* 84. *ad* Anastasium Episcopum Thessalonicensem *cap. ult. scribit in hæc uerba. Sacerdotibus etsi dignitas non sit cõmunis, est tamen ordo generalis, quoniam & inter beatißimos apostolos, in similitudinem honoris, fuit quædã discretio potestatis, & quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præemineret.* De *qua forma,* Episcoporum *quoq; orta est distinctio, & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia uendicarent, sed essent in singulis prouintijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & rursus quidam in maioribus urbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam* Petri *sedem, uniuersalis* Ecclesiæ *cura conflueret, & nihil unquam à suo capite dißideret.* Ha*ctenus ille.* Pares *ergo fuerunt apostoli quantũ ad remittendorum peccatorum attinet potestatem, pares item fuerunt in gradu sacerdotali*

 constituti.

principe fiduciam, ut habeamus autoritatem, uniuersali Ecclesiæ (auxiliante Domino) subuenire, & quicquid nociuum est, autoritate Apostolica, corrigere et emendare. Ad hoc enim diuinæ dispositionis prouisio, gradus diuersos & ordines constituit esse distinctos, ut dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiæ fieret ex diuersitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum. Neq; enim uniuersitas alia poterit ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiæ ordo seruaret. Quia uero quæq; creatura, in una eadémq; æqualitate, gubernari uel uiuere non potest, cœlestium militiarum exempla nos instruunt, quia dum sint Angeli, sint & Archangeli, liquet quia non æquales sunt, sed in potestate & ordine (sicut nostis) differt alter ab altero. Si ergo inter hos, qui sine peccato sunt, constet istam esse distinctionem, quis hominum abnuat, libenter illorum se dispositioni submittere? Hinc enim pax & charitas mutua se uice complectuntur, & manet firma concordia, ac in alterna & Deo placita dilectione synceritas. Quia igitur unumquodque salubriter tunc completur officium, cum fuerit unus, ad quẽ posit recurri Præpositus, uota nostra charitatem tuam latere nolumus. &c.

Euaristus

toriorum, insyncere, adulteratis Cypriani uerbis & sententia adductum, esse, et ex loco eo quē ueteratorie suppreßit, contrarium eius, quod hic constitui uult, concludi & confici, non obtinere uidelicet Romanam Ecclesiam *inter cæteras principalitatem, nec ab ea unitatem sacerdotalem, &* Ecclesiæ *catholicæ pendere. Subijciam autem uerba Cypriani ex epistola 3. libri primi ad Cornelium Papam. Post ista (inquit) adhuc insuper* Pseudo *episcopo, sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad* Petri *cathedram atq;* Ecclesiam *principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse* Romanos, *quorum fides apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia habere non poßit accessum.* Hæc *ille. Principio Cyprianus clarißimis uerbis cathedram* Petri, *Ecclesiam nuncupat principalē, quam* Irenæus *lib. 3. c. 3. uocat maximam & antiquißimam, quam* Anacletus *martyr & pontifex dicit non ab apostolis, sed ab ipso domino saluatore nostro, primatum obtinuisse, sicut ipse beato* Petro *apostolo dixit. Tu es* Petrus *&c.* Athanasius *matrem & caput omnium* Ecclesiarum, *quemadmodum liquet & suprà citatis uerbis illius.* Quid *hisce uerbis clarius?* Et *tamen* Velsius *contendit* Romanam Ecclesiam, *non ideo principalem dici, quod sit maxima & antiqui§i-*

Dist. 22. c. Sacro sancta.

fundamēta principalitatis illius Cathedræ, quā nullæ pluuiæ, hæreticæ loquacitatis, nulla schismatum flumina, nulli tyrannicarum persequutionum uenti, hactenus nec dimouere, nec subuertere potuerunt, nec unquam poterunt in futurum. Et quur hoc? Respondet Christus: Quia *fundata est domus ista super Petram.* Matth. 7. *super uerbum* Domini, *quod manet in æternum.* Esa. 40. *super ueritatem infallibilem, quæ ait* Matt. 24. *Cœlum et terra transibunt, uerba autem mea non præteribunt.* Vanißimum est ergo & ridiculum plane, quod Velsius toties de ruina huius domus, & de ruina eius magna nimis, ingeminat. *Cadere enim non potest, quæ tanta firmitate à* Domino *constabilita est.* Potest quidem Dominus (*quemadmodum frequenter factū cognoscimus*) *iniquitatem domus huius, uisitare in uirga, & in uerberibus peccata eorum, qui domui huic præsunt, ueruntamen domus huius stabilitatem & firmitatem tuebitur usq; ad consummationem seculi.* Ab hac ergo Cathedra à *Christo firmißimè fundata & constabilita, ut exorta est unitas sacerdotalis &* Ecclesiæ, *ita quoq; ab ea dependet.* Vnde *rectißimè inquit* Irenæus *lib. 3. c. 3. de* Romana Ecclesia *loquens:* Ad hanc Ecclesiam *propter potentiorem principaliter, necesse est omnem conuenire* Ecclesiam, *hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua*

semper

ſemper ab his, qui ſunt undiq;, conſeruata eſt ea quæ eſt ab apoſtolis traditio. Audiat hic Velſius propter potentiorem principalitatem, neceßitatem impoſitam eſſe omnibus Eccleſijs, conueniendi ad Romanam Eccleſiam. Videtur ne ergo Velſio ſatis perſpicuum, ab ea unitatem ſacerdotalem & Eccleſiæ Catholicæ pendere? Sed dicit Velſius, nuſquam à Cypriano dici, à Romana Eccleſia unitatem ſacerdotalem, & Eccleſiæ catholicæ pendere, ſed inde exortam eſſe, quæ plurimùm inter ſe differant. Eſto Cyprianus hoc loco uerba illa non habeat, in tractatu tamen de Simplicitate prælatorum, ſenſum uerborum horum habet, quemadmodum oſtendimus, & hic ex Irenæo conſtat. Quid ergo nugatur aut potiùs cauillatur Velſius de uerbo pendere, cuius ſenſus in Cypriano inuenitur? Sed perſiſtit in garritu ſuo, & cõtendit probare differentiam, inter pendere, & exortam eſſe unitatem. Nam ex Hieroſolymis (inquit) ac omnino Iudæa, unitas & fidei noſtræ & religionis exorta eſt, non tamen inde pendet, alioqui neceſſe eſſet, illis locis à fide deſciſcentibus (ut certè deſciuerunt) & fidem noſtram ac religionẽ, euerti ac deficere, quod minimè factum uidemus, imò contrà potiùs (ut Paulus docet) per lapſum illorum ſalus contigit gentibus, in hoc ut ipſi ad æmulandum prouocarentur. Si hæc ille. Scimus

Roma. 11.

ſcriptum

ſcriptum eſſe Eſaiæ 2. De Sion *exibit lex, & uerbum* Domini de Hieruſalem. *Inde enim unitas* Fidei *noſtræ &* Religionis *exorta eſt. Sed præſidi* Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, *non ſunt dicta atque exhibita à* Domino, *quæ* Petro, *qui poſtremam ſedem ſuam* Romæ *collocauit, & ideo inde non pendet, quia* Cathedra Hieroſolymitana, *ex inſtitutione diuina illam autoritatem & ſtabilitatem non accepit à* Domino, *perſeuerandi in eadem firmitate & autoritate, uſq; ad conſummationem ſeculi, quemadmodum* Eccleſia Romana, *& idcirco non ſolùm* Hieroſolymitana, *ſed &* Conſtantinopolitana, Antiochena, Alexandrina, *& omnes pene totius* Orientis Eccleſiæ *defecerunt, quia fundatæ nõ erãt ſuper* Petram, *ſicut* Romana. Nec *neceſſe eſt fidem noſtram ac religionem euerti ac deficere, illis locis à fide deſciſcentibus, modò immobiliter & firmiter* Romanæ Catholicæ Eccleſiæ *fidei, & unitati ac obedientiæ inhæſerimus, cùm præcipua cauſa defectus & uaſtationis illarum* Eccleſiarum *fuerit, inobedientia erga* Romanam *ſedem, & ſchiſmatica diuiſio à capite.* Quod *autem* Velſius *huc torquet dictum* Pauli *ex* Epiſtola *ad* Romanos, *uide quàm inepte.* Paulus *enim loquitur de* Iudæis *in incredulitate permanentibus, & fidem* CHRISTI *non recipientibus, non autem hic ſermo eſt, de*

christianis credentibus. Sed Velsius in sua persistens erronea sententia, Hanc(inquit) ueram huius loci sententiam esse, & ipsa satis uerba ostendunt, & quæ sequuntur, clarius etiam demonstrant. Nam cùm subijcit: Quæ autem causa ueniendi, & Pseudoēpiscopum, contra Episcopos factum nunciandi: manifestè ostendit sibi displicere, & ut statim subijcit, scelus etiam uideri, Episcopi electi confirmationem, sprета legitima, quenq; in suo loco eligendi & cōfirmandi ratione, à Romano Episcopo postulare. Quod quæ sequuntur, manifestius etiā ostendūt, cū inquit: Aut enim placet illis q̃ fecerunt, & in suo scelere pseuerant, aut si displicet, et recedūt, sciunt quo reuertantur. Nam cùm statutū sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac iustum, ut uniuscuiusq; causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, oportet utiq; eos quibus præsumus, non circūcursare, nec Episcoporū concordiā cohærentē, sua subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suā, ubi & accusatores habere, et testes sui criminis poßint, nisi paucis desperatis & perditis, minor uidetur esse autoritas Episcoporū in Africa cōstitutorū, qui iā de illis iudicauerūt, & eorū conscientiā multis delicto-

rum

rum laqueis uinctã, iudicij sui nuper grauitate dãnarunt. Luce (ut arbitror) clarius ex his patet, nolle Cyprianũ ex autoritate, & (ut loquũtur) iurisdictione Romanæ Ecclesiæ, eas quæ in Africa sunt pendêre, & ab ea ius cõfirmationis electionis petere, aut etiã ibi de electionis cõtrouersia disceptari, cũ in Africã eos reuocet, ibiq; (ut statutũ asserit) causam audiri uelit. Hactenus ille. Nã ad ea quæ sequuntur uerba respõdimus. Videamus nunc q̃ insyncerè Velsius serpentina quadã calliditate producat in erroris sui patrocinium Cyprianum. Sciendũ est itaq;, quẽadmodum ex iã citata Epistola Cypriani apertè colligitur, S. Cyprianum Ecclesiæ causam agere, aduersus Felicißimum hostem Christi, non nouum, sed iampridem, ob crimina sua plurima & grauißima, ostensum, & non solùm Cypriani, sed & plurimorum Episcoporum sententia condemnatum & reiectum, & à Cornelio Romano Pontifice, Romæ ab Ecclesia prohibitũ, & cùm uenisset stipatus caterua, et factione desperatorũ, uigore pleno (quo Episcopũ agere oportet) pulsum de Ecclesia fuisse, quẽ scribit schismatis & dißidij authorẽ, signiferũ seditionis, pecuniæ cõmissæ fraudatorẽ, stupratorẽ uirginũ, et matrimoniorũ multorũ depopulatorem atq; corruptorem. Quem appellat Pseudoëpiscopum, à paucis & inueteratis hæreticis constitutum.

Deinde contra Fortunatũ, quem ait esse unum de quinq; presbyteris de Ecclesia profugis, & sententia, Coepiscoporum suorum multorum & grauißimorum uirorum, abstentum. Præterea contra Maximum presbiterum, quem pars Nouatiani, Pseudoepiscopum sibi feciße dicebatur, quem dicit à suorum communione reiectum fuisse. Scribit quoque Priuatum ueterem hæreticum in Pambæstana Colonia, ante multos ferè annos ob multa & grauia delicta, nonaginta Episcoporum sententia condemnatum, etiam antecessorum suorum Fabiani & Donati literis seuerißimè notatum: & dicit eum, Fortunatum Pseudoepiscopum, dignum collegio suo fecisse, uenisseq; cum eo Carthaginem, Felicem quendam, quem ipsa extra Ecclesiam in hæresi, Pseudoepiscopum olim constituerat. Notat quoq; Iouinum & Maximum Priuati hæretici comites, ob nefanda sacrificia & crimina in se probata, sententia nouem collegarum suorum, condemnatos, & iterato quoque à pluribus Episcopis in Concilio abstentos. His autem quatuor, iunctum scribit & Repositum Saturnicensem, qui non tantùm in persecutione ipse ceciderat, sed & maximam partem plebis suæ sacrilega persuasione deiecerat. Hi quinq; (inquit) cum paucis uel sacrificantibus, uel malè sibi conscijs, Fortunatum sibi Pseudoepiscopum cooptauerunt,

runt, ut criminibus in unum conuenientibus, talis esset scilicet rector, quales illi qui reguntur: ut interim taceat fraudes Ecclesiæ factas, coniurationes eorum, & adulteria, & uaria delictorum genera. Denique dicit eos foris sibi extra Ecclesiam, & contra Ecclesiam, constituisse cõuenticulum perditæ factionis. Hæc Beatus Cyprianus scribit Cornelio Papæ, per Felicianum acolythum, qui dum uel uento retardabatur, uel accipiendis alijs epistolis, detineretur, à Felicißimo Romam properante, præuentus fuit. Ita (inquit) scelera festimant, quasi contra innocentiam, festimatione præualeant. Et iterum. Post ista adhuc insuper Pseudoepiscopo (inquit) sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram, &c. à schismaticis & profanis literas ferre, &c. Ex quibus omnibus manifestè colligitur, hos fuisse ab Episcopis Aphricæ, ob grauißima crimina iam enumerata iustißimè condemnatos, qui tamen iustißimæ condẽnationi suæ minimè acquiescẽtes, quidam eorũ acceptis literis à schismaticis & prophanis seditiosorum more Romam nauigarũt, ubi negocium suum magna importunitate egerunt, & Cornelium Papam summa cũ desperatione aggreßi sunt, comminãtes, quod si literas quas attulerant non acciperet, publicè eas recitarẽt, et tã turpia, et probrosa, et ore suo digna

proferebant (solent enim mali quod iure atque æquitate non possunt, temeritate atque despe-ratione perficere) ut Cornelius aliquantulum commoueretur. Displicuit ergo Cypriano, & scelus etiam uidebatur, non confirmationem electi Episcopi, à Romano Episcopo (ut Velsius ait) postulare, sed quod hij qui ab Episcopis & collegis suis erant condemnati, schismaticorum & hæreticorum more Pseudoëpiscopum sibi præfecerant, & Romam miserant pro illius cōfirmatione obtinenda. Quam ut eò faciliùs impetrarent, quasi filij diaboli, & mendacio pleni, ausi sunt iactare, uiginti quinq; Episcopos adfuisse, cùm tamen non nisi quinq; adfuerint. Et quanquam malè egerint, & idcirco nihil patrocinij aut præsidij à Romano Pontifice retulerint, illo tamen seditioso suo exemplo haud obscurè indicarunt, illo quoq; tēpore in Aphrica fuisse receptum, Ecclesiasticas disceptationes uel contentiones autoritate Apostolicæ Sedis terminari & componi solere. Nisi enim hoc seditiosi illi cognouissent, nequaquam illius Sedis patrocinium licet fraudulēter implorassent, nunquam Romam cum mendaciorum suorum merce nauigassent, ut contrarium eius, quod hîc constituit Velsius, concludatur, & conficiatur. Quod ex Epistola Anacleti Pontificis & martyris liquet, qua uniuersæ Aphricanæ regio-

nis Episcoporũ cõsultationibus respõdet dicẽs: Consulẽtibus uobis fratres charißimi, qd super his, quæ in uestris continebantur scriptis, uisum esset nobis, uel qd docibilis ratio persuaderet, aut qd à Beatis Apostolis nobis traditũ aut custoditũ remaneret, optãtes (ut retulistis) nostris instrui documentis, dilectio uestra Ecclesiasticã normã secuta, ad Sedẽ Apostolicã referre maluit, quasi ad caput, qd deberet de rebus dubijs custodire, q̃ usurpatione temeraria, q̃ sibi uiderentur, præsumere. Videtis ne hic normã Ecclesiasticã, q̃ secuti illi Aphricani Episcopi, referebant suas dubitationes, ad beatißimi Petri Cathedrã?

Nota est Epistola Stephani Archiepiscopi, et triũ Cõciliorũ Aphricæ, ad Damasum Papã, de priuilegio Romanæ Sedis, q̃ ex cõmuni Decreto ad eũ scripserunt in hæc uerba: Beatißimo Dño, & Apostolico culmine sublimato, sancto Patri Patrũ Damaso Papæ, & summo omnium Præsulũ Põtifici, Stephanus Archiepiscopus Cõcilij Mauritaniæ, et uniuersi Episcopi de tribus Cõcilijs Aphricanæ prouinciæ. Notũ uestræ facimus Beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis positi, quosdã fratres nostros, uenerabiles uidelicet Episcopos, uobis inconsultis, à proprio deijciunt gradu, uel deijcere moliuntur, cùm uestræ Sedi, Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorũ,

in honore Beatißimi Petri, Patrum decreta omnium, cunctam reseruare sententiam, inquirendi reuerentia de Dei rebus, quas omni cura & solicitudine, obseruare debemus. Maximè uerò iustè debent ab ipso Præsulum examinari uertice Apostolico, cuius uetusta solicitudo est, tã mala laudare, quàm releuare laudanda. Antiquis enim Regulis sancitum est, ut quicquid bonorum quamuis in remotis, uel in longinquo positis, ageretur prouincijs, non prius tractandum uel accipiendũ sit, nisi ad notitiã Almæ Sedis uestræ fuisset deductum, ut eius autoritate, iuxta quod fuisset pronunciatum, firmaretur; & reliqua multoties talia, & his similia, quæ super his constituta sunt, quibus si illicitè factum est (ut semper uestræ Sedi consuetudo fuit) festinanter occurrite, & his uiriliter, ut pater pro filijs, certantes state, sicut bene à Iesu filio Sirach dictum est: Vsq; ad mortem certa pro ueritate, & semper Dominus Deus tuus pugnabit pro te. Accipere enim personam impij, non est bonum, ut declines à ueritate iudicij. Sin minus illicita sunt hæc, pateat nobis talis omnibus licẽtia, beatißime Pater. Aut si liceat hos, uel aliquos etiam minorum graduum clericos, nisi canonicè tempore legitimo uocatos, aut sine legitimis accusatoribus, aut absq; ueris & innocentibus testibus, uel nisi manifestè, canonicè conuictos

uictos, aut sponte confessos, uel à suis sedibus eie ctos, aut suis expoliatos rebus, uocari ad Synodum, uel damnare, quia legimus eos non posse canonice ad Synodum, ante suam diu tenendam & gubernandam, uiribus scilicet pleniter resumptis, restitutionem, suisq; omnibus sibi legaliter restitutis, integerrime uocari, aut ut ueniãt ad Synodum, nisi sponte uoluerint, imperari. Hactenus illi. Ecce hic habes Episcopos Aphricæ trium Conciliorum, una cum suo Archiepiscopo Stephano, palàm fateri, Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum, Patrum decreta omnium, cunctam reseruasse sententiam, & antiquis regulis sancitum esse, ut quicquid horum quamuis in remotis uel in lõginquo positis ageretur prouincijs, non priùs tractandum uel accipiendum esse, nisi ad notitiam Almæ Sedis fuisset deductum, ut eius autoritate firmaretur. Vbi etiam narrant quosdam uicinos fratres, inconsulta sede Romana, quosdam Episcopos, à proprio gradu deiecisse, uel deijcere molitos, fatenturq; Romanæ Sedis semper fuisse consuetudinem, ut illicite factis, festinanter occurreret: Sed & Damasus Papa pulchram illis rescripsit epistolam, in qua ostendit Episcoporum iudicia, & maiores causas, non aliter quàm autoritate Sedis Apostolicæ terminandas. Habetur hæc epistola in

Tomo Conciliorum primo, inter decreta Damasi Papæ primi.

In Sardicensi Synodo cap.7. Romano Pontifici, suprema Iurisdictio tribuitur, uelut ad quem ex toto orbe appellare liceat. Cui Concilio interfuerunt & assenserunt Aphricani Episcopi, ut habet eiusdem Concilij epistola, quæ à calce eius impressa est, excerpta è Theoderito lib.2.c.8.& Tripart.lib.4.cap.24.

Quū uerò Legati Romani Pontificis, ad 6. Synodum Carthaginensem missi dixissent, hunc canonem esse Concilij Niceni, Aphricani Episcopi ad Bonifacium primum Romanum, item ad Acatium Constantinopolitanum, & Cyrillum Alexandrinum Episcopos scripserunt, ut eis uera exemplaria Canonum Niceni Concilij, communicare dignarentur. Quod tamen ipsis non fuisset necessarium, si meminissent hunc canonem, suorum prædecessorum assensu firmatum fuisse in Concilio Sardicensi, non minoris autoritatis, quam fuit Nicenum paulò antè habitum, cuius illud reuera appendix est. Habetur autem hæc eorum Epistola ad Bonifacium Primum, post Canones Concilij Aphricani. Et alia eiusdem Concilij, ad Papam Celestinum, de qua Epistola quid scribat Bonifacius Secundus, uidere est in Epistola eius, ad Eulalium Alexandrinum, qui autoritatem

Roma-

Romani Pontificis, per Aurelium Carthaginensem Episcopum oblesam, rursus agnoscens, reconciliatus est Ecclesiæ Romanæ.

Mos erat Aphricanis Episcopis, ut decreta Aphricanorum Conciliorum, mitterent ad Romanum Pontificem approbanda, quod Epistola 92. Augustinus testatur, quæ eadem est Concilij Mileuitani, & altera 90. quæ eadē est etiam Concilij Carthaginensis.

Et ne de hoc teste Pontifice certè sanctißimo & doctißimo quis dubitet, extant ad eundem cō plures Epistolæ Aphricanorum Episcoporum, et præsertim ambæ illæ B. Augustini 90. & 92. quæ idem satis confirmant.

Et Poßidonius in uita Augustini testatur, Aphricanos causa Pelagij & Celestij Pelagianorum, ad Innocentium Primum, & Zozimum Pōtificem, dijudicandam retulisse, qui datis literis ad Aphricanas Ecclesias, eos anathematizarunt. Idem testatur Prosper Aquitanus in suis Chronicis.

Et Poßidonius testatur Aphricanos Episcopos, mādatis Pōtificis Romani semp obtēperasse Cōstitutus (inqt) in Cæsariēsi Mauritaniæ ciuitate uenerabilis Augustin⁹, quo eū uenire cū alijs Episcopis, Sedis Apostolicæ literæ cōpulerāt, ob terminādas uidelicet alias Ecclesiæ neceßitates.

Victor in li. de pſecutione Wandalica, scribit Eug-

Eugenium electum Carthaginensem Episcopū, Hunerico tyranno, cùm disputationem publicā suis & Catholicis indiceret, respondisse: Permitte ô rex scribam ad Coëpiscopos meos, & Ecclesiam potissimum Romanam, quæ caput est omnium Ecclesiarum, ut de Religione cum tuis, una liberè cōtendamus. Atque idem uictor narrat quosdam catholicos pulsos in Mauritaniæ quibusdam partibus, ubi Christus antea nō erat cognitus, multos in Christianismum pexduxisse, atque misisse Romam ad Pontificem, ut præficeret nouæ Ecclesiæ Episcopos. Vides hic institionem Aphricanorum Episcoporū fecisse Romanum Pontificem?

Tertullianus uetustißimus Apher li. de Præscrip. aduersus Hæret. testatur uerbis disertis Ecclesias Aphricanas, suam originem ad Romanam Ecclesiam, tanquam matricem retulisse, ita inquiens: Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum, suis locis præsidentur. Et post pauca: Si autem Italiæ adiaces, habes Romanam, unde nobis (nimirum Aphris) quoque autoritas prestò est statuta. Et paulò pòst: Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Aphricanis quoq; Ecclesiis contestatur unum Deum: Nouit Deum Creatorem uniuersitatis, &c.

Ad hæc S. Cyprianus (quem Velsius in suam

sen-

tentiam detorquere contendit) lib. 3. epist. 11. Cornelio Papæ *perscribit omnia, de nonnullis ad* Ecclesiam *reuersis, qui schismaticorum uenenata astutia circumuenti fuerant.* Vt motum *omnium (inquit) & consilium singulorum dignosceres, etiam sententias nostras placuit, in notitias uestras perferri, quas et subiectas leges.* Vbi *deinde scribit quomodo in presbyterium uenerint, refert, & propriam eorum professionē, & propria uerba designat.* Nos*(inquiunt)*Cornelium Episcopum, *sanctißimæ* Catholicæ Ecclesiæ *erectum à* Deo *omnipotente, &* Christo Domino *nostro scimus.* Nos *errorem nostrum confitemur.* Circumuenti *sumus perfidiæ loquacitate factiosa amentes.* Videbamur *quasi quandam cōmunicationem cum schismatico homine habuisse.* Syncera *tamen mens nostra, semper in* Ecclesia *fuit.* Nec *ignoramus unum* Deum *esse, & unum* Christum *esse dominum, quem confeßi sumus, unum spiritum* Sanctum, *unum* Episcopum *in* Catholica Ecclesia *esse debere.* Hactenus *illi.* Planè *hæc eorum profeßio, proprijs ipsorum uerbis designata, indicat* Ecclesiam Aphricanam *tempore* Cypriani *credidisse, unum* Episcopum *in* Catholica Ecclesia *esse debere, quem tunc* Cornelium Romanæ *urbis* Episcopum *profitebātur, dum dicebant:*Cornelium Episcopum, *sanctißimæ* Catholicæ *(id est uniuersalis)*

ſalis) Eccleſiæ, *erectum ſcimus à* Deo. *Quod etiam ex* Epiſt. 2. *lib. quæ eſt ad* Antonianum *colligitur, ubi ita ſcribit:* Accepimus *primas literas tuas frater chariſſime, concordiam collegij ſacerdolis firmiter obſtringentes, & catholicæ* Eccleſiæ *cohærentes, quibus ſignificaſti, cũ* No*uatiano te non communicare, ſed ſequi conſiliũ noſtrum, & cum* Cornelio Coëpiſcopo *noſtro, unum tenere conſenſum. Scripſiſti etiam ut exemplum earundem literarum, ad* Cornelium *collegam noſtrum trãſmitterem, ut depoſita omni ſolicitudine, iam ſciret, te ſecum, hoc eſt, cum* Catholica Eccleſia *communicare. Hæc ille.* Ex *cuius uerbis liquet, eum qui communicat cũ* Romano Pontifice, *communicare cum* Catholica Eccleſia, *cui⁹ ille uniuerſalis eſt paſtor &* E*piſcopus. Quid autem ipſe* Cyprianus *de* Cathedra Petri *ſentiat, & eius prærogatiuis, ex epiſt.* 3. *li.* 1. *liquet. Deniq; lib.* 3. *epi.* 13. *ad* Stephanum *ſcribit de* Martiano Arelatẽſi Epiſcopo *hæreſiarcha, ut eum* Epiſcopatu *deponat, & aliũ loco eius ſuſtituat. Cũ enim illius hæreticam præſumptionem explicaſſet: Quapropter (inquit) facere te oportet pleniſſimas literas, ad* Coëpiſcopos *noſtros in* Gallijs *conſtitutos, ne ultra* Martianum *peruicacem & ſuperbũ, & diuinæ pietatis ac fraternæ ſalutis inimicum, collegio noſtro inſultare patiantur, quòd necdum à nobis uidea-*
tur

tur abstetus, qui iam pridem iactat & prædicat, quod Nouatiano studens, & eius, peruicatiã sequens, à communicatione se nostra segregauerit, cũ Nouatianus ipse quẽ seqtur, olim abstentus, hostis Ecclesiæ iudicatus sit, & cùm ad nos in Aphricam legatum misisset, optans ad communicationem nostram admitti, hinc à Concilio plurimorum sacerdotum, qui præsentes eramus, sententiã retulerit, se foris esse cœpisse, nec posse à quodam nostrũ, sibi communicari, qui Episcopo Cornelio in Catholica Ecclesia, Dei iudicio, & cleri ac plebis suffragio ordinato, prophanum altare erigere, & adulteram Cathedram collocare, & sacrilega cõtra uerum sacerdotem sacrificia offerre tẽtauerit. Hic audis Aphricanos Episcopos, ei noluisse communicare, qui Cornelio Episcopo Romano (quem in Catholica Ecclesia, Dei iudicio dicunt esse ordinatum) non communicauit.

Ex quibus omnibus constat, nõ displicere Cypriano, & multò minùs scelus illi uideri, Episcopi electi confirmationem, à Romano Episcopo postulare, cum ostensum sit Aphricanos Episcopos Apostolicæ Sedis ac Cathedræ autoritatẽ agnouisse, ac religiose obseruasse.

Porrò uerba Cypriani quæ sequuntur: Nã cũ statutũ sit omnibus nobis, & æquũ sit pariter ac iustum, ut uniuscuiusque causa illuc audiatur,

ubi est crimen admissum, &c. Nihil pro Velsio cōtra autoritatē summi Pontificis faciunt. Nam æquum est & iustum, ut uniuscuiusq; causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, nihilominus tamen ad Sedem Apostolicam spectat (quemadmodum copiose ostendimus) causas alibi dijudicatas (maximè si dijudicati querantur se iniustè grauatos) examinare, & iustitiam earundem inuestigare, ut iniustè damnati liberentur ac absoluantur, iustè uerò, secundùm Ecclesiasticam disciplinā coerceantur, et puniātur. Vnde Gelasius Papa in Epist. ad Episcopos Dardaniæ. Nec illa (inquit) prætermimus, quòd Apostolicæ Sedi frequēter datum est more maiorum, ut etiam sine ulla Synodo præcedente, & soluendi, quos Synodus iniquè damnauerat, & dānandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit potestatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absoluit. Sanctæ memoriæ nihilominus Ioannem Constantinopolitanum, Synodus etiam Catholicorum Præsidū certè damnauerat, quem simili modo Sedes Apostólica etiam sola, quia non consensit, absoluit. Itemq; sanctum Flauianum Pontificem, Græcorum congregatione damnatum, pari tenore, quia sola Sedes Apostolica, non consensit, absoluit,

uit, potiùs quàm, qui illuc receptus fuerat, Dioſcorum ſecundæ Sedis præſulem, quem ſua autoritate damnauit, & impiam Synodum non conſentiendo, ſubmouit ſola. Hactenus ille. Porrò illi de quibus loquitur Cyprianus, iuſtiſſimè (quemadmodum oſtenſum eſt) erant ab Aphricanis Epiſcopis iudicati & condemnati, qui etiam meritò debuerant eorum iuſto iudicio ſtare & acquieſcere, atq; pœnitētiam agere. Ita enim ait de illis: Niſi paucis deſperatis & perditis, minor uidetur eſſe autoritas Epiſcoporū in Aphrica cōſtitutorū, qui iam de illis iudicauerūt, & eorum conſcientiā multis delictorū laqueis uinctam, iudicij ſui nuper grauitate dānarunt. Hæc ille. Verùm quoniam perditi erant & deſperati, circūcurſabant, & Epiſcoporum concordiam cohærentē, ſua ſubdola et fallaci temeritate collidere contēdebāt, unde etiā Romā cū mendaciorū ſuorū mercib⁹ nauigarūt, quod ſanctiſſimū Cyprianum (quē conſtat unitatis Eccleſiaſticæ & Catholicæ fidei fuiſſe accerrimum propugnatorē) malè habuit, unde ſolicit⁹ fuit hæc Romano pſcribere Pontifici, ne circumueniretur ab illis, & iuſtiſſimè damnatos ignoranter abſolueret.

Deinde probat Velſius nō eā eſſe Cypriani ſententiam, quod Cornelium Romanum Epiſcopū, et alios, ad quos, aut de qbus alioqui ſcribit, non alijs nominibus, quam fratrum collegarū, con-

ſacerdotum, Coëpiſcoporum, & conſimilibus di gnetur, quæ non Principalitatem aliquam & Primatum, ac omnino inæqualitatem odij, diſcordiæ & bellorum ac malorum omnium ſeminarium, ſed potius pacificam æqualitatẽ declarant, ut taceat interim, quod Stephanũ Cornelij ſucceſſorem, durius etiam accipere non reformidet, nunc obſtinationem duram, nunc arrogantiã, nũc inſcitiã, & alia id genus illi obijciẽs, quod quo loco ipſum habuerit, facile indicat. Hacten⁹ Velſius. Falciſsimũ in primis eſt ꝙ Velſi⁹ inſinuat, nimirum, inæqualitatem iſtam, de qua nunc loquimur, quæ eſt inter Romanum Pontificem, *& cæteros* Epiſcopos, *eſſe ſeminarium odij, diſcordiæ, bellorum ac malorum omnium, cùm iſta inæqualitas, & unius in* Eccleſia *Primatus, adeò ſit neceſſarius, ut abſq; eo* Reſpublica *Chriſtiana in ſua tranquillitate & pace ſubſiſtere nequeat, uerùm ſuperbia* Epiſcoporum *ambitioſorum, & peruerſorum hæreticorũ, qui hunc Primatum agnoſcere noluerunt, omnium malorum ac bellorum ſeminarium fuit.*

Deniq; ex ſuperioribus liquet, oportere in Eccleſia Ordinem eſſe ac ſeriem, qui in unũ aliquem deſinat ſupremum, tanꝗ maximi alicuius boni, tranquillitatis nimirũ & cõcordiæ, cauſa.

Deinde ridiculum plane eſt argumentum, Cyprianus Corneliũ Romanum Epiſcopũ, aut alios ad

ad quos scribit, non alijs nominibus, quam fratrum, collegarum, consacerdotum & Coëpiscoporum dignatur, quæ non Principalitatem aliquam & Primatum, sed æqualitatem declarant, Ergo Romanus Pontifex nõ obtinet Primatum, neq; Romana Ecclesia Principalitatem. *Istũ argumentandi modum* Velsius *didicit ex* Luthero, *qui ex uerbis* Gregorij *dicentis*: Petrus non uocatur uniuersalis Apostolũs, *subinfert, ergo nõ erat uniuersalis.* Quamq̃ *enim humilitatis gratia, talem nuncupationẽ recusauerit* Petrus, *fuit nihilominus reuera talis.* Ita *licet* Cyprianus *non alijs nominibus eũ dignetur, q̃ quæ æqualitatem indicant, nõ tamen idcirco continuo sequatur,* Cyprianum Cornelio *fuisse æqualẽ.* Vides q̃ *demonstratiuis & scientificis rationibus, ex indubitatis notionibus & principijs, sacrisq; ac diuinitùs traditis oraculis deprompti utatur, & sua conficiat argumenta?* Et *quamq̃* Cyprianus *non alijs nominibus* Cornelium *dignetur, alibi tamẽ satis indicat quid de hac re sentiat. Siquidẽ in* Epist. *quadam ad* Quirinũ *ita scribit:* Nec Petrus *quẽ primum* Dñs *elegit, & sup quẽ ædificauit* Ecclesiã *suã, cũ* Paulus *de circũsione postmodũ disceptaret, se uindicauit, seu aliqd insolẽter aut arrogãter aßũpsit, ut diceret se primatũ tenere, & obtẽperari à nouellis et posteris sibi potius oportere.* Hæc ille. Ex *cuius uerbis liquet,*

quòd Dominus Petrum primùm elegit, at nõ uocatione, ſed dignitate, deinde q; ſuper Petrũ ædificauit Eccleſiam ſuam, deniq; q; de Primatu etiã facit mentionem. Huc ſpectat quod ſuprà ex lib.3. epiſt.11. ad Cornelium Papam retulimus. Quod autem Cyprianus Stephanũ Cornelij ſuc ceſſorem, duriùs excipiat, nihil penitus pro Velſio facit. Nam Cyprianus quemadmodum iniquã cauſam defendebat, ita quoq; immeritò Beatum Stephanum duriùs excepit. Exiſtimans enim ſe una cum alijs collegis ſuis Epiſcopis rectè ſentire, zelo fidei commotus, Stephanum rectè ſentientem, quem tamen non rectè ſentire credebat, duriùs excepit.

Non eſt itaq; Antichriſtianũ dogma (ut Velſius mentitur) Romanã Eccleſiam (quã non Pauli, ſed Petri Cathedram appellare debemus) inter cæteras omnes Eccleſias Principalitatem obtinere, ſed eſt dogma ſententiæ ſacræ Scripturæ & ſanctorum Patrum conſentaneum, quemadmodum ex ſupradictis conſtat. Neq; nos dicimus Romanam Eccleſiam, aut eius Antiſtitem, ſibi ſupra Eccleſias alias, earúmque præfectos Epiſcopos, principalitatem & primatum uſurpare, ſed eundem obtinere iure diuino, eundem poßidere ex inſtitutione Chriſti. Quæ deinde refert, q; antiquus ille ſerpens, generis humani hoſtis, hoc peſtilentißimo ueneno, nõ ſemel, ſed

etiam

etiam post institutum sacrosanctæ cœnæ mysterium, Apostolos afflare conatus sit, excitata inter ipsos de primatu cõtentione, quo Christi regnum & Ecclesiã in Herba (quod dici solet) necaret, unitatemq́; eius seditione inter Apostolos introducẽda, distraheret ac diuelleret, quis ignorat? Sed quemadmodum Christus eorum de primatu contentionem ac primatus ambitionem commodè & salutariter repressit, ita nos haudquaquam probamus eos, qui ad hunc honorem aspirant: qui hanc potestatem, hanc autoritatem ambiunt, qui muneribus ac largitionibus sibi comparant, denique qui armata manu sibi uiolenter usurpant. Nihilominus tamen non iniquè faciunt, qui uocati sunt sicut Aaron, qui per legitimam electionem, ad hunc apicem dignitatis sunt euecti, si potestatem sibi diuino iure debitam, ab alijs uindicent, quibus licet non debeatur, tamen sibi iniqua ambitione usurpare præsumunt, sicut fecisse scribit Velsius Ioannem monachum, qui summam humilitatem fingens, Regiæ Vrbis Constantinopolis factus est, Antistes ac Patriarcha, quam intus occultauerat, ambitionem prodens, primatum sibi uendicare conabatur, & œcumenici atque uniuersalis Episcopi titulum, ex decreto synodi Constantinopoli coactæ, usurpabat, suámque Ecclesiam, quod

eis urbis esset, in qua Sedes Imperij erat, Principē inter omnes Ecclesias locum, obtinere uoluit. Porrò *Constantinopolitani Antistites, modo suo non contenti, sed elati ob sedem Imperialem, eandem ambierunt penè à principio numerari inter Sedes principales secundam post* Romanam *Ecclesiam. In quod in gratiam & fauorem* Principum *inclinata fuit primùm Constantinopolitana prima Synodus, altera uniuersalis, post* Nicenam, *sub* Theodosio Principe, *deinde* Calcedonensis, *ambitione atq; importunitate* Anatholij *Constantinopolitani Episcopi, instante etiam* Martiano Principe. *Sed illorum iniustæ ambitioni, diu restitit* Apostolicæ *Sedis autoritas, neque tunc permisit uoti compotes fieri.* Ex *cuius tamen conniuentia, illorūq; pertinaci, plurimorum annorum ambitione, cùm tandē id obtinuissent (ut nullum modum nouit ambitio) demum sub* Pelagio Romano Pontifice, *&* Mauritio Imperatore Ioannes iste Constantinopolitanus *Episcopus, eo prorupit uesaniæ, ut conuocato* Episcoporum *aliquot sibi consentientium* Concilio, *in eo œcumenicum, hoc est, uniuersalem se pronunciaret* Patriarcham *&* Episcopum. *Sed aduersus illius insolentiam iustissimè idem Pelagius insurgens, Concilium illud, sua &* Apostolicæ *Sedis autoritate, deduxit in irritum, &* Episcopis *qui in eo cōuenerant, stul*

tæ il-

tæ illius elationi & insolentiæ consentire atq; as sentari, sub anathematis interminatione interdi xit. Addens, *tã prædecessores illius, q̃ illũ ipsum etiã* Ioannem, *suis literis & epistolis, proprio roboratis sigillo, et chirographo,* Apostolicæ Se*dis autoritatẽ, sæpè recognouisse, & publicè cõ fessos fuisse, sup uniuersam* Christi Ecclesiã, *sei psos etiam, successoresq; suos si aduersus eiusdẽ* Sedis *autoritatem, se unquam efferrent, constringentes anathematis uinculo. Idcirco (inquit) non est necesse illos excommunicare, aut anathematizare, quia ipsi anathematis uinculo seipsos (proprijs manib⁹ professiones suas, suaq; scripta roborãtes cõstrinxerũt.* Hæc ille Pelagi⁹ *ad* Episcopos, *qui ad illicitã uocationẽ* Ioannis Constantinopolitani Episcopi *cõuenerant.* Sed *hæc contentio de* Primatu, *culpã habuit, non ex parte* Romanorũ Pontificũ, *qui* Primatũ *sibi iu re diuino & ex institutione* Christi *debitũ, pro uirili defenderunt, sed ex parte* Patriarcharum Constãtinopolitanæ *sedis sibi ius indebitũ usurpantiũ.* Vnde & Pelagio *humanis rebus exẽpto, eadẽ tẽpestas excepit* S. Gregorium, *qui ob id, quod* Ioannis *illius ambitioni aduersaretur, etiam* Mauritij Imperatoris, *grauissimas inimicitias pertulit.* Cui *quadam* Epistola *respondẽs, nõ suã eã causam esse, sed* Dei, *et totius* Ecclesiæ, *contestatus est.* Quia *(inquit) piæ leges, quia ue-*

nerandæ Synodi, quia ipsa Domini nostri Iesu Christi mandata, superbi & pompatici cuiusdã sermonis inuentione turbãtur. Cunctis enim Euangeliũ scientibus liquet, quod uoce dominica Sancto, & omniũ Apostolorum Petro Principi Apostolo, totius Ecclesiæ cura cõmissa est. Ipsi enim dicitur: Petre amas me? Pasce oues meas. Ipsi dicitur: Ecce Sathanas petijt cribrare uos, sicut triticũ, et ego rogaui pro te Petre, ut nõ deficiat fides tua, & tu aliquando cõuersus, confirma fratres tuos. Ipsi dicitur: Tu es Petrus, & super hanc Petram, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ infrorum non præualebunt aduersus eã. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris super terram, &c. Ecce potestas ei ligandi, soluendique tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur, & tamen uniuersalis Apostolus non nominatur. Et uir sanctißimus consacerdos meus Ioannes, uocari uniuersalis Episcopus conatur? Exclamare compellor & dicere. O tempora, ô mores. Ecce cuncta in Europæ partibus, barbarorum iuri sunt tradita, destructæ urbes, euersa castra, depopulatæ prouinciæ, nullus cultor terrã inhabitat, sæuiunt & dominantur quotidie in necem fideliũ cultores idolorum. Et tamen sacerdotes, qui in pauimento & cinere flentes iacere debuerunt, unitatis sibi nomina expetunt, & nouis ac

pro-

prophanis uocabulis gloriantur. Hactenus ille. Porrò ne Velsius, aut Velsianus aliquis illa uerba S. Gregorij nimirum: *Et tamen uniuersalis Apostolus non nominatur, ita accipiat, ut neget Petrū uniuersalem fuisse Apostolū, sciat haud rectè inferri: Petrus nō uocatur uniuersalis Apostolus, ergo non erat uniuersalis.* Licet enim humilitatis gratia, talem nūcupationem Petrus rēnuerit, fuit nihilominus (quemadmodum paulò antè diximus) reuera talis, id quod ipsa Gregorij uerba confitentur. Nam Gregorius affirmat totius Ecclesiæ curam & principatum, fuisse Petro commissum. Et quis non est uniuersalis Ecclesiæ Pontifex habendus, cui totius uniuersalis Ecclesiæ cura principatusq; committitur. Sed & ipse Gregorius nomen uniuersalis recusauit, quum ei per Synodum Chalcedonensem fuit oblatum, quod non idcirco fecit, quòd non esset reuera uniuersalis, sed ambitionis uitandæ causa, & ut cæteris exemplum præberet fugiēdi nomina tam gloriosa. Neq; certè credendum est tantam Synodum, hoc illi nomen unquam in gratiam adulanter obtulisse, si non diuino iure, id ei competere cognouissent. Sed ut ad propositum reuertamur, cùm aduersus Mauritiū, diuina ultio, suæ uindex Ecclesiæ, Phocam tandem excitasset, militari tumultu imperatorem creatum, idem post sublatum cum coniuge et li-
 beris

beris Mauritium, etiam scandalum illud ab Ecclesia sustulit, atq; imperiali edicto Constantinopolitani Episcopi insolentiam coercuit, uetuitq; ne quis alius nominaretur, uniuersalis Ecclesiæ Patriarcha aut Episcopus, quã unus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, quæ ut semper fuit caput Ecclesiarum omnium, ita & hic Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Princeps semper est habitus. Et hic Velsius, prauo in Ecclesiasticam authoritatem affectu, dicit Bonifacium Tertium, cui per ἀντίφρασιν nomen contigisse credit, à Phoca Imperatore & uiro scelerum (ut ipse loquitur) qui auaritia & adulterijs, animum corruptissimum haberet, qui Dominum suum Mauritium proditoriè occiderat, inertißimæ mentis Imperatore, per fas & nefas obtinuisse, ut Romanus Episcopus ab ipso Oecumenicus, Caput, & Vniuersalis ac Summus Pontifex totius Ecclesiæ pronunciaretur. Quod constat esse falsißimum. Non enim à Phoca, sed neque à Constantino Phoca longè antiquiore, Romanus Pontifex istiusmodi autoritatem, super alios totius orbis Episcopos & Ecclesias accepit, sed ab ipso Christo, data est ipsi Petro authoritas, cui in eadem successerunt Romani Pontifices. Non enim Imperatoribus illis, ut eiusmodi in Ecclesiam & regnum CHRISTI, tanta autoritas competijt, licet in regni Christiani ciues, ut sui

quoq;

quoque regni ciuilis, quamuis ethnici, pars erant, ciuilem quoque autoritatem habuerint. Nibilominus *tamen* Ecclesiasticæ *hierarchiæ capiti, sua in* CHRISTI *regnum, ex ipsius delegatione constabat autoritas, non subiecta autoritati ciuilium* Principum. *Sed & nomen uniuersalis ac œcumenici, longè ante* Phocam *habuit, sed hoc ei competijt ab initio.* Certè *idem ipse* Gregorius, *tam in* Epistola *ad* Mauritium Imperatorem, *quàm in alijs* Epistolis *ad* Eulogium Alexandrinum *&* Anastasium Antiochenum Episcopos, *affirmat à frequentißima illa* Calcedonensi Synodo, *atque adeo à* Catholica *(cuius sensum illi exprimebant)* Ecclesia, *beatum* Leonem Apostolicæ *Sedis* Pontificem, *recognitum & appellatũ fuisse* Patriarcham *œcumenicum.* Quanquam *ipse etiam sibi conuenientem, & ab uniuersa* Ecclesia *delatam eiusmodi appellationem, uelut inuidiosam aut onerosam fugiens, quo ambitiosum illum & insolentem, ab usurpatione sibi non competentis honoris, suo reuocaret exemplo, non œcumenicum se* Episcopum, *sed seruum uocauit, seruorum* Dei. Quem *morem etiam successores eius, ferè retinuerunt, tametsi ab alijs sibi congrua appellatione, & ante & post* Gregorium, *semper honorati sint.* Nam *ante annos mille quadringentos, quoties id res exigebat,*

gebat, non dubitarunt seipsos nominare & scribere, uniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopos, toto orbe approbante. Hoc testatur Sixti primi, ad Episcopos totius orbis Epistola, quæ sic incipit: Sixtus uniuersalis Ecclesiæ Apostolicæ Episcopus, omnibus Episcopis in Domino salutem. Item Epistola Victoris ad Alexandrinum Theophilum, non multò pòst scripta, quæ tale habet initium: Victor Romanæ & uniuersalis Ecclesiæ Archiepiscopus, Theophilo Episcopo, et cunctis fratribus in Alexandria Domino famulantibus. Pontianus quoq; martyr & Pontifex, uniuersis Christi fidelibus scribens, sic orditur: Pontianus sanctæ & uniuersalis Ecclesiæ Episcopus, omnibus rectè Dominum colentibus. Beatus etiam Stephanus, in hæc uerba scribit omnibus toto orbe Episcopis: Stephanus sanctæ Apostolicæ & uniuersalis Ecclesiæ Episcopus, omnibus per diuersas prouincias constitutis Episcopis, in Domino salutem. Ita alij ad alios, Apostolicæ & uniuersalis Ecclesiæ, se scripserunt Episcopos, & hoc ante Concilium Nicænum. Sed & tempore eiusdem Concilij B. Syluester in edicto Constantini Imperatoris, nunc summus, nunc uniuersalis nominatur Pontifex. Et à beato Athanasio Alexandrino, & uniuersis Aegyptiorũ Episcopis, Marcus Romanæ ac Apostolicæ, atq; uniuersalis Ecclesiæ Papa scribitur.

bitur. Ad Damaſum *quoq; Stephanus Archie-piſcopus & caput* Concilij *Mauritaniæ,una cũ uniuerſis* Epiſcopis *trium Conciliorum Aphricanæ prouinciæ ſcribentes,eundem* Patrem *Patrum,& ſummum omnium præſulum Pontificẽ conſalutant.*Epiſcopi *qui ex toto orbe,ad Calcedonenſem Synodum cõuenerant,beatum* Leonem *ſimili appellatione dignati ſunt.*Ne *fortè quiſpiam dicat,ipſos tantùm* Romanos *Pontifices in ſuis literis,hoc ſibi uſurpaſſe.*Et *hæc omnia longè ante* Phocam Imperatorem,*&* Bonifacium Tertium,*ut conſtet eſſe falſiſsimũ,quod* Velſius *dicit,*Bonifacium *Tertium à* Phoca *hoc obtinuiſſe.*Iam *uideamus quibus Scripturis nitatur* Velſius*.Seruator (inquit)noſter,commoda et ſalutariter contentionem* Apoſtolorũ *repreſsit,oſtendens diſsimilitudine regnorum mũdi huius,cuiuſmodi ſuum eſſe negat:Regnũ meum(inquiens)non eſt de hoc mundo,& adminiſtrationis* Eccleſiæ,*quæ nunc proh dolor diuerſiſsima cum ſint, imo è diametro quodammodo pugnantia, à malis* Pontificibus *&* Epiſcopis,
*nec Chriſti uerba(qui inquit:*Reddite *quæ Cæ-* Ioan. 18.
ſaris ſunt Cæſari, & quæ Dei Deo, *nec Apo-*
ſtolorum ſanctiſsimum Canonem, *qui uetat* Luc. 20.
ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν καὶ ἱεραρχικὴν διοίκησιν,*id eſt,* Romanum *principatum,&* Hierarchicam *adminiſtrationem,ſimul obtineri)audiẽtibus,grauiſsimo*

uißimo mortalium, & intolerando malo, in unũ sunt confusa.Hactenus ille. Iam superius dictum est ac ostensum, Christum per ista uerba, quibus contentionem Apostolorum repressit, non submouisse ac sustulisse omnẽ Prælationẽ aut Iurisdictionis autoritatẽ unius supra alios, sed potius uoluisse, ut esset inter illos aliquis maior et primus, sed onus et officiũ principat⁹, prout à Christiano geri debeat, describere. Ita enim Christianũ hominem, sibi cõmissum principatũ ac magistratũ administrare oportet, tanq̃ in oculis cũcta cernentis Dñi, et qui paulò pòst, districtißimã ab ipso rationẽ suæ administrationis exacturus sit. Vult ergo dignè & inculpatè Christianũ, administrare suũ principatũ. Quod qui facere contenderit, is statim intelliget, quã grauẽ sarcinã in humeros suos receperit, et pariter per experientiã cognoscet, quã non sit primatus ambiendus, qui secũ adfert tot incõmoda & molestias, tot tædia & labores. Nihilominus tamen ut geratur ab aliquo, necesßitas ipsa req̃rit, & ratio recta postulat, & Dñs ipse uult & præcipit. Et in hac parte, nullum prorsus est discrimen inter Ecclesiasticas rectores et propbanos Principes. Non enim loquitur Christus solis Ecclesiasticis unde nec ad solos quos nunc dicim⁹ Ecclesiasticos pertinent uerba Christi, sed suis omnibus loquitur: Scitis (inquit) quia principes

cipes gentium dominantur eorum, &c. uos autem qui mei estis discipuli, non sic. Principes *gentium qui ignorant* Deum, *uos autem non instar illorum, qui* Deum *ignorant, sed uelut in oculis communis* Domini, *super conseruos et confratres uestros, non ad uestram, sed ad eorum tantùm utilitatem, & communis* Domini *gloriam, principatum ac primatum uestrum exercebitis.* Hæc *omnibus dicta sunt, qui* Christi *subesse uolunt magisterio, & eius esse discipuli.* Non *duntaxat dictum est summo* Pontifici, *et alijs* Ecclesiasticis *Prælatis, neq; solummodo ad* Ecclesiasticum *Primatum pertinet, sed dictum est etiam* Imperatoribus, Regibus *& alijs* Principibus Christianis, *ad omnes pertinet qui* Christi *sunt.* Vos *(inquit) mei scilicet, quos tantùm distinguit à* Gentibus *ignorantibus* Deum. *Haud quaquam ergo hisce uerbis prohibuit* CHRISTVS *inter suos* Imperatores, Reges *&* Principes, *neque uoluit omnes esse pares, aut nullum super alios præcipiendi aut obligandi potestatem habere, sed cùm ea, quæ à* DEO *sunt, ordinata sint, uoluit etiam regnum suum esse ordinatum, ne esset* Babylon *confusa absque ullo ordine.* Vnde *quò omnia ordinatè agerentur à nobis, uni autoritatem præcipiendi & mandandi commisit super omnes: uni dixit, ut*

regeret

regeret uniuersum ouile suum, quem uoluit superintendere Ecclesiæ membris uniuersis, tam prophanis magistratibus, ac officijs, quã sacris, ac omnes in uniuerso orbe terrarum (modò intra domum Ecclesiæ, aut huius regni sui limites continerentur) obligauit coram Deo, *ad huius obedientiam.* Ex *quibus perspicuum euadit, Saluatorem discrimen quidẽ habuisse* Regnorum *mundi, quæ adhuc concluduntur in infidelitate, &* Regnorum *fidelium Christianorum, item* Regum Gentium, *& principum Christianorum, uerùm primatum ac procerum Christianorum, tam* Ecclesiasticorum *quam prophanorum in hac re differentiam nullã reliquisse, sed omnes in regendo eisdẽ conditionibus adstrinxisse, ne uidelicet tyrãnicè regerẽt, ut principes* Gentium. *Sed cùm hæc nihil faciant aduersus primatum* Romani Pontificis, *quem Christus non solùm non inhibuit, sed insuper fundauit & confirmauit, quid est quod* Velsius *hæc tantopore urget? Quod autem deinde dicit Christum ostendisse per hoc, quod ait:* Regnum *meum non est de hoc mundo, dißimilitudinem* Regnorum *mundi huius (cuiusmodi suũ esse negat, per iam citata uerba Christi) & administrationis* Ecclesiæ, *quodq; illa diuersißima sint, imo è dyametro quodammodo pugnantia, quid ueritatis habeat iam excutiendum est.*

Et

Et quidem si accipit dißimilitudinem administrationis Ecclesiæ, & Regnorum huius mundi, hoc est, Regum et Principum infidelium gẽtium, nihil agit contra nos, cùm iam dictum sit, Christũ suis præscripsisse, ne tali modo primatũ gerant ac principatũ inter Christianos administrent, quemadmodũ faciunt ethnici inter suos. Illam enim dißimilitudinẽ libenter concedimus, cũ illi tyrannicè ad suam ipsorum cõmoditatem, non aũt ad cõmunem suorum subditorũ utilitatem regãt, aut potius uiolenter opprimant sibi subiectos, quod Christiani facere prohibentur. Si aũt facit dißimilitudinẽ administrationis Ecclesiasticæ, et Regnorũ muudi huius, ut per regna mundi huius intelligat regna Christianorũ Regum & Principum, sic quantum ad regendi modum, nimirũ ut nõ sic regnent, quemadmodũ Reges Gentium, Deum ignorantium, nullam uoluit Christus esse dißimilitudinem inter regna mũdi, & administrationis Ecclesiasticæ. Etenim & qui primas tenẽt in Ecclesiastica administratione, & etiam qui in seculari, non debent suis subditis dominari, quemadmodum faciunt Principes Gentium. Est tamen inter eos tantum dißimilitudinis, quod Seculares Principes non sine causa gladiũ portant, quod Dei ministri sint, Rom. 13. *uindices in irã eis qui malè agũt. Hunc uerò gladium iubentur Spirituales et Ecclesiastici Principes*

cipes recondere in uaginam, cùm Petro dictũ est
Matt. 26. *à Christo: Conuerte gladium tuum in locum suum.* Habent tamen nihilominus etiam gladium spiritus, quod est uerbum Dei, & metuendum omnibus ualde mucronem excommunicationis, quem non sine causa uibrent in peruicaces & rebelles contumacesq́; etiam Principes, Reges & Imperatores, quemadmodum superiùs assertum est. Quod autem Christus ait Regnum suum non esse de hoc mundo, Regnum suum, à regno hominum distinxit, quia Regem se esse testatus est, qui se regem non negauit. Regnum ergo suum fatetur, sed dicit non esse de hoc mundo, id est, de arbitrio uel placito illorum, qui sunt in hoc mundo, non de magnitudine ciuitatum, uel longis tractibus terrarũ, non de multitudine & fortitudine militum sæuientium, uel sanguine præliorum, nihil huiusmodi quærit regnum meum. Nam si Regnum meum esset de hoc mundo, ministros de hoc mundo pro me decertantes haberem. Et quoniam nullus est de hoc mundo minister, nullus est qui de hoc mũdo pro me decertet, ideo regnum meum non est de hoc mundo. Non tamen ait: Regnum meũ non est in hoc mundo. Excelsus quippe dominatur in

Ephes. 6. (margin note beside "gladium spiritus")

Dani. 4. regno hominum, & cui uult dat illud, & totius mundi gubernator & Dominus est. Per me
Pro. 8. (inquit) Reges regnant, & legum conditores iu

sta

sta decernunt. Per me Principes imperant, et potentes decernunt iustitiam. Non est potestas (inquit Paulus) nisi à Deo. Quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt, itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Omnis (inquit) potestas tam Ecclesiastica quàm secularis à Deo est, & ideo ordinata esse debet, absq; Babylonica cõfusione, & quicunq; huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit, & sibi damnationẽ acquirit. Licet ergo Christus dixerit, Regnum suũ nõ esse de hoc mundo, haudquaq̃ tamen regnũ hui⁹ mundi denegauit, aut malũ esse dixit, & reprobandum, sed asserens regnum suum non esse de hoc mundo, insinuauit aliud esse regnum, quod esset de hoc mundo, quia in hoc mundo: quia regnum hominum, in quo tamen (uti dictũ est) excelsus dominatur, & cui uult dat illud. Rom. 13.

Deniq; quoniam Canonẽ Apostolorũ 82. citat, ipsius uerba Canonis subijciem⁹. Ita enim habet: Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui militiæ uacauerit, & simul utrumq; retinere uoluerit, tam officium Romanum quàm functionem Sacerdotalem, deponitor. Quæ enim Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ Dei, Deo. Luc. 20.

Rationabilis est hic Canon, & obseruatu necessarius. Si enim iuxta præscriptũ Canonis 80. oportet Episcopũ aut Presbyterũ uacare, et cõ-

modũ sese exhibere usib⁹ Ecclesiasticis,*nõ oportet eosdem, publicis se administrationibus immittere,et multo minus militiæ uacare, et simul utrũq; retinere,tam officium* Romanum, *quàm*

Matt.6. *functionem sacerdotalem*. Nemo *enim potest duobus* Dominis *seruire, iuxta præceptum* Dominicum. Porro *quemadmodum* Episcopus *aut sacerdos peccator, non continuò propter peccatum amittit ordinis sui autoritatem, ut superius comprobatum est, ita uacans militiæ, & ingerens se publicis administrationibus, peccat quidem, & agit aduersus hos sacratißimos* Canones, *quia impeditur ne poßit se commodum exhibere usibus* Ecclesiasticis, *nihilominus tamen donec toleratur ab* Ecclesia, *remanet in eo sacerdotalis dignitatis autoritas, sic etiam si* Romanus Pontifex, *licet utrumque officium retineat, tam officium scilicet* Romanum, *quàm functionem scilicet sacerdotalem, non tamen idcirco continuò* Primatu *priuatur*. Et *licet simul cùm sacerdotali functione retineat officium* Romanum, *potest tamen nihilominus se commodum exhibere usibus* Ecclesiasticis, *si ea quæ spectant ad sacerdotalem functionem, per semetipsum: ea uerò, quæ ad officium* Romanum, *per alios ad hoc peculiariter designatos, exerceat*. Sic *enim sese commodum usibus* Ecclesiasticis *exhibuerunt post* Syluestrum *sanctißimi*

&

& doctißimi quiq; Pontifices, Leo, Gregorius, & alij quàm plurimi.

Quod autem dicitur: Quæ enim Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ Dei, Deo, nihil nobis obsistit, primo quidem, quum non per seipsum officium Romanum debeat administrare, sed per alios, deinde quia officium Romanum quod administrat, iam desijt esse Cæsaris, ab eo nimirum tempore, quo ingressus in Ecclesiam Constantinus Imperator, Romani imperij domicilium, Petri successoribus, & ouilis Christi rectoribus ceßit. Probè siquidem intellexit sacratißimus & Christianißimus Princeps, quippe qui Christianis dogmatibus iam erat imbutus, & diuinitùs etiam illuminatus, non cõuenire, ut illuc Imperator terrenus haberet potestatẽ, ubi Imperator cœlestis, sacerdotij principatum, et caput Christianæ religiónis instituit. Et quidem q̃diu Ecclesia laborabat penè sub continuis pressuris & afflictionibus, sub potestatibus huius seculi, q̃diu ferè nullos habuit, q̃ seculo ignobiles, contemptos et humiles, q̃diu penè certò uitæ et temporaliũ bonorũ periculo, Christianum nomen aut accipiendũ aut retinendũ erat, q̃diu inter se homines, Christianã illã unionem et concordiam mutuã seruabant, ut religiose subessent autoritati uni⁹ capitis, et ueluti Patrisfamiliâs, eiusq; habenis & Imperio, diligenter et libẽter

obſequebãtur, haud erat opus in ipſo capite, ullo externarũ rerũ ſplendore, quod pauperes & humiles, aut qui ſe ſuaſq; fortunas oẽs contẽpſerant, et in certũ penè periculũ ſe ultro coniecerãt, quo Chriſti Ouili et familiæ adſcriberẽtur, non dedignarentur, eius Paſtori et rectori, quãtũuis ſecundũ ſeculũ humili & abiecto, eiuſq; ſacroſanctæ autoritati propter Chriſtũ ſe humiliter ſubdere. At cũ placuit Chriſto, pacẽ dare Eccleſiæ ſuæ, cũ eius fores pandere, & paſſim in eã introducere uniuerſos, etiam huius ſeculi poteſtates, Reges, Principes, regnaq; et Imperia, nõ ignorauit idẽ, conſcius infirmitatis humanæ, cõſcius arrogãtiæ & ſuperbiæ humanæ, Sacroſanctæ illi autoritati, q̃ Petro & ſucceſſoribus eius cõmiſerat, etiã alia ratiõe prouideri oportere, quo maneret iã, nõ ſolis Sanctis martyribus, nõ ſolũ humilibus & abiectis ſecũdũ ſeculũ, ſed etiã ſecularibus hominibus, ſeculi poteſtatib⁹, et qui auro et purpura ſuperbiũt Imperatorib⁹, Regibus et Principibus, uenerabilis, etiã metuẽda nocentibus, ſceleratis et tranſgreſſoribus, quo remaneret, & libera, & efficax ſup uniuerſa mẽbra Eccleſiaſtici corporis, etiã ſup ipſos Reges et Principes. Vt itaq; ratio amplius nõ ferebat, ſacroſanctæ eius autoritatis Sedẽ, q̃ urbẽ illi Romam, diuina elegerat prouidentia, ſeruire ſecularium Principũ aut Imperatorũ imperio, ne for

tē cũ id res exigeret, & Ecclesiæ necessitas postularet, nõ posset caput Ecclesiastici corporis, sua mẽbra cõtinere in officio, nõ posset in Imperatores, Reges & Principes, se supra se superbè efferentes, exercere libertatẽ districtionis Ecclesiasticæ, ita eadẽ ordinante prouidẽtia factũ est, ut mox data pace Ecclesiæ, aptisq; eius foribus, pro admittẽdis paßim omnibus, & in primis ingresso in eandem Constantino Imperatore (qui Romani Imperij domiciliũ, Petri successoribus contradidit, quemadmodũ eiusdẽ Cõstantini donatio facta Romanæ Ecclesiæ testatur) ut eadẽ Ecclesia & illius Põtifex, pro coërcendis etiam rebellibus, ditionibus secularium potentatuum præsideret, quas donante primùm Constantino, & deinde alijs quoq; Regibus acceperat.

DE OECVMENICOrum Conciliorum autoritate.

Sextò, an credat Oecumenica, ritè & legitimè indicta, in definitionibus fidẽ cõcernentibus, à tota Ecclesia postea receptis, unq̃ errasse, aut eiusmodi definitiones rursum in dubium reuocari, aut disputari licere.


Onciliorum antiquum omninò inuentum est, recta ratione euidenter dictante, res dubias, à pluribus iisq; prudẽtibus usuq; peritis, in cõmune consultãtibus, quàm ab uno aliquo, discuti & rectius tractari. Quod enim uni non succurrit, alter suggerit, & quod dici solet, plus uident oculi, q̃ oculus. Itaq; de rebus dubijs consultandum cũ pluribus, & recta ratio docuit, & usus comprobauit. Conciliorũ igitur opus proprium quodnam sit, ipsa nominis indicat ratio, nempe consultare, cõsiliaq; cõferre, deliberare quid melius aut utilius sit. Porro ab hoc rationis naturalis inuento, Cõciliorum usum translatum constat, etiam ad Christianam Ecclesiam, confirmante quidẽ eundem, atq; eius utilitatem cõtestante, spiritu Sancto. Dicuntur autem Concilia œcumenica, quasi totius orbis. Nam œcumenicum Græcis dicitur, quasi totius orbis: Οικουμένην, Orbem terrarum appellant. Oecumenica ergo, id est, uniuersalia dicuntur, in quibus totius Ecclesiæ tractatur negotiũ, ex omnibus totius orbis conuocatis Orthodoxis Episcopis. Vniuersalia enim nuncupantur Cõcilia, quæ ob uniuersalis Ecclesiæ causam, ex uniuersali Ecclesia, uniuersali autoritate, Ecclesiasticæ uidelicet Hierarchiæ p̃sidis, cõuocata sunt, et cõuenerũt in unũ. Horũ Cõciliorum

rū certißima regula, tā rectitudinis iudiciorū, quàm doctrinæ & definitionis orthodoxæ fidei, est Cathedræ Petri fides, & autoritas. Quæ omnem semper altitudinem, sese extollentem aduersus Orthodoxam fidem, aduersus Apostolicam Ecclesiasticamq; traditionem, magna ui deiecit. Quæ (ut ait Gelasius) unamquamq; Synodum, sua autoritate confirmat, & continua moderatione custodit. Et Agatho Papa ad Imperatorē Constantinum, et sextam Synodum, regulam illis rectæ fidei præscribens, quam aduersus Monotheliticam hæresim (hoc est, unius uoluntatis & operationis in Christo) sequi amplectiq; deberent, in facie totius illius Concilij affirmauit, Apostolicam, Euangelicamq; traditionem, & Christianæ fidei ueram immaculatamq; professionem, singulari priuilegio, in una Apostolica Sede, perpetuò conseruari. Quæ (inquit) à uia ueritatis, in quamlibet erroris partem, nunquā deflexa est. Cuius autoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, uniuersalesq; Synodi, fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesq; uenerabiles patres, Apostolicam eius doctrinam amplexi, &c. Concilia ergo legitima sunt, quæ Apostolicæ Sedis, & Ecclesiasticæ hierarchiæ Præsidis autoritate sunt celebrata. Nam ad Sedis Apostolicæ autoritatem pertinet

conuocare œcumenica Concilia, cum sine eo congregata, prorsus forent inefficacia, sed & rebellionis conspirationisq; quandam speciem habere uiderentur.

Marcellus Papa & martyr in sua epistola ad Antiochenos affirmat ab Apostolis, ab ipso statim initio Ecclesiæ extitisse ordinatũ ac constitutũ, ne liceret absq; Romanæ Sedis autoritate celebrare œcumenica Concilia. Cũ enim præmisisset, Episcoporũ iudicia, et summa Ecclesiasticarũ causarũ negotia secũdũ Apostolorũ decreta, Apostolicæ Sedis pagẽda terminãdaq; autoritate et iudicio. Simul (inq̃t) iidẽ inspirante Dño cõstituerũt, ut nulla Synodus fieret, præter eiusdẽ Sedis autoritatẽ. Sanctus autẽ Athanasius cũ uniuersis Orthodoxis, toti⁹ Aegypti, Libyæ & Thebaidis Episcopis, ob Nicænæ fidei defensionẽ, una secum congregatis in Alexandrina Synodo, scribit ad Felicem, & testatur hunc Apostolorum Canonem, siue hoc eorum decretum à trecentis & octodecim Episcopis in Nicæna Synodo roboratum ac renouatum fuisse. Non debere absq; Romani Pontificis sententia, celebrari Concilia, nec damnari Episcopos. Iulius quoque illius nominis primus, aduersus Antiochenã Synodum, quæ ad damnationem Athanasii Alexandrini, & aliorum quorundam Orthodoxorum Episcoporum, procurante illo Eusebio Nicomediensi,

mediensi, absq; Apostolicæ Sedis autoritate, illicitè conuenerat, post cõmemoratum Nicæni *Cõcilij* Canonẽ, *de* Episcoporum *iudicijs, absq; huius Sedis autoritate non peragendis, subiungit in hæc uerba:* Ipsi *uerò primæ Sedis* Ecclesiæ, *cõuocandarum generalium Synodorum iura, & iudicia* Episcoporum, *singulari priuilegio,* Euãgelicis *&* Apostolicis *atque Canonicis concessa sunt institutis. Quia semper maiores causæ ad* Apostolicam *Sedem, multis autoritatibus referri præcepta sunt:* Et *iterũ:* Dudũ *(inqt) à sanctis* Apostolis, *eorumq; successoribus, in antiquis statutis decretũ fuerat, nõ oportere præter sentẽtiã* Romani *Pontificis, Cõcilia celebrari, &c.* Socrates *quoq;* Græcus, *scriptor, illius* Antiocheni *Cõcilij mentionẽ faciẽs, scribit in hæc uerba. Cõuenerunt ad eã Synodũ, ex ciuitatibus diuersis* Episcopi *nonaginta.* Maximus *aũt* Hierosolymitanus Macharij *successor non adfuit, cogitãs quoniã ei posset subrepi, ut in dãnationẽ subscriberet* Athanasii. *Sed neq;* Iuli9 *interfuit, maximæ* Romæ *præsul, neq; in locũ suũ aliquẽ destinauit. Cũ utiq; ecclesiastica regula iubeat, nõ oportere pter sentẽtiã* Romani *Põtificis* Cõcilia *celebrari:* Deniq; Damasus Stephano Archiepiscopo *in Cõcilio* Mauritaniæ *præsidẽti, et toti9* Aphricæ Episcopis *rescribit, dicẽs.* Vt *nostis, Synodũ absq; huius Sedis autoritate facere, nõ est* Catholicũ. Ne-

que

que unquam rata leguntur Concilia, quæ non sunt fulta, Apostolica autoritate. Hæc ille. Ecce ut nulla rata sint uel fuerint unquam Concilia, quæ non fuerint fulta autoritate Sedis Apostolicæ. Et certè nemo facilè protulerit ullum ab initio Conciliũ legitimæ autoritatis, et ab Ecclesiæ recognitæ, cui nõ solũ hui⁹ Sedis restiterit autoritas, sed etiam quod absq; ea celebratũ fuerit.

Concilia itaque œcumenica legitimè & ritè ab eo indicta, qui habet autoritatem indicendi, & ex iustis causis, nimirum ob uniuersalis Ecclesiæ commoditatem ac utilitatem, in definitionibus fidem concernentibus, nunquam errasse credendum est. Nam afflatum Sancti spiritus his nequaquam unquam defuisse, aut defuturum, certò confitendum est, quum Christus eius rei gratia, nempe ut spiritus Sanctus doceret omnẽ ueritatem, semper eundem mansurum in Ecclesia promiserit, donec ipsa consummaretur. Vnde huc suos oculos dirigere Christiani tenẽtur, & horum decretis, in ijs præsertim quæ fidem concernunt & mores, fidem indubitatam adhibere. Nam quum par sit credi, ab ipso spiritu Sancto profectum, quicquid ab hoc uenerando Patrum cœtu, communi concordia fuerit decretum ac definitum, id cæteris omnibus ratum & firmum haberi meritò debet. Sic Niceni illius œcumenici Concilij (cui pro Syluestro Papa, O-

sius

ſius Cordubenſis Epiſcopus, Victor & Vincentius preſbyteri urbis Romæ, præfuerunt) decreta & definitiones, tandem pulſa Arriana perfidia à tota Eccleſia ſunt recepta. Sic Conſtantinopolitani primi Concilij, contra Macedoniũ, Sabelliũ, & Eunomiũ, definitiones & ſententiæ, tota Eccleſia ſunt receptæ. Et ſimile eſt iudiciũ de reliquis Cõcilijs œcumenicis ritè & legitimè indictis, & in ſpiritu Sãcto cõgregatis. Cæterùm horum Cõciliorũ œcumenicorũ definitiones, nõ ſunt rurſum in dubiũ reuocãdæ, aut tanq̃ dubiæ in diſputationẽ uocãdæ, ſed ſi quæ incidant quæſtiones, nondum in Eccleſia definitæ ac determinatæ, diſputationum diſcußione agitari poßũt, donec ueritas elucefcat, definitis autem ac determinatis acquieſcendum eſt. Vnde Gelaſius Papa, inquit: Patres noſtri Catholici, uidelicet docti Pontifices in unaquaque hæreſi, quolibet tempore ſuſcitata, quicquid pro fide, pro ueritate, pro communione Catholica atque Apoſtolica, ſecundùm Scripturarum tramitem, prædicationemq́; maiorum, facta ſemel congregatione ſanxerunt, incõuulſum uoluerunt deinceps firmumq́; conſtare, nec in eadem cauſa denuò, quæ præfixa fuerãt, retractari: qualibet recẽti præſumptione pmiſerunt, ſapiẽtißimè prouidentes, quoniam ſi decreta ſalubriter, cuiquã liceret iterare, nullùm contra ſingulos quoſque pror- 24 q. 1.

prorſus errores, ſtabile perſiſteret Eccleſiæ *con ſtitutum, ac ſemper iiſdem furoribus recidiuis, omnis integra definitio turbaretur.* Nã *ſi ſimili bus etiam præfixis, poſitarum ſemel Synodaliũ regularũ nõ ceſſẽtaliæ peſtes reſumptis certami nibus, cõtra fundamentũ ſeſe ueritatis attolere, q̃d fieret, ſi ſubinde fas eſſet pſidis inire Cõciliũ?*

Martianus *Imperator in c.De ſumma Trinit. & fide Cathol.Nemo cleric⁹ uel militaris, uel al teri⁹ cuiuſlibet cõditionis, de fide Chriſtiana pu blicè turbis coadunatis & audiẽtib⁹, tractare co netur in poſterũ, ex hoc tumultus uel pſidiæ oc= caſionẽ reqrẽs.Nã et iniuriã facit iudicio reue= rẽdiſſimæSynodi, ſi qs ſemel iudicata, ac rectè di ſpoſita, reuoluere, et publicè diſputare cõtende rit.*Leo *quoq; ſanctiſſim⁹ Põtifex, pio & religio ſo* Martiani *Principis zelo obſequens (nã ſecun dum apud* Nicæam *futurum* Conciliũ *ob maiorẽ cõmoditatẽ imperialis præſentiæ quæ expeteba tur ab* Apoſtolicæ Sedis *legatis,* Calcedonã *trãſ= latũ extitit, & apud* Pontificẽ, *Chriſtianiſſim⁹* Princeps *inſtiterat, ut congregãdo Cõcilio, ſuo cõſenſu & autoritate adeſſe dignaretur) miſſis legatis ſuis ad* Cõciliũ, *normã* Orthodoxæ *fidei, & hãc regulã agẽdorũ omniũ eidẽ præſcripſit, nimirũ.* Ne *de* Euticetis *iãdudũ* Apoſtolicæ *Sedis autoritate dãnatis erroribus diſputaretur am= pli⁹, ſed eã, quæ tã in ſuis ad* Flauianũ, *quã in B.*

Cyrilli

Cyrilli ad Nestoriũ epistolis, plenius explicata erat, fidẽ, absq; ulteriori discußione amplecterẽtur. Vnde epist. 42. ad Martianũ Augustũ ita scribit: Quũ ab Euangelica Apostolicaq; doctrina, nec uno quidẽ uerbo liceat dißidere, aut aliter de Scripturis diuinis sapere, quã Beati Apostoli, & patres nostri, didicêre atq; docuerunt, nunc demũ indisplinatæ moueantur, & impiæ quæstiones, quas olim mox, ut eas p apta sibi corda, diabolus excitauit, per discipulos ueritatis, spiritus Sanctus extinxit.

Nimis enim iniquũ est ut p paucorũ insipiẽtiam, ad cõiecturas opinionũ et bella reuocemur, tanq̃ reparata disceptatione tractandũ sit, utrũ Eutices impiè senserit, & utrũ impiè Dioscorus iudicauerit, qui in S. memoriæ Flauiani condẽnatione se perculit, & simpliciores quosq;, ut in eandẽ impellerentur ruinam, impegit. Quorum multis iã (ut cognouimus) ad satisfactionis remedia conuersis, & ueniã de constanti trepidatione poscentibus, nõ cuiusmodi sit fides tractandũ est, sed eorũ precib⁹ qualiter annuendũ. Ad Pulcheriam uerò Augustam, de eadem re ita scribit epist. 51. Binos de Coëpiscopis meis & Cõpresbyteris ordinaui, qui uicem meam implere sufficerent, datis ad uenerabilem Synodum congruentibus scriptis, quibus fraternitas aduocata cognosceret, quam formam seruare, in hac iudica-

dicatione deberet, nec ulla temeritas, aut fidei, aut Canonum statutis, aut benignitatis remedijs obuiaret. Ad Synodum uerò ipsam, scribit in hæc uerba, epistola 47. Leo S. Synodo, apud Calcedonam constitutæ. Optaueram quidē dilectißimi, pro nostri charitate collegij, oēs Domini sacerdotes, in una Catholicæ fidei deuotione persistere, nec quenquam gratia aut formidine potestatum secularium deprauari, ut à uia ueritatis abscederet. Sed quia multa sæpè quæ pœnitudinem poßint generare, proueniunt, & superat culpas delinquentium misericordia Dei, atque ideo suspenditur ultio, ut locum habere poßit correctio, amplectendum est clementißimi Principis, plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem uestram, ad destruendas insidias Diaboli, & reformandam Ecclesiasticam pacē, uoluit conuenire, beatißimi Petri iure atque honore seruato, nos suis literis inuitans, ut uenerabili Concilio, nostram præsentiam præberemus. Quod quidem, nec neceßitas temporis, nec ulla consuetudo poterat permittere. Tamen in his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio & præsbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo, uestra fraternitas æstimet presidere. Neque enim abiuncta est à uobis mea præsentia, qui nunc in

uica-

uicarijs meis adsum, & iamdudum fidei Catholicæ prædicatione non desum. Vt qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non poßitis dubitare quid cupiam. Vnde fratres charißimi reiecta penitus audacia disputandi, contra Fidem *diuinitùs inspiratã, uana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi, quod non liceat credi, cum secundùm* Euangelicas *autoritates, secundùm* Propheticas *uoces,* Apostolicamq; *doctrinam, plenißimè & lucidißimè, p literas, quas ad beatæ memoriæ* Flauianũ Episcopũ *misimus, fuerit declaratũ, quæ sit de sacramẽto incarnationis* Domini *nostri* Iesu Christi, *pia & syncera confeßio. Quia uerò non ignoramus, per prauas æmulationes multarũ* Ecclesiarũ *statum fuisse turbatũ, plurimosq;* Episcopos, *qui hæresim non reciperent, sedibus suis pulsos, & in exilia deportatos, atq; in locũ superstitum alios substitutos, uulneribus his primitùs adhibeatur medicina iustitiæ, nec quisquã ita careat proprijs, ut alter utatur alienis, cũ si (ut cupimus) errorem omnes relinquunt, nemini quidem perire honor debeat, sed illis qui pro* Fide *laborauerũt, cũ omni priuilegio oporteat ius proprium reformari.* Prioris *autem* Ephesinæ Synodi, *cui sanctæ memoriæ* Cyrillus Episcopus *tunc præsedit, in* Nestorium *specialiter statuta permaneant, ne tunc damnata impietas,*

ſibi in aliquo blãdiatur, quia Eutyches *iſta exe-cratione percellitur*. Puritas *enim* Fidei *atque doctrinæ, quam eodẽ quo Sancti* Patres *noſtri ſpiritu prædicamus, &* Neſtorianam *&* Euty-chianam, *cum ſuis autoribus, cõdemnat pariter & perſequitur prauitatem*. Hactenus ille.

Porrò Velſius dicit, *ſi rationem uocis ſpe-ctes, ea* Demum *œcumenica cenſeri* Concilia, *in quibus uniuerſi Chriſtiani orbis* Epiſcopi *con-uenerint, cuiuſmodi aut nulla (inquit) aut certè rariſsima proferre aduerſarij noſtri poterunt. Quod uerum eſſe ingenuè profitemur. Nunquã enim celebratum eſt ullum* Concilium, *in quo conuerint uniuerſi Chriſtiani orbis* Epiſcopi, *nec commodè celebrari eiuſmodi* Concilium *poſ-ſet, & ſi poſſet, non tamen neceſſe eſt ad hoc ut œcumenicum ſit* Concilium *uniuerſos* Chri-*ſtiani orbis conuenire* Epiſcopos, *ſed ſatis eſt, ſi ex omnibus totius orbis* Epiſcopis, *fiat con-gregatio.*

Et *tamen cùm œcumenicum* Concilium *indi-citur, omnes totius* Chriſtiani *orbis* Epiſcopi *conuocantur, licèt non omnes eò ſeſe propter diuerſas cauſas conferant, præſentiam ſuam* Concilio *exhibentes, quam tamen in legatis à ſe miſsis atque doctoribus quodammodo ex-hibent.*

Vnde *non dicimus ſatis eſſe, ut præcipui ac*

cætero-

cæterorum quasi Principes eò conueniant, sed dicimus eò omnes Episcopos cõuocari, & inuitari, licet nõ oẽs propter certas causas compareant, & tamen nihilominus qui ueniunt uniuersalẽ Ecclesiam repræsentant, & Concilium œcumenicum constituunt. Non est ergo necesse, ut à nobis requirat Velsius, quibus rationibus ac notis præcipuos hos dijudicare debeamus & agnoscere. Nam falsissimum est omnes Episcopos esse æquales, & quomodo Scripturæ, & uerba Cypriani, quæ citat Velsius, intelligenda sint, superiùs abundè explicatum esse confidimus. Ex quibus manifestissimè pãtet, falcissimum esse quod concludit deprauatissimus hæreticus, ab eo iam inde tempore, quo tales (nimirum non serui seruorum, sed Domini Dominorum, imò Tyranni Tyrannorum) Romanam inuaserunt Ecclesiam, nulla œcumenica (in quibus omnium Episcoporum par honoris & potestatis ratio duci debuit, & æqualitas ac libertas spectari) celebrata sint Cõcilia, ut si quis parum ijs tribuat, œcumenicorũ Conciliorũ autoritati, ꝑ hoc nihil detrahatur. An Romani Põtifices Tyrãni sint, & Romanã inuaserint Ecclesiam, Velsio Hæreticorum more temerè dijudicandum relinquo. Licèt enim fortasse nonnulli eorũ, nõ per ueram animi humilitatem, sed ambitionem ad huiusmodi dignitatis gradum conscenderint, tamen

impiè Velſius eoſdem appellat Tyrannos Tyrannorum. Porrò quod ait idcirco nulla ab eo tempore celebrata fuiſſe œcumenica Concilia, quòd in ijs non fuerit par honoris & poteſtatis ratio habita, nec æqualitas ac libertas ſpectata, uanum ac ridiculum eſt, cùm non debuerit in ijs par honoris & poteſtatis ratio haberi, quẽadmodum ex ijs quæ ſuperiùs dicta ſunt, facilè deprehenditur. Si enim ne congregatio quidẽ aliqua uel decem hominum ſubſiſtere nequit, ſi omnes uelint eſſe eiuſdem honoris & poteſtatis, & nemo alteri deferendũ exiſtimaret, quanto minus in Concilijs œcumenicis, quo tot diuerſarum prouinciarum coẽũt Epiſcopi, debet eſſe par honoris & poteſtatis ratio, ſed ut omnia honeſtè & ſecundùm ordinẽ fiant, oportet eſſe unum ſupremum, qui Concilio præſideat, & reliquas differentias ordinum ac dignitatum, ut omnia pacificè tranſigantur. Quod niſi fiat, ſchiſma reuera introduceretur in Eccleſiam. Quod ſi omninò (inquit Velſius) alios alijs præcipuos magis eſſe ac præſtantiores conſtituere oporteret, non alia certè norma ad hanc rem, quam Chriſti, adhibenda foret, qui inquit: Scitis quod Principes gentium Matt. 20. *κατακυριεύουσιν αὐτῶν id eſt, dominandi libidinem in eas exercent, ſeu autoritate abutentes, dominatu ſuo ipſas premunt (nã eiuſmodi uim*

*di uim in compoſitione κατὰ Græcorum obti=
net) & q magni ſunt, κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν,
id eſt, in poteſtatem ſuam eas redigunt, & ſer=
uitutis iugũ ijs imponunt. Nõ ita erit inter uos,
ſed quicunque uoluerit inter uos magnus effici,
ſit ueſter miniſter, & qui uoluerit inter uos pri
mus eſſe, ſit ueſter ſeruus, per ueram animi hu=
militatem oſtendens, ad huiuſmodi dignitatis
gradum eſſe conſcendendum, &c.* Nos certè *ut
admittimus per ueram animi humilitatem, ad
huiuſmodi dignitatis gradum eſſe conſcenden=
dum, ita negamus* Chriſtum *hiſce uerbis pro=
hibuiſſe aut ſuſtuliſſe ab* Eccleſia Primatum, *ac
ordinum differentiam ſiue diſcrimen. Ambitio=
nẽ duntaxat* Primatus *interdicit ſuis diſcipulis,
eo q, amare primas, gentilium ſit affectio, Chri=
ſti autem diſcipulos, humilitas cõmendat, et ho=
norabiles facit, atque adeo qui maior eſſe uolue
rit, debet his, quibus præficitur, miniſtrare.* Sci=
ens enim Dominus, *quàm ſit ambitio tyrannica,*
Primatus *ambitionem interdicit, haud tamẽ* Pri
*matum aufert, ſed potiùs corroborat & confir
mat, dũ docet eos nõ debere* Primatũ *appetere,
neq; ita ſe in* Primatu *gerere, quẽadmodũ* Princi
*pes gentiũ faciunt, ſed potiùs miniſtrare & ſer
uire ijs quibus præſunt, quemadmodũ ipſe* Chri
ſtus fecit, qui quũ ſit Rex regum & Dñs *domi=
nantium, nihilominus tñ uenit miniſtrare nobis.*

Porrò quum loquamur hic de œcumenicis Concilijs in Ecclesia Catholica celebrari solitis, Ecclesia Catholica iamdudum à Christo & Apostolis fundata, & sanguine purpuratorum Martyrum confirmata, quorum primum omnium fuit celeberrimum illud Nicænum Concilium trecentorum et octodecim Episcoporũ, quod deinceps alia, pro causarum exigentia, & propter quæstiones emergentes, sequuta sunt, mirari satis nequeo, quid Velsio uenerit in mentem, quòd ueri ac ritè et legitimè indicti œcumenici Concilij formam existimat petendam esse, ex Psalmo 49. ubi Propheta ait: Deus deorũ Dominus locutus est, & uocauit terrã, A Solis Ortu usq; ad Occasum, ex Sion species decoris ei⁹, &c. Deus deorum (inquit) id est, Episcoporum (de quibus & in alio Psalmo uaticinans, inquit, Pro patribus tuis erunt tibi filij, cõstitues eos principes super omnẽ terrã) Dñs loquetur, & uocabit terram, & cætera quæ sequũtur. Hoc ego (inqt) certè uerum œcumenicum Concilium, ritè & legitimè indictum putem. Nam primùm quidem uniuersus orbis terrarum ad hoc conuocatur, non ut pedum celeritate, sed propositi rectitudine huc concurrat. Hæc ille. Sed si celeritate pedum non concurrunt ad hoc Concilium, sed propositi rectitudine, quando poterit habere nomen Concilij, quod ex sui ratione includit

consultationem, deliberationem, consiliorum collationem, quæ fit à pluribus in unum ad communem utilitatem consultantibus? Quomodo poterit habere conuentus rationem, ubi nemo concurrit?

Deinde (*inquit*) *à uerò* Ecclesiæ Catholicæ *capite, qui plenariã (ut ipsi loquũtur) habet potestatem, est indictum. Sed est indictum, non ut totus orbis terrarum conueniat in unum locum ad consultandum de rebus dubijs (hoc enim est impossibile) sed ut* Apostoli *eant in mundum uniuersum, & prædicent* Euangelium *omni creaturæ, ut qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus fiat, qui uerò non crediderit condemnetur.* Neque *uerò (inquit) leui de causa & temerè, aut terrenorum aliquorum commodorum, annatarum putà, aut aliarum quarundam* Papalium *usurpationum ac tyrannidis constituendæ gratia, sed quod ritus & cæremoniæ à* Moyse *institutæ, quæ partim pædagogia quædam ad* Christum*, partim rerum futurarum typi erant, iam repudiandæ essent, quod excellentior in spiritu & ueritate colendi* Dei *ratio introducenda.* Sed Concilium *dici non posse, ipsa uis ac nominis ratio indicat.* Quod *uerò callidè insinuat,* Concilia *nostra œcumenica, de quibus loquimur, leui de causa & temerè, aut terrenorum aliquorum*

commodorum, putà annatarum, aut aliarum quarundam Papalium usurpationum, ac Tyrannidis constituendæ gratia, celebrata, Hæreticorum more facit, qui ob prauum & peruersum in Ecclesia Præsidem ac Præsules affectum, multa comminiscuntur mendacia, multa effundunt conuitia, multásque calumnias euomunt, quas comprobare nunquam poterunt.

Reliqua uerò quæ sequuntur de Christo, qui è sinu Patris descendit, ut præsideret huic Concilio, & quòd Cōcilij decreta ac definitiones, nō sint, uastum aliquod ac confusum iuris Canonici corpus, nō Magistri sententiarū, Aquinates, & Scoti, sed sanctißimū illud Nouum testamētum, &c. nihil prorsus faciunt ad propositum, cùm, quēadmodū satis superq; dictū est, Concilij nomen aut rationem habere nullo modo poßint.

Deinde Velsius explicaturus quas definitiones Fidē concernētes appellemus, credit in nos id Psalmi locum habere: Peccatori autē dixit Deus, Quare tu narras iustitias meas, & assumis testamentū meum per os tuum? & cætera quæ sequūtur, & idcirco nos in ea esse hæresi, ut existimemus, absq; uitæ puritate & morum innocentia, rectè quempiā de dogmatib⁹, ad Fidē & Religionē nostram pertinentibus, cōstituere posse. Quæ proh dolor (inquit) omnis in Ecclesia perturbationis, non minima est causa. Nā quēadmodū (ut rectè

rectè Gryneus censet)nihil perniciosius est,quàm cùm rerum & uerborum studia diuiduntur, ita nihil pestiferum magis Ecclesiæ,quàm cùm uitæ & morum disciplina postposita,de dogmatibus Fidem concernentibus,temerario ausu disputare,& definire aggrediuntur homines,non animaduertentes,quod sic affecti,ueritatem inuenire nequeant. Quod autoritate Clemētis approbare contendit. Sed nos superiùs copiose satis ex diuinis Scripturis demonstrauimus, malos homines posse docere bona,& absq; uitæ puritate & morum innocentia, quempiā rectè posse,de dogmatibus ad Fidem & Religionē pertinentibus constituere. Distinguimus enim diligenter,contagionem doctrinæ,à morum contagione,neq; parum referre dicimus,doctrina,an moribus quis peccet,& fieri posse,ut & rectè & benè quis doceat,& tamen uiuat malè,& econtra fieri posse, & uiuentes cùm laude, doceant peruersa. Non est ergo hæresis existimanda,neq; hæretici censendi,qui existimant posse homines,absq; uitæ puritate & morum innocentia,de dogmatibus ad Fidem & Religionem pertinentibus, constituere, & ueritatem inuenire. Esset quidem utile & bonum,& Deo acceptum,ut præmissa uitæ & morum disciplina,de dogmatibus,Fidem concernentibus disputarent & definirent,sed quod morum ac uitæ discipli-

na postposita, ueritas inueniri non poßit, falsißimum esse, demonstratum est superius. Porro Petrus (cuius sententiam Clemens refert, & Velsius citat) sua autoritate non probat, malè uiuentem, non posse ueritatem inuenire, & de dogmatibus ad Fidem et Religionē pertinentibus non posse constituere, sed cōgressurus cum Simone Mago, & disputationis conflictū initurus, hortatur populū, qui adstabat, ad uitæ emēdationem, & docet primùm omnium, iustitiam Dei, Regnumq; eius inquiri oportere. Et totus in hoc est Petrus ut persuadeat primùm requirendum, quid sit Dei iustitia, et Regnum eius, nimirū ut rectè agere doceamur, utq; quæ sit merces posita laboris et patiētiæ nouerimus, in quo est (inquit) bonis quidem, æternorum bonorum remuneratio: his autem qui contra uoluntatem Dei egerint, pro uniuscuiusq; gestis, pœnarum digna restitutio. Hic ergo, hoc est, in præsenti uita positos, oportet uos agnoscere uoluntatem Dei, ubi & agendi locus est. Nā si quis uelit, antequam actus suos emēdet, de his requirere, quæ non potest inuenire, stulta & inefficax erit huiuscemodi inquisitio. Tempus enim breue est, & iudicium Dei, gestorum causa agetur, non quæstionum. Ideoq; ante omnia hoc quæramus, quid nos aut qualiter agere oporteat, ut æternam uitam consequi mereamur. Nam si exiguum hoc

Libr. Recog. 2.

uitæ

uitæ tempus, per inanes occupemus & inutiles quæstiones, inanes sine dubio et uacui ab operibus bonis pergemus ad Deum, *ubi iudiciū (ut dixi) operū nostrorū fiet. Vnaquæq; etenim res, suum tempus habet et locum:* Operum *hic locus, hoc tempus est, meritorum seculū futurum.* Ne *ergo impediamur, ordinem locorum ac temporum permutantes, primò quæ sit* Dei *iustitia requiramus, ut tanquam iter acturi, abundanti uiatico, bonis operibus repleamur, quo possimus ad* Regnum Dei, *tanquam ad urbem maximam peruenire.* Ex *cuius uerbis liquet, quid sit de quo* Petrus *uelit disputationem institui, & quid potissimum requirere debeamus, ut uoluntatem* Dei *agnoscere possimus, quàm docet non inutilibus & inanibus quæstionibus, sed bonis operibus inquirendam, cū si quis uelit, antequam actus suos emendet, de his requirere, quæ nō potest inuenire, stulta & inefficax futura sit huiuscemodi inquisitio.* Quod *si aliquid (inquit) nobis, de secretis & reconditis, inquirendum suggerit mens nostra, antequam de operibus iustitiæ requiramus, rationem reddere nobismetipsis debemus, quia si benè agentes, salutem consequi meruerimus, tanquam casti et mundi euntes ad* Deum, *Spiritu* Sancto *replebimur, & omnia quæ sunt secreta & occulta, sine ulla quæstionum cauillatione noscemus, quæ nunc etiam*

sito-

si totum quis uitæ suæ tempus, in inquirendo cõsumat non solùm nõ poterit inuenire, sed & maioribus se erroribus inseret, quia non per uiam priùs iustitiæ incedens, ad portum uitæ peruenire contendit. Et *propterea suadeo, primo iustitiam eius esse requirendam, ut per hanc iter agentes, & in uia positi ueritatis, uerum* Prophetam *inuenire poßimus, non uelocitate pedum, sed operum bonitate currentes, ut ipso duce usi, nullum uitæ huius patiamur errorem.* Ha*ctenus ille. Sed ante uerba iam citata ita inquit:* Deus *his qui rectè sentiunt, per ipsa opera mundi, quæ fecit, manifestus est, ipsius creaturæ suæ utens testimonio, & ideo cùm de* Deo *dubitatio esse non debeat, de sola nunc eius iustitia requiramus & regno.* Ha*ctenus ille.* Ex *quibus perspicuum euadit,* Petrum *non loqui de dogmatibus ad* Fidem *pertinentibus, sed ad inquirendam iustitiam* Dei *& regnum eius, quod absq; morum correctione & bonis operibus, nemo inuenire potest, cùm tamen absq; bona uita, ueritatẽ dogmatum ad* Fidem *pertinentium inueniri posse, et doceri superiùs ostensum sit, &* Petrus *hic dicat:* Deum *his qui rectè sentiunt, per ipsa opera mundi, quæ fecit, manifestum esse, ipsius creaturæ suæ uti testimonio.* Cui *consonat quod* A*postolus* Paulus *in* Epistola *ad* Romanos *cap. 1. de quibusdam ait,* Qui *ueritatem* Dei *in iniustitia*

tia detinebant. Quia quod est Dei *(inquit) manifestum est in illis.* Deus *enim illis manifestauit uel reuelauit.* Inuisibilia *enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; eius uirtus & diuinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Ecce *isti detinebant ueritatem* Dei *in iniustitia, & tamen nihilominus* Deus *illis reuelauit ac manifestauit, ita ut quod notum est* Dei, *manifestum fuerit in illis.*

Et *tandem concludendo:*Ex *his (inquit) patêre arbitror, cuius occasione hanc distinctionē adhibuerint, ut quoniam quæ in uero illo, & ritè ac legitimè congregato oecumenico Concilio, de uitæ ac morum disciplina, iustißimè simul & saluberrimè sunt definita, ea non solùm malè & flagitiose uiuendo, controuersa faciūt & in dubium reuocant, sed etiam insolēter proterunt & conculcant, ipsi callidè subterfugiāt, ne in eas leges peccasse deprehendantur, quas alijs imponere nituntur.* Primò *quidem negamus illud, quod apud* Velsium, *est* Cōcilium *ritè & legitimè indictum, reuera posse habere* Concilij *rationem & nomen, sicut sæpè dictum est.* Quæ *autem in* Nouo Testamēto *de uitæ ac morum disciplina nobis sunt proposita, licet simus peccatores, haudquaquam controuersa facimus, aut in dubium reuocamus, sed constanter præ-*

prædicamus ea esse religiosissimè obseruanda ac amplectenda.

Post hæc Velsius, quas definitiones Fidem cõcernentes appellemus, percontatur. Diligentiùs (inquit) si quis attendat, inueniet, ut professionem Fidei, professionem interpretantur subiectionis Papalis, ita etiam definitiones Fidem cõcernentes, nihil aliud eos dicere, quàm quæcũq; etiam portentosa dogmata, in κακοζήλοις illis concilijs, ad constituendam Antichristianam, Papæ et suorum tyrannidem, fornicariam nundinationem, & quæstum, piarum mentium & conscientiarum carnificinas, callidè ac subdolè excogitata, & decreta mundo recipienda et credenda obtruserũt, ut ex ipsis, quæ nobis ab ipsis proposita sunt interrogatoria, unicuiq; perspicere licet. Hæc ille. Principiò, nos professionem fidei nostræ, professioni fidei Catholicæ metimur, ut quicquid Ecclesia Catholica credit, id nobis quoq; in uniuersum existimemus esse credendum. Et quoniam Ecclesia Catholica semper credidit, & credet, Romanum Pontificẽ in terris Christi esse uicarium, illi in Petro dictum esse: Pasce oues meas, omnes oues Christi huic Pastori esse debere subiectas & morigeras, quemadmodum superiùs declaratum est, & illam ad Ouile Christi non pertinere, quæ huic Pastori recusat subesse.

Deinde negamus illa Cōcilia esse κακοξῦλα, negam' itidē in ullis Cōcilijs œcumenicis ritè et legitimè coactis ac indictis, unq̃ portētosa dogmata, ad Papæ et suorum tyrannidē, &c. callidè ac subdolè fuisse excogitata, et decreta mūdo recipienda & credenda fuisse obtrusa, sed dicimus hoc esse unū ex Velsij mēdacijs, q̄ sacrilego ore non cessat maledicere sacrosanctis oecumenicis Cōcilijs, quibus interfuère Patres sanctitate & doctrina cōspicui. Nec hoc q̃ impudenter mētiatur, potest ex ipsis quæ à nobis ipsi Velsio sunt proposita interrogatoria, cuiuis perspicuū esse, sed potiùs unicuiq; (modo germanus Catholicus sit) pspicere licet, ista interrogatoria esse prorsus Orthodoxæ & Catholicæ fidei cōsentanea, quēadmodū iā partim demōstrauimus, et in reliqs iuuante Dño demōstraturi sumus. Porrò demiror quid uoluerit Velsius per hoc q̃ in margine horū uerborū iā confutatorū apposuerit, c. Optatū, distin. 6. Ego certè distinctionē illā totā diligenter perlegi, et nihil prorsus in ea inuenire potui, q̃ uel ad professionē Fidei, uel ad definitiones Fidē cōcernētes attineret, sed nec c. Optatū, sed tractatur in illa distinctione, et q̄ritur, an post illusionē quæ per somniū solet accidere, corp' Dñi quilibet ualeat accipere, uel si Sacerdos sit, sacra Mysteria ualeat celebrare. Ita sua oīa probat homo doctissimus, & impulsu spūs

ad tra-

ad tragœdiam hanc excitandam adactus, imò (ut ipse loquitur) benignißimi numinis misericordia & gratia, ex indubitatis notionibus & & principijs, sacrisq; ac diuinitùs traditis Oraculis. Ego certè cùm aliquot sequentes distinctiones euoluissem, & incidissem in decimam quintam, inueni quid per definitiones Fidem concernentes intelligere debeamus, nimirum definitiones Patrum, quid in hac uel in illa hæresi uel controuersia, credendum esset, ac amplectendum, & quid respuendum. Etenim ante Concilium Nicænum, quia persecutiones ferue bant, docendarum plebium minimè dabatur facultas, Christianitas in diuersas hæreses scindebatur, quia non erat Episcopis licentia conueniendi in unum, sicut tempore Cõstantini in Nicæa factum est, ubi de omni terrarum orbe conuenientes, iuxta fidem Euangelicam & Apostolicam, Symbolũ tradiderunt. In qua Synodo Arrianæ perfidiæ condemnata est blasphemia, quã de inæqualitate S. Trinitatis, idem Arrius asserebat. Consubstantialem (Græci ὁμοούσιον uocant) enim Deo Patri Filium, eadem sancta Synodus per Symbolum definiuit. Secunda Synodus numero centum & quinquaginta Patrũ sub Theodosio seniore in Constantinopoli congregata est, quæ Macedonium, Spiritum Sanctum Deum esse negantem, condemnans, con-

substan-

ſubſtantialem Patri & Filio, Spiritum demonſtrauit, dans Symboli formam, quam totã Græcorum & Latinorum cõfeßio, in Eccleſijs prædicat. Tertia Synodus Epheſina prima, ducentorum Epiſcoporum, ſub iuniore Theodoſio Auguſto ædita eſt, quæ Neſtoriũ, duas perſonas aſſerentem in Chriſto, iuſto anathemate condemnauit, oſtendens manere in Chriſto duas naturas, & unã Domini noſtri Ieſu Chriſti perſonam. Sic in quarta Synodo Calcedonenſi (quæ ſexcentorum triginta Sacerdotum, ſub Martiano Principe habita eſt) Euthijces Conſtantinopolitanus Abbas, uerbi Dei & carnis unam naturam pronunciantis, & eiuſdem defenſor Dioſcorus, quondam Alexandrinus Epiſcopus, & ipſe rurſus Neſtorius Epiſcopus, cum reliquis hæreticis, una Patrum ſententia prædamnati ſunt, & definitum eſt autoritate Synodus, Chriſtum Deum, ſic natum de Virgine, ut in eo ſubſtantiam, & diuinæ & humanæ confiteamur naturæ. Sic & in alijs ſubſequentibus Concilijs, Patres ſpiritu Dei pleni ſanxerunt & definierunt, quæ ab hæreticis in dubium reuocabantur, & nondum erant Concilij autoritate definita.

Nec hoc eſt Fidem in Apoſtolorum Symbolo traditam permutare, ſed perficere. Nã ad profectũ pertinet, ut in ſemetipſa unaquæq; res am-

plificetur. Nihil per hoc permutatur de Fide, nihil transuertitur, sed profectus Religionis et Fidei in Ecclesia quæritur. Per posteritatē expositum est illustrius, quod antea obscurius credebatur. Per posteritatem intellectū gratulamur, quod antè uetustas nō intellectum uenerabatur. Scimus quidem Apostolorum Symbolum, nō ea solùm ratione Symbolum dici, quod sit Apostolorum in unū congregatorum, et Spiritu Sancto afflatorum collatio quædā, quæ summatim quæ ad salutē creditu essent necessaria, quæq; fidelis teneret Ecclesia, cōplectatur, sed etiā q tessera, signum & indicium sufficiens esset quo qui rectè credit ab eo q nō rectè credit, discerneretur, uerū quoniā nondū exortæ erant hæreses tā multæ, quæ Christi fideles hinc inde distrahebant ac dispergebant, ut penè ignoraretur à simplicioribus quid credendum, quid negandum, quid amplectendum, quid respuēdum foret, tot Pseudo-Prophetis, etiam se in angelos lucis transfigurantibus, sanctimoniamq; magnam ostentantibus ac præ se ferentibus, unde ne tanquā paruuli fluctuantes circumferrentur amplius omni uento doctrinæ, oportuit tandem Ecclesiā per œcumenica Concilia, Fidem in Apostolorum Symbolo traditam, latiùs explicare, euidentiùs exponere, distinctiùs enucleare, ut cognosceretur ab omnibus, utrum id quod prædicabāt hæretici,

Apostolo-

Apostolorum, Symbolo, traditioni, Sacrisq; scripturis esset consentaneum nec ne. Et *si quidem inuentum fuisset dogma eisdem per omnia consentire, definiebant illud esse ab omnibus tenendum & prædicandum sin minus, uti dignũ erat, anathematizabant.* Constituerunt *quidem & illi, eas seu definitiones seu decreta, quæ propriè ad ea pertinerent, quæ* Apostolorum Sym*bolo compræhenduntur uerùm cùm hæreticorũ urget improbitas, & fidelium necessitas postularet censuerunt definiẽdum quænam dogmata ad easdem spectarent & quæ non.* Neq; *tamen per hoc (ut dictum est)* Fidem *in* Apostolorum Symbolo *traditam permutarunt aut peruerterunt, sed enucliatiùs explicarũt, eadẽ* Fide *permanente quæ priùs erat.* Neq; *hìc* Fidei *profect⁹ obest, sed prodest.* Nec *hoc facientes (ut* Velsius *nugatur) septa (quod dici solet) transiliunt, neq;* Nouos Articulos Fidei, *tanquam* Apostolis *longè sapientiores, procudunt, neq; pro distincta finitaq;, confusam infinitamq;* Fidem *mundo obtrudunt, sed his quæ* Symboli *ambitu compræhenduntur, optimè contenti, ea propter hæreticorum importunitatem, & simpliciorum intelligẽtiam illustrandam fusiùs ac explicatiùs tradunt ac definiunt.* Deniq; *non faciunt hoc ut sophistæ,* Antichristiana *impudentia, sed* Spiritus Sancti *instinctu ac adflatu, nec non gubernatio-*

one, cuius magisterium Christ⁹ Ecclesiæ suæ nũquam defuturum pollicitus est, ut uel hinc omnibus tandem innotesceret, quo spiritu ducatur Velsius, qui summa impudentia, hæc pernegare audet, & in dubiũ reuocare. Verũ ne uideamur hæc quæ diximus, proprij capitis adstipulatione asserere, subijciemus uerba Vincentij Lirinẽsis, qui in eo libello, quem scripsit pro Catholicæ Fidei ueritate & antiquitate, aduersus profanas omniũ hæreseõ nouationes, quẽ si Velsius tam benè perlegisset, ut Lutheranorũ & aliorũ hæreticorum euoluit libros, eidemq; plenã fidẽ adhibuisset, non utiq; contra uniuersitatẽ Ecclesiæ Catholicæ, Lutheri partem quæ se nostra tẽpestate, ab uniuersalis Fidei communione præcidit, nec contra antiquitatẽ, nouellã hanc contagionem, neq; contra consensionẽ omniũ uel certè penè omniũ Sacerdotũ pariter & magistrorum, definitiones sententiasq;, horum dissensionem, & inter se pugnantes sequutus fuisset errores & hæreses. Sed iam operæpretium est, ut uerba Vincentij subijciamus. Multum interest (inquit) inter pueritiæ florem, & senectutis maturitatem, sed ijdem ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes, ut q̃uis unius eiusdemq; hominis status habitusq; mutetur, una tamẽ nihilominus eademq; natura, una eadẽq; persona sit. Parua lactentium mẽbra, magna iuuenũ, eadem ipsa

ſunt,tamẽ quot paruulorũ artus,tot uirorum, & ſi qua illa ſunt, quæ æui maturioris ætate pariuntur,iam in ſeminis ratione proſerta ſunt,ut nihil nouũ poſtea proferatur in ſenibus,q̃ nõ in pueris iam antè latitauerit.Vnde non dubiũ eſt hanc eſſe legitimã & rectã proficiendi regulã, hũc ratũ atq; pulcherrimũ creſcẽdi ordinẽ ſi eas ſemper in grandioribus partes,ac formas numerus detexat ætatis,quas in paruulis ceratoris ſapiẽtia præformauerat.Quod ſi humana ſpecies, in aliq̃ deinceps non ſui generis uertatur originẽ,aut certè addatur quippiã mẽbrorum numero,uel detrahatur,neceſſe eſt,ut totũ corp⁹,uel intercidat,uel prodigioſum fiat,uel certè debilitetur.Ita etiam Chriſtianæ religionis dogma, ſequatur has decet profectuũ leges,ut annis ſcilicet cõſolidetur,dilatetur tẽpore,ſublimetur ætate,incorruptũ tamen illibatũq; permaneat.Et uniuerſis partiũ ſuarũ menſuris,cunctiſq; quaſi mẽbris ac ſenſibus proprijs plenũ atq; perfectũ ſit,q̃ nihil præterea permutatiõis admittat,nulla proprietatis diſpendia,nullã definitionis ſuſtineat uarietatẽ.Exempli gratia:Seuerũt maiores noſtri antiquitùs,in hac Eccleſiaſtica ſegete, triticeæ Fidei ſemina,iniquũ ualde et incongruũ eſt,ut nos eorum poſteri,pro germana ueritate frumenti,ſubdititium zizaniæ eligamus errorẽ. Quin potius hoc rectum & conſequens eſt,ut in

primis atq; extremis, sibimet nō discrepantibus, de incremētis triticeæ institutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus, ut quum aliquid ex illis seminum primordijs, accessu temporis euoluatur, & nunc lætetur & excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur, addatur licet species, forma, distinctio, eadem tamen cuiusq; generis natura permaneat. Absit enim, ut rosea illa Catholici sensus plantaria, in carduos spinasq; uertātur. Absit, inquam, ut in isto spiritali paradiso, de Cynnamonij & Balsami surculis, loliū repente atq; aconita proueniant. Quodcūq; igitur in hac Ecclesia, Dei agricultura, Fide patrum satum est, hoc idem filiorū industria, decet excolatur, & obseruetur, hoc idem flore ætate maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur. Fas est etenim, ut prisca illa cælestis Philosophiæ dogmata, processu tēporis excurentur, limentur, poliantur, Sed nefas est, ut cōmutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet euidentiā, lucē, distinctionē, sed retineant necesse est plænitudinem, integritatem, proprietatē. Nā si semel admissa fuerit, hæc impiæ fraudis licentia, horreo dicere quantum excindendæ atq; abolendæ Religionis periculū consequatur. Abdicata enim qualibet parte Catholici dogmatis, alia quoq; atq; item alia, ac deinceps alia et alia iā quasi ex more et licitò

abdicabũtur. Porro aũt singulatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totũ pariter repudiatur? Sed et è cõtra, si nouitia ueteribus, extranea domesticis, & profana sacratis admisceri cœperint, proserpat hic mos in uniuersum necesse est, ut nihil posthac apud Ecclesiam relinquatur intactũ, nihil illibatum, nihil integrũ, nihil immaculatũ, sed sit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorũ lupanar, ubi erat antea castæ & incorruptæ sacrarium ueritatis. Sed auertat hoc à suorũ mentibus nefas, pietas diuina, sitq; hic potiùs impiorũ furor. Christi uerò Ecclesia, sedula & cauta depositorũ apud se dogmatũ custos, nihil in his unq̃ permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, nõ adponit superflua, nõ amittit sua, non usurpat aliena, sed omni industria hoc unũ studet, ut uetera fideliter sapiẽterq; tractando, si qua illa sunt antiqtas informata et inchoata, accurret & poliat, si qua iã expressa et enucleata, cõsolidet firmet, si qua iã confirmata et definita, custodiat. Deniq; quid unq̃ aliud Cõciliorũ decretis enisa est, nisi ut q̃ antea simpliciter credebatur, hoc idẽ postea diligẽtiùs crederetur, q̃ antea lentiùs prædicabatur, hoc idẽ postea instantiùs prædicaretur, q̃ antea securiꝰ colebatur, hoc idẽ postea sollicitiùs excoleretur. Hoc (inq̃) semper, neq; quicq̃ præterea, hæreticorum

corum nouitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis, Catholica perficit Ecclesia, nisi ut quod priùs à maioribus, sola traditione susceperat, hoc deinde posteris, etiam per Scripturæ chirographum cõsignaret, magnam rerũ summam, paucis literis comprehendendo, & plerumq; propter intelligentiæ lucem, non nouum Fidei sensum, nouæ appellationis proprietate signando. Hactenus ille.

Non solùm ergo illæ censendæ sunt definitiones Fidẽ cõcernentes, quæ propriè ad ea pertinent, quæ Apostolorum Symbolo comprehenduntur, uerùm etiam ea, quæ Patres contra hæreticorum importunitatẽ pro explicando Symbolo Apostolorum, in Oecumenicis Cõcilijs determinarunt ac definierunt. Quod nulla planè impudentia, sed necessitate summa adacti fecerunt, non quasi (ut Velsius eis adscribit) non essent contenti his quæ Symboli ambitu comprehenduntur, neq; septa (quod dici solet) transilientes, nouos subinde Fidei Articulos, tanquam Apostolis longè sapientiores, procuderent, neque pro distincta finitaq;, confusam infinitamque Fidem mundo obtruserunt, sed quod ex Apostolorum Scripturis & traditione à maioribus acceperant, hoc posteris, etiam (uti dictum est) per Scripturæ chirographum consignarẽt, magnam rerum summam, paucis literis comprehenden-

prehendentes, & plerunq; propter intelligentiæ lucem, non nouum Fidei sensum, nouæ appellationis proprietate signantes.

Quantum ad quartum attinet, quid nos per Ecclesiam *intelligamus, ex superioribus constare arbitramur, ut non sit necesse eadem toties repetere: nec dicimus* Ecclesiam, Romanæ *subditã esse Tyrannidi (ut* Velsius *ait) sed regimini.* Por*rò ea, quæ deinde nugatur, de suo illo uero œcumenico* Concilio *à Christo indicto, & decretis ac definitionibus illius certißimis uerißimisq;, & quod horum labefactandorum gratia, nullæ disputationes institui poßint, sine grauißimo scelere, sed hæc simpliciter recipienda esse, &c. nihil prorsus faciunt ad propositum.* Non *habere nomen uel rationem* Concilij *ullo modo potest, ut diximus, & alia ratione hic de* Concilijs *loquimur, quemadmodum etiam superiùs ostendimus.* Vnde *quæ deinde & contra* Concilia *nostra œcumenica tanquam* Pseudoœcumenica *ab Antichristo indicta, & contra Antichristianos sophistas garrit, tanquam falsa & contumeliosa contemnimus ac ridemus. Sed & uanum est quòd somniat de* Concilijs, *in quibus cõplures sub uno capite Christo, eius spiritus instinctu unanimi consensu* Episcopi *coacti fuerint, &c.* Non *enim possunt ulla œcumenica* Cõ*cilia, aut legitimè cogi in unum, aut pacificè et*

concorditer terminari ac absolui absq; uisibili capite. Quod si quæ (inquit) eiusmodi sint Synodi, in quibus, & si non propriè œcumenica uocari queant Concilia, complures tamen sub uno capite Christo, eius spiritus instinctu, unanimi consensu, uerè pij & religiosi Episcopi, se mutuò pares & fratrum loco habentes, coacti sunt, & Sacrarum literarum uerbique DEI, *certißima adhibita norma, de controuersiis nonnullis in rebus Fidei & Religionis exortis, Spiritu Sācto intus etiam ipsos docente (qui talibus & simplicibus adesse gaudet, refugit autē impios & subdolos) constituerunt ac decreuerunt, quis quæso Christianus, & piæ mentis homo, non plurimùm ijs tribuat? Quis non eorum talium uocem, tanquā* Dei *amplectatur? Sed quoniam dubitari potest, an integra synceráque (ut nihil ijs detractum, nihil additum, nihil immutatum sit) ipsorum ad nos peruenerint decreta, & omnino de hominum facto fallibili dubitare, nec impium, nec Hæreticum sit, nihil tutius esse uidetur, quam omnia absolutè ad præstantißimum (ut inquit* Dio*nysius Areopagita) ueritatis Canonem, sacra nimirum & diuinitus tradita oracula (quæ etiam Ecclesiasticæ Hierarchiæ substantia esse, ab ipso pronunciantur (explorare, omni tamen adhibita reuerentia mentisq; sobrietate, & quæ*

De Diuino c 2.

De Ecclef. Hierar. c. 1.

cum

cum ijs conueniunt, ut certæ exploratæq; fidei, & indubitata amplecti, si quæ uerò parum congruant, ea suspecta habere, quod si quæ etiam cum his, pugnare manifestè depræhendantur, intrepidè, ut præcepta & doctrinas hominum, reijcere. Hactenus Velsius. *Principiò commonstret nobis* Velsius *ex ullis historijs ullum tale* Concilium,*in quo sub inuisibili capite* Christo *absque uisibilis capitis præsidentia, aliqua sint decreta aut definita.* Deinde *& si tale* Concilium *demonstrare posset, non tamen in eodem* Episcopi *omnes essent pares.* Denique *callidè dicit* Velsius,*dubitari posse, an integra synceráque, ad nos peruenerint decreta illa, & nec impium nec* Hæreticum *esse, de hominum facto fallibili dubitare, ut per hoc ianuam aperiat cunctis, contradicendi decretis legitimorum œcumenicorum* Conciliorum, *ac ea in dubium reuocandi omnibus liberam faciat potestatem.*

Quod *autem dicit sacram* Scripturam, *uerbumq;* Dei *certißimam esse normam, finiendarum controuersiarum,in rebus* Fidei *&* Religionis,*falsum est,cũ magis idonea sit, & efficatior* Ecclesiſticæ *traditiõis autoritas in re dubia,aut quacũq; excitata controuersia,ad* Fidem *& certitudinem faciẽdam,q̃ sint ipse* Scripturæ, *quẽadmodũ suprà ostẽdimus.* Quod *aũt adducit ex* Dio-

Dionisio deDiui.nom.c.2.ibidem nõ inuenitur. Nusquam enim in illo capite, quod duas partes complectitur, inuenies, sacra diuinitùs tradita oracula à Dionysio appellari præstantißimum ueritatis Canonem. Adducit quidem obiectionẽ, quæ contra priùs dicta suboriri poterat. Diceret enim fortasse quispiam, quòd ex huiusmodi denominationibus toti Deitati adscribendis, confusio induceretur contra inconfusam diuinarũ personarum discretionem, & tolli uidetur earum sacra distinctio. Respondet Dionysius, eum qui talia obijceret, nequaquam ueritate subnixum esse, neq; alios in eam inducere posse sententiam, quòd ueritatem tueretur. Nam siquidem (inquit) est, qui omninò sacris Scripturis resistat, longè omninò aberit & à Philosophia nostra, ac nisi illi curæ sit diuina Sanctarum literarum sapientia, quomodo nobis erit curæ, ipsum ad castißimorum eloquiorum scientiam adducere? Sin uerò Scripturæ sanctæ ueritatem intuetur, ista nos quoq; regula & luce freti, ad rationem pro uiribus reddendam, nusquam declinando per genus. Hæc ille. Dicit se cum illo, qui sacræ Scripturæ ueritatem recipit & admittit, eadem quoq; regula & luce fretum ac subnixum, rationem eorum quæ dicta sunt illi redditurum. At hoc non est dicere, sacram Scripturam esse præstantißimum ueritatis Canonem,

&

& nihil tutiùs esse uideri, quàm omnia absolutè ad illum Canonem explorare. Non enim continuò sequitur, sacra Scriptura est Regula et lux ergo est præstantißima regula, & præstantissima lux, cum inueniatur regula præstantior & certior ueritatis, quàm sit sacra Scriptura, nimirum Ecclesiasticæ traditionis autoritas, & & lux multò præstantior, quàm sit sacra Scriptura, nimirum Dominus noster Iesus Christus, qui est lux uera, quæ illuminat omnem hominē uenientem in hunc mundum.

Sed iam excutiamus quod adducit ex primo cap. Eccles. Hier. Quæ (nimirū diuinitùs tradita oracula) etiam Ecclesiasticæ Hierarchiæ substantia esse, ab ipso pronunciantur. Hæc Velsius.

Dionisius uerò sic habet. Substantia sacerdotij nostri, Scriptura sacra est, nobis diuinitus tradita. Quod tantum est, ac si dicatur: Fundamentum & basis, nostræ sacerdotalis functionis, est Scriptura sacra, reuelante spiritu sancto nobis diuinitùs indulta.

Sed reliqua audiamus quæ idem sacratus Pater Dionysius ibidem cōtinuò scribit: Porrò (inquit) huiusmodi plena uenerationis eloquia dicimus, quæq; à Beatißimis Patribus nostris (à quibus sacris mysterijs imbuti sumus) in sanctis catheologicis commendata sunt libris. Ac

præ-

præterea, quæque ab eiſdem ſanctiſsimis uiris, ſacratiore & purgatiore & propinqua quodam modo cœleſti hierarchiæ doctrina, ſancti duces ac præceptores noſtri didicerunt, & ex animo in animum (medio intercurrente uerbo, corporali quidem, ſed quod carnis penitus excedat ſenſum) ſine literis transfuſa ſunt. Et ipſi quoq; ſanctiſsimi Principes noſtri, dum ſacra publicè agenda inſtituerunt, non apertis ac patulis ſenſibus, ſed ſignis Anguſtioribus tradiderunt. Eſt enim non omnis ſanctus, neq; omnium ſcientia eſt, ut ſacra teſtãtur eloquia. Neceſſariò itaq; primi illi noſtri ſacerdotalis muneris duces, cum ex ſumma ſuperſtãtialiq; Deitate ipſi ſancti muneris plenitudinem percepiſſent, & idipſum deinceps proferre & propagare, à diuina bonitate miſsi eſſent, ipſiq;(ut qui trãſiſſent in Deũ) poſteros ad diuina prouehere affatim cuperent, uiſibilibus ſignis cœleſtia Sacramenta texerunt, uarietateq; ac multitudine, quod unicum eſt & collectum, tradiderunt. Et in humanis imaginibus res diuinas, materialibúſque figuris, ſpiritualium maieſtatem, atque in ijs quæ nobis ſunt familiaria, ſumma illa & ſuperſubſtantialia, partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis (iuxta quod ſacræ diffiniunt leges) nobis tradiderunt, non modò prophanæ multitudinis cauſa, cui ne ipſa quidem

dem fas est signa contingere, uerùm ob id quoque, & cæt. Sed & in principio capitis scribit ad Timotheum in hæc uerba. Obserua diligentiùs, ne Sancta Sãctorum efferas, neu prophanis luminibus uiolanda permittas, uerùm reuereberis magis, occultiq; Dei mysteria, spiritualibus inuisibilibusq; notionibus honorabis, atque intemerata seruabis, nequaquam ea paßim rudibus tradens, sed sanctis solis, sanctarum rerum intelligentias, sacratiùs pandens. Et cap. 7. parte 3. Efficientes (inquit) consecrationis preces, fas non est scripto interpretari, neq; ipsarũ arcanũ, siue illas quæ in his ex Deo fiũt uirtutes, è secreto in publicum efferre. Sed sicuti nostra habet sacrosancta traditio, ubi eas secretiorib⁹ instructionib⁹ hauseris, atq; ad sacrationẽ habitũ, capacioreq; intelligentiã diuino amore sacrisq; actionibus consummatus euaseris, ad supremã ipsarum scientiam subueheris, diuina luce radiatus. Hactenus ille. Ex cuius uerbis cõstat præter sacras Literas, aliam esse doctrinam traditionis Ecclesiasticæ, quæ à sanctis ducibus ac præceptoribus, ex animo animum, medio intercurrente uerbo, sine literis transfusa est, & summa illa & supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus, iuxta diffinitionem sacrarum legum, Apostolos nobis tradidisse, ne indignis diuina mysteria patescerent, & manifestata

festata uilescerent. Nam (*ut S.* Petrus *apud* Clementem *ait) quæ summa sunt, silentio honorari uolunt.*

Hunc sacratißimum Patrem, *sequutus sanctißimus ille & uerè* Magnus Basilius *(nam quæ* Tertullianus *in lib.* de Corona *militis de hac re habet prætereo) in lib. de spiritu* Sancto *cap.* 27. *inquit:* Dogmata, *quæ in* Ecclesia *prædicantur, quedā habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex traditione* Apostolorum, *in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus. Quorum utraque parem uim habent ad pietatem, nec his quisquam cõtradicit, quisquis sanè uel tenuiter expertus est, quæ sint iura* Ecclesiastica. *Nam si consuetudines quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habētes momenti, conemur reijcere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in* Euangelio *necessaria ad salutem habentur, imò potiùs ipsam* Fidei *prædicationem, ad nudum nomen cõtrahemus. Hæc ille. Affirmat sanctus* Pater, *dogmata ex traditione* Apostolorum *absq; Scriptura prodita, parem uim habere ad pietatem cum illis quæ scripto sunt prodita, & si illa reijcere conemur, nos damnaturos & ea, quæ in* Euangelio *necessaria ad salutem habentur, &c.*

Ergo *præter* Scripturam, *habemus autoritatem traditionis* Ecclesiasticæ, *per quam & habemus*

bemus Scripturã, quam nobis Catholica cõmendat authoritas. Vnde rectißimè S. August. in lib. contra epist. Manich. quam uocant Fundamenti cap. 5. Ego (inquit) Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret authoritas. Nam & Scripturarum quas habemus authoritas, non per aliud Ecclesiæ innotuit, quàm per traditionem. Circumferebantur olim alia quoque Euangelia, præter quatuor quæ nunc habemus, sub nomine Petri, Andreæ, Thomæ, Bartholomei & Nicodemi, sed ab ijs discreuit Ecclesia, hæc quatuor quæ modò habet, & meritò reueretur, sola traditione autoritatis Ecclesiasticæ, per Spiritus sancti magisterium.

Itaque quod Velsius probare conatur, sacram Scripturam præstantißimum esse ueritatis Canonem, procul est à ueritate, quemadmodum & hoc quod addit, nihil tutiùs uideri, quam omnia absolutè ad illũ explorare, ut quæ cum Sacris literis conueniãt, tanquam certa & indubitata amplecti, si uerò parum congruant, ea suspecta habere, si autem cum his manifestè pugnare deprehendantur, intrepidè, ut præcepta & doctrinas hominum reijcere. Et quidem nos haud quaquam dogmata ulla recipimus aut defendimus, quæ cum Sacris literis manifestè pugnant: aut etiam non congruunt, sed

tamen non credemus Velſio ſi dixerit, dogmata quæ prædicantur in Eccleſia Catholica, aut parum congruere cum ſacra Scriptura, aut manifeſtè cum ea pugnare, quod nec ipſe, altus unquam commonſtrare poterit.

Cæterùm quod ait, ſe rectè iam ſuperiora cõſtituiſſe, an uerum ſit, prudens & Catholicus Lector facilè dijudicabit. Sed ad ſequentia pergamus, & Septimũ interrogatorium arripiamus, quod ſic habet.

Septimò, Num credat Eccleſiam Catholicam apud eos, qui noſtro ſeculo Eccleſiam Romanam, & ordinariam Epiſcoporum ſucceſſionem, & Eccleſiaſticam Hierarchiam, nobis quaſi per manus traditam, non agnoſcentes, ſe Euangelicos vocant, an verò apud omnes, toto terrarum orbe diffuſos Chriſtianos, Catholicos communiter appellatos, qui Eccleſiæ vnitatem, ſub obedientia vnius Romani Pontificis, colunt & obſeruant, exiſtere, cum apud vtroſq; eſſe non poſſit, vt Beatus Cyprianus

ait, & Scriptura pariter, ac ratio Scripturæ consonans conuincit. Hîc *diligenter quæratur à Velsio, an noster sit, aut aduersariorum.*



On superuacanea penitus (ut Velsius uult) hæc est interrogatio, neque ex Sophisticis technis, ad illaqueandos animos minùs prouidos, adhibita, quemadmodum & ex præmissis utcumque colligi, & ex libris nostris, de retinenda fide Orthodoxa & Catholica, aduersus Hæreses & sectas, & præcipuè Lutheranā, demonstrari potest. Ibi enim multis rationibus demonstrauimus Ecclesiam Catholicā, apud eos, q nostro seculo Ecclesiā Romanā, & ordinariā Episcoporū successionē, & Ecclesiasticā hierarchiā, nobis quasi p manus traditā, nō agnoscētes se Euāgelicos (hoc enim noīe gaudēt Lutherani, hoc est, Augustanæ confeßionis professores) uocant, esse non posse, sed potiùs apud nos, id est, apud omnes toto terrarum orbe diffusos Christianos, catholicos communiter appellatos, qui Ecclesiæ unitatem, sub obedientia unius Romani Pontificis colunt & conseruant, existere. In illis siquidem libris ostendimus ac demonstrauimus, Ecclesiam Catholicam consiste-

re, in uinculo unionis & pacis, recto usu sacramentorũ, doctrina sana & Apostolica per Spiritum sanctum uiua traditione, quam ipsa, per successionis seriem Episcoporum & patrum, ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit. Itidem apud Lutheranos, omnia esse extranea, & Apostolicæ doctrinæ contraria, ubi & Fidei dogmata suspecta sunt, & sacramentorum usus minimè Ecclesiasticus, sed peruersus, & ab Ecclesiæ consuetudine alienus: ad hæc neq; apud eos esse unionis & pacis uinculum, ut constet apud eos non esse Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Deinde explicauimus omnia illa, quæ Sanctum Augustinum detinuerunt in gremio sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, de quibus loquitur in libro quem scripsit cõtra Epistolam Manichæi quam uocabant Fundamenti, cap. 4. uerè competere nobis, qui Ecclesiam Romanam, sub obedientia unius Romani Pontificis, colimus & conseruamus, & minimè Lutheranis.

Ex quibus omnibus liquet, non superuacaneam essè hanc interrogationem, neq; contemnendam, tanquam parui momẽti. Nam licèt Velsius remittat se ad superiùs dicta de Ecclesia, ex quibus quid sentiat, intelligere quilibet poßit, nos tamen (uti confidimus) ea quæ superiùs dixit satis conuulsimus, ut quilibet perspicere poßit,

quàm

quàm ſint à ueritate aliena, quæ Velſius *hacte-nus de* Eccleſia *ſcripſit.*

Porrò *licet Cyprianus hoc noſtro tempore non uiuat, rectè tamen ipſius teſtimonium ad-ductum eſt.* Vaticinatum *autem de noſtro tem-pore fuiſſe, non eſt neceſſe ut dicamus, ſed quod aduerſus hunc uel illum ſui temporis* Hæreticum *locutus eſt, in genere rectè dictum intelligi po-teſt de* Hæreticis *omnium temporum, eorum ui-delicet qui eum præceſſerunt, qui tempore ſuo erant, inter quos præcipuus erat* Nouatianus, *aduerſus quem diſputat lib.1.epi.6. & qui poſt futuri erant. Cùm enim apud utróſque eſſe non poßit, & apud* Hæreticos *non ſit, conſtat eam apud* Catholicos *eſſe.*

Ita enim in prædicta epiſtola ratiocinatur, ad uerſus Nouatianum. *Eccleſia una eſt, quæ una & intus eſſe, & foris non poteſt. Si enim apud* Nouatianum *eſt, apud* Cornelium *non fuit. Si uerò apud* Cornelium *fuit, qui* Epiſcopo Fabia-no, *legitima ordinatione ſucceßit, et quem præ-ter ſacerdotij honorem, martyrio quoq; Domi-nus glorificauit,* Nouatianus *in* Eccleſia *non eſt, nec* Epiſcopus *computari poteſt, qui* Euangeli-*ca &* Apoſtolica *traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſeipſo ordinatus eſt, &c.* Quod *au-tem hoc rectè de omnibus in genere* Hæreticis *intelligi poßit, ex ipſius* Cypriani *uerbis colli-*

 gitur.

gitur. Nā in principio epistolæ ita scribit. Neq; *enim* Dñs *noster* I*esus* Christus, *cũ in* Euangelio
Matt. 12. *suo testaretur, aduersarios suos esse eos, qui secum non essent, & secum non colligentes, gregem suum spargerent, aliquã* Hæreticorũ *speciẽ designauit, sed oẽs omnmò qui secum nõ essent,*
Luc. 11. *aduersarios suos ostendit dicẽs: Qui non est mecum, aduersum me est.* Et *qui non mecum colligit, spargit*. Item *Beatus* Ioannes *Apostolus,*
1. Ioan 1. *nec ipse ullam* Hæresim *aut schisma descreuit, aut aliquos speciatim separatos posuit, sed uniuersos qui de* Ecclesia *exissent, quique contra* Ecclesiam *facerent,* Antichristos *appellauit dicens:* Audistis *(inquit) quia* Antichristus *uenit, nunc autem* Antichristi *multi facti sunt*. Vnde *cognoscimus quia nouissima hora est.* Ex *nobis exierũt, sed nõ fuerunt ex nobis.* Si *enim fuissẽt ex nobis, mansissent utiq; nobiscum.* Vnde *apparet aduersarios* Christi Antichristos *oẽs esse, quos constat à charitate atq; ab unitate* Ecclesiæ *Catholicæ recessisse.* Hactenus *ille.*

Quemadmodum *ergo* Dñs *& eius Apostolus* Ioannes, *nullam certam speciem* Hæreticorũ *designauerũt, sed oẽs omninò* Antichristos, *id est, aduersarios* Christi, *ita quod* Cyprianus *de* Nouatiano *scripsit, de omnibus alijs non ineptè intelligitur, maximè quantum ad hoc, quòd apud eum* Ecclesia *non est, uel quòd in* Ecclesia *nõ est.*

Quod

Quod autem Velſius deinde arbitratur nuſquã apud Cyprianum inueniri, Catholicorũ uniuerſale nomen, ad eos contractũ, & quaſi in anguſtũ adductũ, qui nũc Catholici cõmuniter appellantur, ſed nõ ſunt (inqt) ut q̃ Eccleſiæ unitatẽ ſub obedienia, non unius Chriſti (quod ueri faciũt catholici) ſed unius Romani Põtificis (quod Antichriſtianorũ Hæreticorum eſt) colũt & cõſeruãt, falſum eſt. Nã q̃d Cyprianus de primatu & obediẽtia Romani Põtificis ſentiat, ſuprà circa interrogationẽ quintã manifeſtũ fecimus. Ex quibus conſtat Cyprianum nunq̃ alios Catholicorum nomine cenſuiſſe, quàm eos qui cõmuniter appellabantur, qui ſcilicet Eccleſiæ unitatem, ſub obedientia unius Romani Pontificis coluerunt & conſeruarunt.

Quod aũt Velſius dicit: Antichriſtianorũ hæreticorũ eſſe, unitatẽ Eccleſiæ obſeruare, nõ ſub obediẽtia unius Chriſti, quod ueri Catholici faciũt, ſed ſub obediẽtia unius Romani Pontificis, more ſuo, hoc eſt, Hæreticorũ proteruiẽtium facit. Porrò ſi per ueros Catholicos, unitatem Eccleſiæ ſub obedientia unius Chriſti colentes, ſemetipſum & colluuiem Hæreticorum ad quos deſertor Eccleſiæ transfugit, intelligi uelit, reſpondeo eos, nec unitatem Eccleſiæ colere, nec Chriſto obedientiam præſtare. Quomodo enim Eccleſiæ unitatem colerent, quam nefario

ſchiſmate diuidunt, ipſi nec inter ſe concordes? Quomodo Chriſto obediant uel hinc cognoſcitur. Chriſtus iußit audiri Eccleſiam, & eos qui Eccleſiam non audirent haberi tanquã Ethnicos & publicanos. Quomodo aũt rebelles hæretici audiant Eccleſiam, ſuperuacaneum eſt hic adnotare, quum eam infeſtis ſignis, & parricidalibus armis, indies magis magisq; impugnare contendant. Adhæc Chriſtus cũ Petro paſcendarum ouium trinam dedit commißionem, omnes oues ſuas Petro ſubiecit, earũq; curam, paſturã & regimen ei iniunxit, ut intelligas in oẽs abſq; ulla diſtinctione aut exceptiõe, curæ paſtoralis & regiminis autoritatẽ, à Chriſto datã eſſe Petro, & in Petro ſucceſſori eiuſdẽ Romano Põtifici, ut ſuperiùs dictũ eſt, & omnibus obediẽdi eidem impoſitam eſſe neceßitatẽ. Qui ergo Romano recuſant obedire Põtifici, cõuincũtur nec obedire Chriſto, ſed uerè oppugnare cõmißionẽ & inſtitutionẽ Chriſti, qua oẽs eidẽ ſubiecit, ut ſint uerè Antichriſtiani Hæretici non ꝗ colũt et obſeruant unitatẽ Eccleſiæ, ſub obediẽtia unius Romani Pontificis, ſed qui hoc facere recuſant, Velſius & Velſiani, & Hæretici uniuerſi.

Deinde Velſius ridet, quod in interrogatorio adijcitur: Et Scripturæ pariter & ratio Scripturæ conſonans conuincit. Quam pulchrũ (inquit) idem, Scripturam pariter ac rationẽ Scri-

pturæ consonantem conuincere asserit? O *egregium hominem, qui credit nos sua nuda pronunciata, tanquam ex tripode profecta oracula, sine omni demonstratione recepturos esse.* Q*uam tandem Scripturam mihi dicis ò uir bone, quæ eiuscemodi* Ecclesiæ, *ullam mentionem faciat? quam uerò rationem Scripturæ consonantem?* Orestis *mihi non sani, somnium narras.* Nihil *minus, sed* Velsius Orestis *somnium narrat, & delirat ac lethargū patitur, qui in re tam aperta cauillatur ac tergiuersatur.*

Nónne *superiùs cum de* Ecclesia *ageremus, & cur* Catholica *nuncuparetur explicaremus, multas* Veteris *&* Noui Testamenti *scripturas adduximus, quæ* Ecclesiæ Catholicæ *facerent mentionē?* Aliā *enim* Ecclesiam *non agnoscimus, quā* Catholicā, *suprà à nobis descriptā.*

Sed et Cyprianus *in iam citata* Epistola *probat per Scripturas apud* Nouatianum Ecclesiam *non esse.*

Ita *enim ait:* Foris *non esse* Ecclesiā, *nec scindi aduersum se aut diuidi posse, sed inseparabilis atq; indiuiduæ domus unitatem tenere, manifestat* Scripturæ *diuinæ* Fides, *cùm de* Sacramento Paschæ *&* Agni, *qui* Agnus Christum *designabat, scriptum sit:* In domo una comedetur, *non eijcietis de domo carnem forâs.* Quod *item circa* Raab *ostendit, sed hoc exem-*

plum circa 4. interrogationem adduximus.

Circa id uerò quod in fine adijcitur. Hic diligenter quæratur à Velsio, noster sit aut aduersariorum, ita scribit: Iam uerò (inquit) quod ad finem adijcitur, Velsium planè constrictũ tenet, estq; rete quod euadere non potest, si modò uos à Groppero, iniunctam uobis diligentiam adhibeatis. Obseruate diligenter ne elabatur. Sed ut uideo, iam euasit, gladio spiritus dissecto reti. Quid enim? Pauli se ait præceptis obtemperantem, neq; horum, neq; illorum, se esse profiteri, sed qui pro ipso mortuus est Christi. Hæc ille. Respõdeo tibi Velsi, te nec Christi esse, nec Pauli, quorum præceptis non obtemperas. Nam Christus te subiectum esse uoluit Romano Pontifici uicario suo in terris, uerùm tu non solùm obedire recusas, sed insuper illum maledictis & calumnijs odiosè persequeris. Ad hæc quomodo Christi esses, qui Christum in adorando Eucharistiæ Sacramẽto blasphemas? qui contra apertißima uerba Christi, in augustißimo altaris Sacramento, negas panẽ cõuerti in corpus Christi, & uinum in sanguinem? Christi quoq; Apostolus Paulus idipsum firmiter credidit & docuit, & tu negas? Quomodo ergo poteris esse Pauli, qui contra Pauli doctrinam, doces et scribis? Idem quoque Paulus, uult omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse, quod


cum

cum tu facere recusas, apparet te non obtemperare, Pauli præceptis, & idcirco te Pauli non esse. Hic planè Velsi constrictus teneris, neque rete istud euadere poteris (licet glorieris te euasisse, sed inaniter) nisi per gladium Spiritus, quod est uerbum Dei, resecaueris à te perfidiam hæreticam, & contumacem rebellionem. Porrò quod nec noster sis, hæretica tua docet doctrina, quæ cum nostra, quæ est Catholica ex dyametro pugnat. Quod autem nec aduersariorum sis, in apologiæ tuæ confutatione demonstratum est. Cuius ergo sis, ipse uideris. Denique quod insultando dicis nobis, ut à Groppero nobis iniunctam diligentiam adhibeamus, respondemus, nobis non esse à Groppero hanc diligentiam iniunctam, ut aduersum te Inquisitiones officium & institueremus & absolueremus, uerùm à legitima potestate, cui obedire in Fidei propugnatione sacrosanctum esse credimus & iustum.

Cæterum quod tibi Gropperi nomen adeò sordet, nemini mirum uideri debet, cùm Clarißimus ille uir sit acerrimus & peritißimus, aduersus omnes hæreticos, Catholicæ Religionis assertor, cuius indefatigabile studium industriam & labores, pro prisca illa & Apostolica Ecclesiæ Catholicæ pietate & Religione, tuenda ac conseruanda, ut nemo satis mi-

tis mirari poteſt, ita neque ſatis collaudare. Qui & doctiſſimis elucubrationum ſuarum monumentis, æterna memoria dignis, & Eccleſiam illuſtrauit Catholicam, & ab aduerſariorũ præſtigijs, calumnijs & peſtilentiſſimis erroribus uindicauit.

Octauò, An credat ſanam doctrinam, quæ ad ſalutem æternam creditu & obſeruatu neceſſaria eſt, in Eccleſia *Romana ſeu Catholica, quæ ſancti Petri ſedem agnoſcit, aliquot ſuperioribus ſeculis, in hanc uſque diem, Humana & Sophiſtica doctrina, corruptam & contaminatam eſſe.*



I uera ſunt, imò quia uera ſunt, quæ circa tertij interrogatorij adſtructionem ac aſſertionem à nobis dicta ſunt, conſtat & huius ueritas. Si enim apud Eccleſiam *Catholicam ſiue* Romanam, *ſemper fuit ac erit, dogmatum ad ſalutem neceſſariorum ueritas, nunquam ſanè eadem, humana & ſophiſtica doctrina, corrupta & contaminata fuit, nec unquam contaminabitur.*

Quoniam

Quoniam ergo Velſius contrarium docet ac aſſerere non uerecundatur, æquum erat ut ab Inquiſitoribus hoc ei interrogatorium proponeretur, ad eliciendam & expiſcandam, apertam oris ſui confeſſionem. Quod autem contrarium doceat, ſuperiores illius confutati errores & hæreſes apertiſsimè demonſtrant, quæ etiã ipſum in ꝗ plurimis peßimè ſentire cõprobant.

Nonò, An credat huic urbi Colonienſi, ueritatis lumen in doctrina Chriſti, hucusq; defuiſſe, quod præteritis temporibus abſconditum per ignorantiam hactenus diſsimularit Deus, id quod ipſi Velſius primus uelit in ipſam inferre.



Rat certè operæpreciũ, ut hoc interrogatorium Velſio proponeremus. Nam cũ hæc urbs Agrippina Colonia, lumine ueritatis, non nuper, ſed inde ab ipſis Apoſtolorũ temporibus, illuſtrata fuerit, quod primus S. Maternus Apoſtolorum Principis Petri diſcipulus, in eam inuexit, & deinde Sancti, Seuerinus, Euergiſlus, Cunibertus, Agilolphus, Heribert⁹, Anno, alijque pij antiſtites,

ſtites, fidelium operariorum adiuti laboribus, hucuſque ſyncerum conſeruarint. Velſius *uerò ſtupenda quadam philautia ac ſuperbia inflatus, ſcribere minimè ueritus ſit, hanc urbem hucuſque, in craſſæ ignorantiæ tenebris iacuiſſe, quas diſsimularit hactenus* Deus, *nunc uerò per eum patefacere uelit orbi.* Quærendum *ſanè erat ex* Velſio, *an lumen, quod uiri* Apoſtolici, *in hanc urbem primum intulerunt, & hucuſq; conſeruarunt, ipſe tenebras eſſe diceret, ſuas uerò reuerà tenebras, quas inferre molitus eſt, lucem uocaret?* Hoc *ipſo enim quam maximè perſpicuum erat futurum, quid in eum ſtatuendum foret.* Iam *& ſi in ſuo uaniſsimo commento interrogatorium hoc initio, ueteratoria & fœdiſsima ſophiſtica (ut eſt omnium ſophiſtarum & ueteratorum impudentiſſimus) ea ratione eludere conetur, quaſi non de luce Chriſtianæ profeſsionis, ſed philoſophiæ ſit locutus, tamen ad finem commenti, impellente nimirum eum conſcientiæ uerbere, liberè & ingenuè aſſerit, inaudita licet temeritate, ueritatis* Euangelicæ *lumen, huic urbi hactenus non luxiſſe, ſed ipſum à* Deo *miſſum eſſe lucernam ardentem, quæ hoc primùm ei uelit inferre, atque hoc erat, quod quærebatur. Ita enim ſcribit.* Arbitror *igitur ego,* Chriſti *doctrinam, eiuſq; ueritatis lumen, in hac ciuitate (quæ*

propè dixerim non minùs, quam Atheniensis Pauli temporibus, simulachrorum cultui dedita est, traditionibus humanis ἐθελοθρησκείᾳ et horrenda atque abominabili superstitione, aliquamdiu miris modis, obscuratum fuisse, atque etiamnum hodie esse, &c. Sed & in Apologiæ Velsianæ confutatione comprobatum est à nobis, Velsium non solùm se asserere missum etiam diuinitùs, ad philosophiæ lumen inuehendum, siue (ut ipse uanißimè præsumit) ad philosophica studia reparanda instaurandaq;, sed etiam ad pœnitentiæ prædicationem, quam ad lucē Christianæ profeßionis spectare, Christianorum negare poterit nemo.

Decimò, An credat Martinum Lutherum, Philippum Melanthonem, Zuinglium, Oecolampadium, & cæteros qui ab his, vel Lutherani vel Zuingliani dicuntur, & se vno nomine Euangelicos appellant, viros non modò doctos, sed & pios censendos esse, quibus vberius ingenij, & veræ eruditionis donum contigerit.

Non



ON *minus ad rem faciebat Velsium interrogari, super eo quod hoc interrogatorio continetur*. Nam *cùm hæretici & dogmatistæ, et q eorū dogmata instituta cōprobant, pari censura percellantur*. *Ipse uerò in* Epistola *ad* Reuerendißimum Archiëpiscopum, *in hoc interrogatorio nominatos, innuisse ac descripsisse uisus sit, erat sanè ex responsione eius appariturum, à parte ne illorum, an* Ecclesiæ Catholicæ *staret*. Et *quoniam in suo commento, non negat se istis uiris nominatim expreßis, & singularem doctrinam, et purioris* Religionis *instaurandæ, strenuæ operæ adhibitionem, & ueræ pietatis opinionem tribuere, eo ipso profectò sententiam in se dictā apertè iustificat*. Nisi *tamen quis tam peruersus sit qui inter alios, pestilentißimos hosce uiros, nempe* Zuinglium *&* Oecolampadium, *reputare & asserere uelit, pietate & eruditione præstantes uiros fuisse*, Ecclesiam *uerò* Catholicam, *inde ab* Apostolorum *temporibus, in re* Eucharistica, *fœdißimè delirasse*.

Vndecimò, An credat hosce uiros, doctrinam Romanā ad salutē pertinentem, nō temerè, nec sine magna causa insectatos fuisse, nec insectari.

Non



ON est hic Symboli Antichristi nouus Articulus, ut Velsius intelligit. Nam per Antichristum semper intelligit Romanum Pontificē, sed est interrogatorium desumptum (ut etiam Velsius confitetur) ex supplicatione quadam, quam Senatui Coloniensi porrigendam curauit. Si ergo hoc interrogatorium erutum est, ex supplici libello Velsij, & secundum sententiam eius est Antichristi symboli nouus Articulus, consequitur Velsium esse Antichristum, ex cuius scriptis talis symboli depromuntur articuli.

Porro quoniam doctrina Romanæ Ecclesiæ, est doctrina Catholicæ Ecclesiæ, & apud hanc Ecclesiam semper fuit ac erit dogmatum ad salutem necessariorum ueritas, quemadmodum superiùs demonstratum est à nobis, necessariò cōsequitur, hosce uiros doctrinam Romanam ad salutem pertinentem, temerè atque absq; omni causa, insectatos fuisse, atq; insectari. Nec unquam Velsius comprobare ac commonstrare poterit Romanorum doctrinam, esse pestiferā, antichristianorum doctrinam, & ad pernitiem hominum pertinere, esse pharisaica & hypocritica dogmata, intolerabiles abusus, simoniam, sacrilegium, idolomaniam, & id genus reliqua.

Licet enim apud quosdam, quædam regnent uitia, quidam irrepserint abusus, non tamen defenduntur ab eis tanquam bona, quemadmodum faciunt uotifragi monachi & detestabiles apostatæ, qui scortationibus et libidinibus suis prætexunt matrimonium. Deinde quod ipsi insectantur tanquam idolomaniam, nos non habemus neque Ecclesia pro idolomania, sed pro uero cultu unius ueri Dei & sanctorum eius. Vnde iure & meritò dicemus Velsium blasphemasse, qui adoratione Christi in Eucharistia, appellat idololatriam, & eiusdem adoratores, idolololatras, sacramentum altaris, idolum, frumentaceum, panaceum & Deum Moazim. Reliqua quæ hoc loco putido ore euomit indigua sunt responsione, quemadmodum totus liber, scatens horrendis ac abominandis hæresibus, blasphemijs, & multis mendacijs atque contumelijs.

Quod autem Reuerendum & doctissimum uirum Syluestrum Prieratem hoc loco traducit, dicens eum hominem cumprimis ad inquirendum, inueniendum & conueniendum atque etiam comburendum Lutheranos solertem & industrium, hoc facit impulsu spiritus illius, qui pater mendacij appellatur, & desumpsit, ex fictitio quodam & ab homine insigniter Lutherano conficto libello, in odium Inquisitorum & Inquisi-

Inquisitionis, cui titulus eiuscemodi est. Modus solennis, & autenticus, ad inquirendum & inueniendum & conuincẽdum Lutheranos, ualde necessarius, ad salutem sanctæ Apostolicæ Sedis & omnium Ecclesiasticorum, Anno 1519. compositus, in Martini Lutheri perditionẽ, & eius sequacium, per uenerabilem monachum magistrum Syluestrum prieratem, ex sacrosancto ordine fratrum prædicatorum, magistrum sacri palatij, & generalem hæreticæ prauitatis Inquisitorem. Ex hoc excogitato libello sumpsit etiam quod dicit nos colligere, in quarta figura, & inusitato modo Brocardico. Nam in fine illius libelli legerat quæstionem Brocardicam appellatam. Porro hic libellus erat adiunctus alteri cuidam libello, cui talis erat titulus.

Eusebius captiuus siue modus procedendi in curia Romana contra Lutheranos, in quo præcipua Christianæ Religionis capita examinantur, trium dierum actis absolutus, per Hieronymum Marium. Qui in eodem pestilentißimo libro, sub Eusebij persona (quem fictè introducit de Fide & Religione coram summo Pontifice differentem) præcipua factionis Lutheranæ de Religionis negotio capita defendit, eorúmque damnata dogmata, summatim collecta, corroborare contendit. Et quemadmodum ex Epistola nuncupatoria Marij liquet, fuit hic Marius

arte medic⁹, duplici nomine Velſio charus cum quod Lutheranus, tū quod profeſſione medicus. Nam & Velſius medicinarum ſe doctorem affirmat Bononiæ promotum. Fugit autem Marius ex Italia in Germaniam, ob hæreticam perfidiam, ne deprehenderetur. Sic enim ſcribit in Epiſtola nuncupatoria. Cum ante triennium papiſticam Religionem, tanquam Chriſto aduerſantem repudiaſſem, nullúmq; mihi in Italia locum à papæ tyrannidè tutum eſſe conſpicerem, illam coactus deſerui, libentiùs enim aut paternis ſedibus, aut in alio quouis Italiæ loco uixiſſem, ubi papiſticæ abominationi, aduerſari poſſem. Verùm cum nullum pijs tutum præſidium, aut aſylum eſſe conſpicerem, certè mihi uitæ periculum imminere agnoſcebam, ſi illuc diutiùs uerſarer. Ideo cum ſæuiſſima tormenta, quibus Chriſtiani afficiuntur, perhorreſcerem, Italiam deſerui, altiſſimas totius Europæ alpes ſuperaui, in Heluetiorum oram & urbes, tanquam in ciuitates refugij me recepi. Hæc illæ. Hîc audis cauſam cur Marius profugerit ex Italia, ſimul etiam cuius ſpiritus ſit. Nam Religionem Chriſtianam tanquam papiſticā & Chriſto aduerſantē fatetur ſe repudiaſſe, & ſe quæſiſſe locum, in quo Papiſticæ abominationi aduerſari poſſet, & impios hæreticos, appellat pios & Chriſtianos.

Hos itaque deprauatißimos libellos, ab hæreticis confictos & excogitatos, ipse Velsius in quondam nostro cum illo congressu protulit cōtra nos, asserens se ex illis technas nostras denudaturum. Sed reuerà technæ sunt doli & mendacia, imò apertißimæ hæreses, quicquid in illis continetur.

D*uodecimò, An credat formam inquisitionis, qua hodie in Ecclesia, secundum iura Canonica, contra hæreticos, seu de hæresi suspectos, proceditur, veræ & Catholicæ Ecclesiæ, fuisse incognitàm.*

D*ecimotertiò, An credat iura communia, quæ in libris* Decreto*rum,* Decretalium, & *Clementinarum constitutionum cōtinentur, secundum quas in foro* Ecclesiasti*co, in causis iudicatur, noua & illegittima iura esse, & cum* Christi & Aposto*lorum institutis pugnare.*



VIC duodecimo, & decimotertio interrogatorio, occasionem præstitit marginalis eius adnotatio, ad quãdam ipsius Epistolam, cuius in suo commento meminit. De hac aũt interrogari eum omnino conuenerat, tum ut ex eo intelligeretur, an quæ de inquisitione contra hæreticos constituenda, in non paucis œcumenicis cõcilijs, præsertim Lateranensi illo magno, sub Innocentio 3 Lugdunensi & Viennensi, & in uniuersum, quæ Iure Canonico, atq; etiam ciuili constituta sunt, diceret astu antiqui serpentis inuecta, & nihil nisi simplicium illaqueationem esse, quam nulla Respublica libera, admittere deberet, sicut eum sentire, memorata adnotatio indicabat. Hoc enim erat homines, ad nefariam rebellionem, cõtra legitimas potestates instigare, & Concilia œcumenica, tanq̃ satanica conciliabula damnare. Tum ut ex ipso disceretur, nũ asserere uellet Inquisitionem in hæreticos ueteri eiq; ueræ & Catholicæ Ecclesiæ fuisse prorsus incognitã, cùm tamen nihil ferè tam seriò, in Sacro Scriptura, tam ueteris quam Noui Testamenti, Ecclesiarũ Antistitibus iniungatur, quã eiuscemodi legitima in hæreticos Inquisitio, & in Ecclesiasticis historijs, nulla ex re pij Pontifices magis cõmendentur, quã ex opera hac in re

gnauiter

gnauiter locata, quorum uestigijs nos Inquisitores incedentes, ne ad latum quidem unguem, à legitima forma inquirẽdi, unquam discessimus.

Cæterũ quod Dñs ait. Si peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eũ, inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuũ. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unũ uel duos, ut in ore duorum uel trium testiũ stet omne uerbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si aũt Ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus, in hæretico nõ habet locum. Nõ enim obseruatur in hæretico, iste ordo correctionis fraternæ, quoniam peccantẽ in nos fratrem, corripimus & denũciamus Ecclesiæ, ut emendetur. At de hæreticis, post unã & alteram correptionẽ. omnẽ prorsus spem emendæ, præscidit Apostolus dicens Hæreticum hominẽ post unam et secundã correptionẽ deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est. Et delinquit, cũ sit proprio iudicio condẽnatus. Quid ergo causæ est, cur in uno hæretico obseruandus non sit, ordo ille correptionis fraternæ, nobis præscriptus à Christo? Cur non antè denunciandus Ecclesiæ, quàm uitandus à nobis, ut alius quilibet frater, quem tamen ut fratrem semel & iterum iubemur corripere? Cur in solo hæretico non expectamus sed præuenimus censuram Ecclesiæ? Respondet Apostolus, quia subuersus est,

Matt. 18.

Titum. 3

 hoc

magiſtri ſui alicuius uidelicet Hæretici ſenſum, eidem præfert. Cuius tamen autoritas, alijs peccatoribus nihilominus eſt, & manet ſacroſancta, & propterea ad correctionem emendamq; eorum efficax. Deuita inquit, *tanquam deploratum, tanquam peſtilentem, tanquam præſentem peſtem, nec nouis uocibus eorum aures accommoda, ne & tu quoq; eorum contagione inficiaris.* Multùm *enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum uelut cancer ſerpit.* De*uita ergo tanquam incorrigibiles, & quia abierunt in profundum malorum. Sciẽs inquit, quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & quia tibi ex illo, graue imminet contagionis periculum.* De*uita ergo quaſi uiperam, quaſi ſcorpionẽ, quaſi baſiliſcum, ne te non ſolùm tactu, ſed etiam uiſu afflatuq; percutiant.* Quid eſt deuitare? Cum *huiuſmodi nec cibùm ſumere. Si quis (inquit) ue*nit ad uos, & hanc doctrinam non adfert, utiq; Catholicam & uniuerſalem, & unam eandẽq;, per ſingulas ætatum ſucceßiones, incorrupta ueritatis traditione manentẽ, & uſq; ad conſummationẽ ſeculi permanſurã.* Nolite (inquit) eum recipere in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit ei Aue, cõmunicat operibus illius malignis.* 2. Tim. 2. Ioan. 2.

De veritate Corporis & Sanguinis Christi, in Eucharistia.

egit, et dedit illis dicẽs. Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorũ. Et Mar. 14.
Marcus. Et manducantibus illis (ait) accepit Iesus panẽ, & benedicẽs fregit, & dedit eis & ait. Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agens, dedit eis. Et biberunt ex illo oẽs. Et ait illis. Hic est sanguis meus Noui testamẽti, qui pro multis effundetur. Porro Lucas ita scri Luc 22.
bit. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens. Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur aut tradetur. Hoc facite in meam cõmemorationem. Similiter et calicem postq̃ cœnauit dicẽs. Hic est calix Nouum testamentum in meo sanguine, qui pro nobis fundetur. Sed & Paulus. Ego (inquit) accepi à Domino, quod & tra 1. Cor. 11.
didi uobis, quoniã Dñs Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panẽ, & gratias agẽs, fregit & dixit. Accipite & manducate, hoc est corpus meũ, quod pro uobis tradetur. Hoc facite in meam cõmemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit dicens. Hic calix Nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescúnque bibetis in meam commemorationem. Hæc sunt uerba sanctorum Apostolorum & Euangelistarum, ex quibus liquet Christum accepisse panem, benedixisse & gratias egisse, fregisse et dedisse discipulis suis, et dixisse, hoc est corp⁹ meũ.
Item

dixit. Hoc est corpus meum, qui panem quidem in manus accepit, sed secreta potestate effecit, & conuertit in corpus suum. Hoc est corpus meum inquit: Hoc uidelicet, quod erat in manibus eius, dixit esse corpus suum, non solùm sermone indicatorio & enunciatorio, quomodo nos homines loquimur, sed operatorio & efficaci, ut quia ipse dixit (dixit enim & facta sunt) certò certius factum esse credamus. Omnia enim quæcunq; uoluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari et in omnibus abyßis. Quia ergo Christus dixit, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, Psal 134.
simpliciter credēdum est esse ibi uerum corpus, uerumq; Sanguinem illius. Christo enim asserenti corpus & sanguinem esse in Eucharistia, impium est nō adhibere fidem. Est enim ueritas, Ioan 14.
quæ mentiri non potest. Quāobrē sicut de Abrahā Paulus scribit, quod ille in repromißione Dei Rom. 4.
nō hæsitauit diffidētia, sed confortatus est Fide, dans gloriam Deo, plenißimè sciens, quia quæcúnque promisit Deus, potens est & facere: sic & cuiuis alteri faciendum est, qui uestigijs Fidei Abrahæ meditatur incedere, ut Fidem firmam Christi uerbis adhibeat, nec hæsitet quicquam aut dubitet, quin præstiterit & præstare poßit quod affirmauit, exhibendo nimirum in hoc sacramento uiuificum & uerum suū corpus, & sanguinē. Adiecimus et præstare poßit. Nam

tunc

qui in corpore illo habitabat. Sumpsit corpus illud de virginis utero, & produxit illud in hunc mundum, clauso utero matris. Ipse corpus illud tulit super aquas maris, ita ut non mergeretur, ubi mergebatur Petrus, sed non submergebatur, quia ab ipso adiuuabatur. Ipse cœlestem claritatem ostendit in corpore suo, dum adhuc futurum ei erat ut pateretur & moreretur, tunc uidelicet quando se corã discipulis suis transfigurauit in monte, & quando resplenduit facies eius ut sol. Ipse corpus illud propria uirtute suscitauit à morte, & clauso sepulchro eduxit illud foras, & ubi erant discipuli congregati in domo clausis ianuis cum eodem corpore introiuit & stetit in medio eorũ. Ipse quoq; idem corpus de terra potẽter subleuauit, & in summo cœli super omnes choros Angelorum collocauit. Hæc omnia in Euangelijs scripta sunt, & credimus ea, quamuis incredibilia uideantur secundũ communem rerum naturam, & quamuis considerare & inuenire nesciamus, quali modo hæc fieri potuissent. Credimus autem quòd uerè potuit Dominus facere, & fecit omnia hæc, quia deus erat, cui nihil impoßibile est, & eadem ratione credere hoc debemus, quòd & illud potuit facere de corpore suo quod suprà diximus, uidelicet quòd dedit illud manducandũ discipulis suis, quãdo dicebat. Accipe & mãducate Matt. 17. Luc. 22.

ex hoc oẽs, hoc eſt, corpus meum quod pro uobis tradetur. Cæterùm ſi olim à Pythagoræ diſcipulis receptum fuit, quod à magiſtro dicebatur, quanto iuſtiùs à Chriſti diſcipulis recipiendum, quod ab ipſo dicitur? At Chriſtus ſuis uerbis teſtatur & affirmat, hoc eſſe corpus ſuum & ſanguinem, deberet igitur hoc cuiuis Chriſtiano ac Chriſti diſcipulo ſufficere.

Porro uerùm corpus Chriſti & ſanguinem, eſſe in hoc ſacramento, & rectè creditur, & conuenienter. Hoc enim perfectioni nouæ legis conuenit. Sacramenta enim ueteris legis, cõtinebant illud uerum ſacrificium paßionis Chriſti ſolùm in figura. Nam ut Paulus ait, umbram habuit Lex futurorum bonorum, non ipſam rerũ imaginem. Heb.10. *Et ideo oportuit ſacramentum nouæ legis à Chriſto inſtitutum, aliquid amplius habere, ut ſcilicet contineat ipſum Chriſtũ paſſum, nõ ſolùm in ſignificatione uel figura, ſed etiã in rei ueritate. Et ideo hoc ſacramẽtũ, quod ipſum Chriſtum realiter continet, ut Dionyſius dicit 4. cap. Eccleſ. Hierarchiæ, eſt perfectiuum omnium aliorum ſacramentorum, in quibus uirtus Chriſti participatur. Competit etiam charitati Chriſti, ex qua pro ſalute noſtra corpus uerum, noſtræ naturæ aſſumpſit, Et quia maximè proprium amicitiæ conuiuere amicis, ſui præſentiam corporalem nobis repromittit in præ-*

mium

mium dicens. Vbicúnq; fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Interim tamen nec sua præsentia corporali, nos in hac peregrinatione destituit, sed per ueritatem corporis & sanguinis sui, nos sibi coniungit in hoc sacramento, dicens apud Ioannem. *Qui mandúcat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Vnde ex tam familiari coniunctione Christi ad nos, hoc sacramẽtum est signum maximæ charitatis, & nostræ spei subleuamentum. Competit deniq; hoc perfectioni Fidei, quæ sicut est de diuinitate Christi, ita etiam est de eius humanitate, secundum illud uerbum Christi dicentis. *Creditis in Deum, & in me credite.* Et quia Fides est inuisibilium, sicut diuinitatem suam Christus nobis exhibet inuisibiliter, ita et in hoc sacramento, carnem suam nobis exhibet inuisibili modo. Nam uerùm corpus Christi & sanguinem esse in hoc sacramento, sensu depræhendi nõ potest, sed sola Fide, quæ autoritati diuinæ innititur. Nec sanè mirum, si filius Dei, nunc tribuat nobis corpus & sanguinem suum, in alimoniam gratiæ, quibus post hanc uitam paratus est dare propriam diuinitatem in cibum gloriæ inæternum. Ampliùs, sicut saluator, tactu suæ mundissimæ carnis, contulit omnibus aquis uim regeneratiuam, sic proferendo uerba consecrationis, præstitit uerbis his, quando à sacerdote, cum

Matt. 24.
Ioan. 6.
Ioan. 14.

intentione conficiendi proferuntur, uim consecratiuam. Et sicut in exordio seculorum semel dixit. Producat terra Herbam, &c. & animalibus Crescite & multiplicamini, & ecce usq; in finē seculi, omnia uerbo eius obtemperant, sic eadem potestate semel proferendo uerba consecrationis, fecit, ut quotienscunq; ritè proferuntur, sortiãtur effectum. Nec mirum, si potuit unum in aliud conuertere, qui potuit uniuersa ex nihilo creare.

Credendum est itaq; firmiter, quemadmodũ Catholica Ecclesia (quæ primùm à Christo cœpit, & inde per Apostolos & cæteros patres, ad nostra usq; tēpora promanauit) semp credidit, & concorditer tenuit, in Eucharistia, panem uerè mutatum esse in corpus Christi uerum & uiuificum. Nam quemadmodũ Christus quũ diceret, hoc est corpus meũ, & hic est sanguis meus, non panē & uinum, sed corpus suum & sanguinem discipulis suis tradidit, sic per prolationem uerborum à Christo institutorum, ad perficiendam sacræ Eucharistiæ consecrationem, panis ipse in altari propositus, in uerum & uiuificum corpus Christi conuertitur, & uinum in calice benedictionis contentum, in uerum eius sanguinem mutatur. Siquidem dogma datur Christianis, quòd in carnem transit panis, & uinum in sanguinem. Verbum caro, panem uerum.

rum, uerbo carnem efficit, fitq; sanguis Christi merum, etsi sensus deficit. Itaque postquam *uerba consecrationis super panem & uinũ prolata sunt à sacerdote, substantia panis & uini in* Eucharistia *desinit esse, & manent duntaxat eorum accidentia, color, sapor, grauitas figura, quantitas, & similia, sine subiecto, & sub illis accidentibus, incipit esse corpus* Christi *& sanguis, quæ sub illis accidentarijs proprietatibus subsistunt.* Et *fiunt hæc omnia, uirtute uerborum* Christi *ad perficiendam huiusmodi consecrationem designatorum.* Quibus *integrè à* Sacerdote Prolatis, *non quidem in sua, sed* Christi *loquentis persona, mox admiranda ista pficitur transmutatio, ut in fine prolationis uerborum super panem, conuertatur panis in uerum* Christi *corpus, & finita pronunciatione uerborum, ad consecrationẽ calicis accõmodatorum, subitò uinũ, in pretiosum* Christi *sanguinem sit conuersum.* Manet *enim substãtia panis uel uini, usq; ad ultimũ instans consecrationis, in ultimo autem instanti consecrationis, iam est ibi substantia corporis uel sanguinis* Christi. *Cæterùm hæc uis, quæ uerbis consecratorijs attributa est, ut uidelicet ijs prolatis à sacerdote fiat ista tam admiranda conuersio panis & uini, in uerum & uiuificũ corpus & sanguinẽ domini nostri* Iesu Christi, *nõ est accipienda*

quatenus uerba sunt, tanquam uirtutem inhærentē habeant, ne incātatoria putentur, sed propter autoritatem Christi, qui illis sua uirtute adest, qui est ipsa ueritas, à quo, quæ dicit, facta sunt. Ipse enim dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Verba ergo consecratoria huius sacramenti significant atque prorsus insinuat uerum Christi corpus & sanguinē contineri in ipso, si Euangelio credimus: porrò quum eadem uerba consecrationis, id reuerà efficiant, quod significant, constat in Eucharistia uerum & uiuificum Christi corpus, & uerum eius sanguinem contineri. Pro qua re asserenda, copiosiùs adhuc uerba Christi expendenda sunt.

Hoc est corpus meum, inquit, & hic est sanguis meus. Non dixit. Cum hoc pane est corpus meum, aut cum hoc uino est sanguinis meus, aut hoc significat aut figurat, corpus & sanguinem meum, sed hoc est corpus meum, hoc inquam, non hic panis, alioqui si panem intelligi uoluisset, rectiùs dixisset hic, quàm hoc. Hoc igitur demonstratiuum pronomen, demonstrat corpus, & non panem, statim ut uerba consecrationis à sacerdote prolata sunt. Non enim rectè dicitur. Hoc panis, sed hoc corpus. Similiter in consecratione calicis, non dixit. Hoc est calix sanguinis mei, sed hic est calix, alioqui si de uino,

no, quod ſubſtantialiter remaneret, intelligi uoluiſſet, potiùs dixiſſet, hoc ſcilicet uinum, eſt calix ſanguinis mei. Quum enim uinum ſit neutri generis, tamen Chriſtus ait, non hoc, ſed hic eſt ſanguis meus. Et *quum panis ſit generis maſculini, ait tamen, hoc eſt corpus meum, non hic, ut uterque* Articulus *oſtendat, Chriſtum, neque panem propinaſſe, neque uinum, ſed ſuum ipſius corpus & ſanguinem.* Porrò *quomodo potuiſſet apertiùs dicere, nihil illic remanere panis, quam quum dixit.* Hoc *eſt corpus meum.* Non *dixit.* In *hoc eſt corpus meum, aut cum hoc, quod uidetis, eſt corpus meũ. tanquam in pane, aut ſimul cum pane cõſiſteret, ſed hoc eſt (inquit) corpus meum, nimirum maniſeſtè declarans (ut os omnium aduerſariorum obſtrueret) hoc totum quod porrigebat, ipſius corpus eſſe, in quod panis totus fuerat ipſo mutante conuerſus.* Itaque *illud pronomen demonſtratiuum.* Hoc, *quod eſt ſingularis numeri, unum ens in ſubſtantia indicat, ſine explicatione tamen quænam ſit illa ſubſtantia, quod relinquitur prædicato explicandum.* Prædicatum *ergo quod ex nomine corpus conſiſtit, aperit illam ſubſtantiam, quæ in ſubiecto pronomine illo.* Hoc *obſcurè notabatur, eſſe ſubſtantiam corporis* Chriſti. Illud *ergo quod* Chriſtus *in manibus tenebat, erat antea per naturam ſubſtantiam panis, & po-*

ſtea ab eo qui id efficere potuit, mutata eſt in ſubſtantiam corporis Chriſti. Subſtantiam ergo corporis ſui, latentem ſub panis accidentibus, uerè reipſa exhibuit, quod tātundem ualet quaſi dicas realiter. Et quia ſubſtātia panis abeſt, quæ illorum accidentiū panis, ſubiectū erat, dicuntur accidentia manere ſine ſubiecto. Nam dicere illa accidentia accidere corpori Chriſti, quod nec augetur nec minuitur, abſurdum eſt. Per illud ergo pronomen. Hoc neutiquam accidentia ipſa demōſtramus, ſed id ſubſtantiæ, quod ſub eis continetur, quod reuerà Chriſti corpus eſt, cuius & ipſa ſunt ſacramentum. Accidentia enim panis & uini, ſunt ſignum ueri corporis, quod ſub ipſis realiter adeſt, neque ſunt ipſum corpus, ſed ueritas corporis ſub eis abditi, per ipſa accidentia ſignificatur. Chriſtus ergo cùm dixit, hoc eſt corpus meum non panem, neque panis accidentia demonſtrauit, ſed ſubſtantiam ipſam, quæ ſub ſpecie panis intelligebatur. Et dicens: Hic eſt ſanguis meus, poculum accepit, & hoc ipſum porrexit Apoſtolis, & certè non demonſtrauit ipſum, ſed id quod erat in poculo uel calice. Verbum præterea ſubſtantiuum præſentis temporis, quo CHRISTVS uſus eſt dicens. Hoc eſt corpus meum, ueritatem præſentiæ corporis Chriſti oſtendit. Non dixit hoc ſignificat, uel hoc repræ-

ſentat

sentat corpus meum, nec hoc est figura uel signum corporis mei, aut hic panis est corpus meum, sed simpliciter dixit. Hoc est corpus meum. In qua quidem propositione, non prædicatur accidens de subiecto, quod præter subiecti corruptionem, adesse & abesse contingat, sicut quando dicitur, homo est albus, sed est ibi prædicatio substantialis & identica.

Corpus enim Christi, non est accidens, sed substantia. Vnde in illis uerbis. Hoc est corpus meum. Verbum & substantialiter uel substantiuè sumuntur, & nomē corpus, pro ipsa dominici corporis substātia. Si enim nō esset ibi uera corporis Christi substantia, falsa esset hæc prædicatio. Hoc est corpus meum. Sed & hoc obseruandum ac adnotandum, ibi non remanere panē. Si enim esset uel remaneret ibi panis substantia, cū substātia corporis Christi, tunc malè prædicaretur de pane corpus, quia corpus & panis sunt disparata, id est, natura & specie discreta, quēadmodum etiam lapis & homo. Disparata autem nullo modo possunt de se mutuò prædicari. Illud quoq; quod dicitur corpus meum, ad explicandum mysterium, magnam habet emphasim, quò magis corporis dati ueritas intelligatur. Multùm quoq; facit ad charitatem & præsentiam corporis Christi in Eucharistia demonstrādam, & ad ueram & propriam significationem

nominis exprimendam, id quod adijcitur. Quod pro uobis tradetur. Ex quibus uerbis indubitanter credimus, quod idem corpus, in quo tunc præsens coram illis apparuit, cum hæc loquebatur, & quod postea in cruce pependit, & ibi mortem sustinuit, eis dedit comedendum, & eundem sanguinem, qui de uulneribus eius profluxit, dedit eis bibendum. Nam quemadmodum cum dixisset. Hoc est corpus meũ, ut certiùs eis & nobis fieret, quod uel quale corpus illis uerbis significaretur, determinauit cum addidit dicens. Quod pro uobis tradetur. Sic etiam cum dixisset. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, de sanguine determinauit cùm adiecit. Qui pro uobis & multis effundetur. Porrò si Christus corpus suum tradidit in mortẽ, nónne potuit tradere in escam. Et certè multò faciliùs potuit nobis dare carnem suam in escam, quam eam dedit tortoribus laniandam. Iam enim citra laniationem ullam, imò citra quamuis molestiam, comeditur à nobis. Sed nec ex potatione sanguinis quicquam offenditur, quem tamen in cruce, non absque summo cruciatu, pro nobis effudit. Quare si credas Christum pro nobis cruci affixum, quare non pari facilitate, credis eundem seipsum, ob immensam charitatem qua nobis afficitur, in Eucharistia nobis percipiendum donasse?

Hæc

Hæc itaq; uerba. Hoc eſt *corpus meum, & hic eſt, ſanguis meus, omnem reijciunt tropum, niſi uiolenter adhibeamus, ut Sacramentum noſtro ingenio confictum, non uerbi omnipotentia confectum habeamus. Sunt ergo prædicta uerba, citra tropum omnem & figuram intelligenda, de uero & uiuifico Chriſti corpore, quod poſt debitam uerborum illorum prolationem, ſub ſpecie panis, ſecundum ſubſtantiam & reipſa delitescit.* Pronomen *enim hoc demonſtratiuum (ut diximus) idipſum demonſtrat, quod tranſacta prolatione, ſub forma panis continetur, ut hic ſit genuinus eorum uerborum ſenſus, hoc, quod exacta uerborum pronunciatione, ſub ſpecie panis delitescit, eſt corpus meum.* Eſt *ergo uerum corpus Chriſti ſecundum naturam & ſubſtantiam.* Eodem *modo intelligenda ſunt uerba Sacri Calicis conſecratoria.* Hic eſt *Calix ſanguinis mei, quod tantundem ualet ac ſi dicas.* Hic *eſt calix ſanguinem meum ſpecie uini occultatũ, uere continens.* Q*uæ cum ita ſeſe habeant, conſtat errare eos, qui hæc uerba, hoc eſt corpus meum, ita interpretantur, ut eſt pro ſignificat accipiant, & corpus, pro figura corporis poſitum uelint.* Et *ſimiliter eos, qui ita exponunt, hoc eſt corpus meum, uidelicet, hoc, id eſt, hic panis eſt corpus meum.* Et *quanq; ſatis demõſtratum ſit, utramq; expoſitionem ac intelligentiam falſam*

esse ac erroneam, per ea quæ dicta sunt, libet tamen quædã adhuc pro ueritatis defensione subijcere. Et quantum quidem ad priorũ tropũ attinet, nihil absurdius intelligere possumus. Si enim nulli tropi admittẽdi sunt, ubi nulla nos ad hoc adigit scripturæ circumstantia, quanto minùs admittendi sunt, ubi ipsa repugnat? quemadmodum in istis uerbis scripturæ, quæ tractamus apparet. In illis enim palam est, nullã circũstantiam exigere tropum, sed omnia prorsus quadrant, pro simplici uerborum contextu, & maximè, quod agnum antea paschalẽ comedissent, qui fuerat figura corporis passuri. Quid enim iam opus esset alia figura, & non magis ipsa ueritas corporis, quæ per tot figuras antè præsignata fuit, exhiberetur? Nam si quod tunc porrexit Apostolis, fuisset sola figura, quid tùm interfuisset, inter paschalem agnum & panem illum? Nam uterq; significabat Christũ passurũ. Neq; enim figura fuerat Christi paßi, sed passuri. Et licet hoc Sacramentum multùm excellat agnum paschalem, utrunq; tamen figurabat & significabat Christum, qui passurus erat, præterea si figura Christi fuerat agnus ille paschalis, quem Christus cum discipulis suis priùs comederat, & nunc itidem hoc sacramentum, nihil aliud præter eiusdem rei figuram contineat, cur tanto affectu cibum istum magis quam illũ,

discipulis

discipulis suis cõmunicare gestijsset? Nam agnus *ille qui fuerat occisus, lõgè maiorem energiam habuit mortis Christi, quam panis ullus habere potuit.* Adhæc pollicitatio Christi, qua pridem Ioan, 6.
Apostolis recepit se daturum panem, qui foret eius caro, planè repugnat, ut hîc tropum aliquẽ admittamus, et non magis ipsam corporis ueritatem asseramus, quemadmodum ipsa Christi uerba enunciant, quibus dixit. Hoc est corpus meum. *Sed fortè quæris ubi Christus receperit se daturum panem, qui foret eius caro?* Audi Iohannem *Euangelistam, & ipse dicet tibi ubi hoc pollicitus sit. Capite siquidem 6. scribit Christum dixisse.* Panis *quem ego dabo, caro mea est pro mundi uita. Sed nusquam promissionem suam exhibuit, nisi in ultima cœna.* Consequitur *proinde, quod in illa cœna ueram suam carnẽ Apostolis exhibuit, & non symbolicũ panẽ.* Non *enim satis est dignus Christo Deo & homine sensus, ut qui carnẽ se suã daturum pollicitus esset, solã carnis figurã dedisse intelligatur. Christus est ueritas, quæ mẽtiri nequit, nõ ergo fefellit conuiuas suos, sed id exhibuit q, promisit, & id præstitit, q, uerba eius significant.* Hoc *est corpus meum.* Promittere *carnem et dare figuram, non est promissa præstare.* Veram *ergo carnẽ dedit,* Credendum *est proinde escã et potũ qui in mysterijs sumitur, substantiam esse corporis &*

ris & sanguinis Christi. Nam magister uerus et diuinus, quia Deus est, potest, & quia uerus est, facit quod uerbis loquitur. Promißioni itaque
Matt. 26. suæ tunc factæ, plenißime satisfecit, cum in ultima cæna accepit panem, benedixit ac fregit & dedit discipulis suis dicens. Accipite & mãducate ex hoc omnes. Hoc est corpus meũ quod pro uobis tradetur. Ille igitur panis, quem tunc discipulis suis dedit, caro eius erat pro mundi uita. Quare ergo inimici ueritatis audent impudenti ore affirmare, solum figuram & signum carnis eius, in pane materiali sacrato, nobis relictum? Christus affirmat panem se daturum, qui caro eius futura esset pro mundi uita, quem etiam discipulis suis in ultima cæna dedit, isti autem dicunt panem (quem daturum se promisit Dominus, & postmodùm dedit cùm esset recessurus ab eis, non esse eius carnem uel corpus, sed duntaxat figuram corporis eius & nudam repræsentatione. Sed credo omnes pios fideles, Christo potiùs, quam aduersarijs, credituros. Sed & si rectè excusserimus alia quædã Christi uerba, in eodem cap. prolata, mirum in modum adiuuabunt sententiam nostram & Catholicam ueritatem. Percurramus ergo uerba Christi.
Ioan. 6. Cum Christus miraculum de multiplicatione quinq; panum in deserto peregisset, turba quæ adfuerat & uiderat, & iam Capharnaum apud

Iesum

Iesum uenerat, miraculum extenuabat, quasi maius esset signum, quod Deus in deserto sub Moyse patribus eorum exhibuerat, quàm saturatio quinq; milium uirorum, de quinq; panibus. Vnde dicebant. Quod tu facis signum, ut uideamus et credamus tibi? Quid operaris? patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est. Panem de cœlo dedit eis manducare. Quasi dicerent. Tu quidem ex quinq; panibus, satiasti quinq; milia hominum, sed nondum dedisti nobis manna de cœlo, quemadmodum olim in solitudine patribus factum est. Idcirco *Dñs distinguere uolens, panē sacramentale, qui in* Eucharistiæ Sacramento *datur, à manna Israelitico tanquam panem uerum à figurali, & tā quam ueritatem à sua figura, respondit.* Amen *amen dico uobis, non* Moyses *dedit uobis panem de cœlo, sed pater meus dat uobis panem de cœlo uerum, panis enim uerus est, qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo. Quibus uerbis distinxit* Christus *inter manna, & hunc uerum panem. Nam iste uerus panis à* Deo Patre, *singulari quodam dono, datus est toti mundo, quādo* Deus *filium suum unigenitum misit in mūdum. Manna autem uni populo particulari sub* Moy*se datum fuit. Iste panis uerus, de cœlo dat⁹ est, imò de summo cœlorum habitaculo descēdit per incarnationis mysterium,* Manna *uerò solum de*

cœlo

cœlo aerio. Deniq; panis iste uerus, uitam spiri tus præstat mundo, & habet uim uiuificatricem animarum, quod manna Hebreorum neutiquam præstare potuit. Proinde non absurdè intelligimus per panem istum uerũ (qui per manna Israelitarũ repreſentatus fuit) ſacratiſsimũ Christi corp⁹ unitũ diuinitati, et in digniſsimo Euchariſtiæ ſacramẽto nobis relictum. Atqui panis ille materialis, quẽ dicũt tantũ eſſe figurã corporis Christi, & pro ſigno nobis dimiſſum in Euchariſtia, quõ uer⁹ erit ille panis, de cœlo deſcẽdens et mundũ uiuificans? Profectò ſi ſymbolicus aut figuralis duntaxat eſt panis: ipſo manna Iudaico longè inferior erit, quod abſurdum eſt aſſerere. Nam ipſe Dominus inſinuare uolens, quãta ſublimitate & perfectione, panis iſte uerus, manna Iudaicũ excellat, ſtatim adiunxit dicens. Ego ſum panis uitæ. Qui uenit ad me nõ eſuriet, & qui credit in me non ſitiet inæternum. Ecce hîc appellat ſe Chriſtus panẽ uitæ. Quod etiã poſt pauca repetit dicens. Ego ſum panis uitæ. Patres ueſtri manducauerunt mãna in deſerto, et mortui ſunt. Hic eſt panis de cœlo deſceudẽs, ut ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis uiuus, qui de cœlo deſcendi. Si qs manducauerit ex hoc pane, uiuit inæternum. Et panis quẽ ego dabo, caro mea eſt pro mũdi uita. Hîc ſemetipſum panem uitæ, & panem uiuum

nuncu-

nuncupauit qui de cœlo descendit, & aßignauit aliam differentiam, inter manna datũ patribus, & panẽ illũ uerũ, quẽ daturus erat mundo. Nã ille panis uiuus, dignè manducantem se, uita donat æterna, & à morte perpetua præseruat, q manna Iudæorum exhibere non potuit. Nã qui illud manducauerunt in deserto, mortui sunt, nõ tantùm morte corporali, quæ etiam dignè sumẽtibus Sanctam Eucharistiam est cõmunis, sed & morte spũali & perpetua, quia mortui sunt in peccatis suis. Sed ab hac morte æterná suos manducatores præseruat iste panis uiu⁹, q in sacrosancto Eucharistiæ mysterio, nobis diuina bonitate cõmunicatur, uerũ uidelicet & uiuificum corpus Christi, essentialiter ac substantialiter ibidẽ subsistẽs. Sed quõ panis ille materialis, quẽ pro signo corporis sui Christũ nobis reliquisse dicũt, poterit esse panis uitæ, & panis uiuus de cœlo descendens, & uitã æternã manducantibus cõferens, si nõ esset meliore cõditione q̃ manna uetustũ, & sub moyse patribus indultũ? Est itaq; panis ille uitæ, & panis uiuus de cœlo descẽdẽs, qui uitã æternã manducantibus confert, corpus Christi uerũ, q in Eucharistiæ sacramento nobis reipsa exhibetur ad manducandũ. Sed uideamus quæ sequuntur. Amen amen dico uobis) inquit) nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ, nõ habebitis uitã in uobis.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. & ego resusci tabo eum in nouißimo die. Audis *qualem intere minationem prioribus suis sententijs adiecerit? Nisi(inquit)manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis.* Et *ubi quæso alibi manducatur caro filij hominis, & bibitur illius sanguis, quã in augustißimo* Eucharistiæ Sacramẽto? *in quo uerum Christi corpus, & sanguis eius uerus secundum substantiam sumitur.* Valeant *igitur qui sacrilego ore non uerentur docere, nos in* Eucharistia *carnem filij hominis, reipsa non manducare, & uerum sanguinem eius non bibere, sed duntaxat panem frumentarium atque cibarium, & uinum etiam naturale illic sumere, in signum ac repræsentationem corporis & sanguinis* Domini *nostri* Iesu *Christi.* Si *enim nihil aliud manducamus & bibimus, quam panem triceum & uinum purum uitis, ut signum & figuram corporis & sanguinis* Domini, *quomodo sic manducantes habebimus potiùs uitã æternam, quam ij qui manducauerunt manna in deserto, quod etiam figura fuit et* Symbolum *corporis dominici?* Et *tamen inter manducãtes hũc panem salutarem, & ipsum manna, magnum discrimen aßignatum est.* Sed *expendamus adhuc diligentiùs eadem* Christi *uerba.* Nisi *(inquit) manduca=*

manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Nunquid putatis quod hoc de aliquo hominis filio, poßit ueraciter intelligi, præter illum unicum filium hominis, Christum uirginis filiũ? Nunquid putatis quod mactandus sit aliquis homo, & coquendus aut assandus, & sic manducandus, ut uita æterna habeatur? Non hoc certè præcepit Deus in lege sua, qui dixit. Non occides. Etiã si sine pctõ occidi poßit homo & manducari, non habet tamen tantam uim humana caro, ut suo gustu poßit alicui præstare uitã æternam. Ex hoc ergo scitote, quod Dominus singulariter de suo corpore, q̃ diuinitati erat unitũ, loquebatur cũ dicebat. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Filium hominis se solebat appellare saluator, nec usquã in Euangelijs, hac appellatione significatus eſt ali⁹ aliquis præter ipsum. Hinc scimus, quoniam & hoc loco ubi dixit de carne filij hominis. se singulariter significauit. Vt autem certiùs fieret, de quo filio hominis hîc loqueretur, & qualem uitam promitteret his, qui manducarent carnẽ ipsius & sanguinem biberẽt, poſtea ait. *Qui manducat meã carnem, et bibit meũ sanguinem, habet uitã æternã.* Exod. 20

Propterea non uobis durũ uideatur credere specialiter de hac carne dictũ esse illud, quod ex Euãgelio inductũ eſt. *Niſi manducaueritis car-*

nem filij hominis, & biberitis eius sanguinem,
.Ioan. 6. non habebitis uitam in uobis. Et illud. Caro mea
uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus, aliaq; his similia. Quidam discipulorum Christi, qui talia ipsum dicentē audierant, murmurabāt dicētes. Quomō potest hic nobis carnē suā dare ad māducandū? Durus est hic sermo. Quis potest eū audire? Et conuersi retro discesserūt ab eo, et ultrà non ambulauerunt cum ipso. Aestimabant enim q̄ diceret eis, se māducandū ab eis in ea specie, qua apparebat inter eos, ita ut per frusta concideretur, et dētibus eorū dilaniaretur, et ut sanguis eius in specie sanguinis hauriretur ab eis. Ipse uerò nō hūc modū māducandi eis significabat, sed illū manducationis modum, quo uerè quidē caro Christi māducatur, ita tū ut manducanti uideatur, nō se manducare carnē sed panē, & ut bibenti sanguinē eius uideatur, non se sanguinē potare, sed uinū. Hoc uerè idcirco ita fieri ordinauit Deus, ut tanto maius sit meritū, qui cū tali fide utrúmq; sumit, ut credat potentiam Dei tantā esse, ut hoc facere poßit, et bonitatem eius tantā esse, ut hoc dignetur facere pro hominis dilectiōe. Itē et propter hoc uoluit Dñs, carnē suā māducari, & sanguinē suū potari, in alia specie q̄ est, ne nimiū expauesceret quisquā, mā ducare carnē illam, et sanguinē illū potare, si uideret utrūq; in propria specie, & ut tāto minorem

rem occasionẽ haberẽt Iudæi siue Pagani, irridẽ di Christianos ac dicendi, q manducarent Dñm suũ, et biberent sanguinẽ hominis occisi. Cæterũ uerba hæc Christi. Caro mea uere est cib⁹, et sanguis meus uere est potus. Qui manducat meã carnem, & bibit meũ sanguinẽ, in me manet & ego in illo. Et qui mãducat me, et ipse uiuet propter me, &c. si fuerint excussa, magnũ nobis defensionis põdus aduersus figuratores istos adferunt. Caro (inquit) mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Animaduerte quæso particulã illã. Vere bis esse expressam. Habet enim magnã emphasim, et haudquaquã otiose adiecta est, sed ad designandam sacratißimam Domini carnem, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, nequaq̃ contineri, ut in signo tantũ & figura quadã, sed ueraciter et realiter, et in eodẽ mysterio sub specie panis, ipsam uere et secundũ substantiã sumi. Et eadem ratione, sanguinẽ eius uere potũ, quoniam sub uini specie, non figuraliter & significatiue tantum continetur, sed essentialiter & substantialiter, ut ea sola particula uere, totam figuratorũ & symbolizantiũ elidat assertionẽ.

Sed tamen nihilominus dicit aduersarius, nimirũ & iste panis, quẽ in altari consecram⁹ figura est panis uiui, qui de cœlo descẽdit, nõ ipse panis uiu⁹. Ad quod respondet Rupertus dicẽs. Cuius quæso, autoritate canonica fret⁹ Catholicis hoc *(Rupertus libr. 6. in Iohan.)*

infers auribus? Nunquid ubi dixit ipse panis uiuus, de pane quem tenebat in manibus, hoc est corpus meum, dictum est aliquid tale, quale dixit Paulus, ubi cùm dixisset petra autem erat Christus, &c. Hæc autem (inquit) omnia in figura contingebant illis? Nempe si ipse Christus uel Euangelista uel Apostolus author esset dictionis huius, non tu esses redarguendus. Sed quid dicemus magnis & magnificis paruulorũ magistris, quibus interdum suauiùs redolet, Platonis Academia, quã hæc uiuifica Domini mensa, quid (inquam) dicimus eis, ubi totis uiribus intenti, ad expugnãdam ueritatẽ dominici corporis & sanguinis, magnorum sentẽtias doctorum coram attulerint, dicentium, hunc panem significauit manna, hunc panẽ significat altare Dei, sacramẽta illa fuerũt, sacramenta hæc sunt, in signis diuersa sunt, in re quæ significatur paria sunt, itemq; aliud illi manducauerunt, aliud nos sub speciæ uisibili, quod tamen idem significaret uirtuti spirituali? Hæc enim et his similia, de nõ contẽnendis sumere uidentur authoribus, secundũ quos et Apostolũ audi inquiunt: patres

1. Corin. *nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de*

spirituali

ſpirituali conſequente eos petra,petra aũt erat Chriſtus. Quibus uerbis opinantur,ſuisq; dictis & ſcriptis defendunt,panem uerum & potum, quem in ſancto altari ſumimus,nihilominus patres illos manducaſſe tunc temporis & bibiſſe, & nihilo magis hoc eſſe uerum corpus & ſanguinem Christi,quam fuit illud mãna,quod ille populus comedit,et illa aqua,quã de petra productam,non ſolus populus ſed iumenta biberũt: huic errori ſuo pro maximo argumento hanc Apoſtoli authoritatem adhibent.Itaq; cũ ueritatis authoritate dicentis. Amen amen dico uobis.Nõ Moyſes dedit uobis panẽ de cælo,ſed Pater meus dat uobis panẽ de cœlo uerũ,aduerſus hanc deteſtabilẽ præſumptionẽ,quãlibet paucis reſpondendũ eſt.Primoq; dicendũ, Apoſtolum non eo ſenſu dixiſſe,quo iſti accipiunt,et omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potũ ſpiritualem biberunt, neq; dictiũculam relatiuam eandẽ ſcilicet eſcam,uel eundem potũ,ita poſuiſſe,ut referri uelit ad illã eſcã,illumq; potũ,de quo ipſe Dñs.Hoc eſt(inquit)corpus meũ,hic eſt ſanguis meus.Sed eandem(inquit)eſcam manducauerunt, & eundem potum biberunt Dathan et Abyron,quam Moyſes,& Aaron,eandem utique Chore, quam Caleph aut Ioſue.Hoc enim intendit Apoſtolus ea lectione,ut ſollicitum reddat omnem hominem, .Ioan. 6.

ne se arbitretur iam cõpræhendisse, quia cõsecu tus est Sacramenta fidei Christianæ. Nã hæc omnia (inquit) in figura facta sunt nostri, uidelicet ut antiquis sciamus experimentis, ꝙ licet oẽs baptizati simus, in eodem nomine Patris et filij et Spũs sancti, & oẽs mãducemus idẽ corpus et sanguinẽ Christi, nõ tamen arbitrandũ nobis sit, ꝙ æque omnib⁹ nobis beneplacitũ sit Deo, quomodocúnq; uiuamus, qualiacunq; post baptismũ operemur. Quia quẽadmodũ cũ omnes illi eisdem signis, eisdẽ (inquã) mali quibus et boni fuerint glorificati, in pluribus tamẽ eorũ, nõ beneplacitũ est Deo, ut introduceret eos in terram repromissionis, sic nimirũ non cõplacebit ei, ut introducat nos in regnũ Dei, si fuerimus concupiscentes malorũ, quẽadmodum & illi cõcupierunt, si fornicati fuerimus, sicut quidẽ ex ipsis fornicati sunt, si tentauerim⁹ Christũ, sicut quidã eorum tentauerunt, si murmurauerimus, sicut quidã ex ipsis murmurauerunt. Igitur text⁹ Apostolicæ literæ nemini succurrit, uolenti accipere sic eandẽ escã, uel eundẽ potum esse dictum, ut referat ad identitatẽ cibi et potus uiuifici, quẽ sumimus in commemorationem Dñi nostri Iesu Christi. Sed neq; illud, ꝙ escam & potum spiritualẽ, idẽ Apostolus dicit. Nã si aliter uelis accipere escã & potum spiritualẽ, q̃ in figurã spiritualis contingentem, et idcirco non naturali rerũ ordine,

sed spirituali uirtute prodeuntē, ipse Apostolus in eisdē literis te constringit, quantumuis recal citrantē. Dicit enim paulopòst. *Hæc aūt omnia in figuris cōtingebant. Si omnia, utiq; et illa esca & ille potus in figura contingebant, proinde nō magis illud manna, panis iste uerus erat, nec ma gis ille potus idem erat, quod iste uitalis potus, quē uerè Christi sanguinē credimus & confitea mur, q̄ illa petra Christ⁹ erat, petra utiq; inani mata & insensibilis, quā* Moyses *uirga pcußit.* Nā *uniuersa (ut iā dictū est) cōtingebant in figu ra quæ profectò nusquā ualet idē q̄ ipsa res quā figurat, sicut umbra nō est idē q̄ ipsa rei uel cor poris substantia.* Perspicuum *est igitur, eandem escam & eundē potum, nequaq̄* Apostolum, *ad hanc escam et ad hunc potum, quē de Christi mē sa sumimus, referre uoluisse, habitatoremq; eius spiritum ueritatis & gratiæ, longè alio sensu uerba hæc protulisse, uidelicet & intelligas, q̄ eandē escam manducauerint, & eundem potum biberint* Dathan & Abyron, *quem* Moyses & Aaron, *eundémq;* Chore, *quem Caleph aut* Iosue. Alioquin *si dicas, uel* Apostolum *dixisse intelligas, eandem escam illos, in illis umbris manducasse, quam & nos manducamus hoc tempore reuelatæ gratiæ, et dicas cū suprà dicta quorundam authoritate, manna illud, & hunc panem mensæ Christi, in signis diuersa, in re quæ*

 significa-

*significatur paria esse, & cætera quæ supradi-
cta sunt, ac proinde fateris, hunc panem non ma
gis, quã illud mãna corpus esse Christi, nec plus
spiritualis habere uirtutis, cõsequitur plane, ut
dicas sacrificia agnorũ & arietum, nouo sacrifi
cio panis & uini, fuisse sanctiora, ueteresq; pa-
nis præpositiõis, digniores hoc pane, qui poni-
tur et sacratur in mensa Christi. Prædicta nánq;
sacrificia, longè sanctiora fuerunt, q̃ illud man-
na, uel aqua illa, quæ de percussa fluxit petra,*
Leuit. 22 *qppe cũ de sacrificijs, uel præpositionis panib⁹,*
3 Reg. 12. *non nisi mũdus, & sacerdotibus, aut Leuitici ge*
Exod 16. *neris hominib⁹ edere liceret, illud aũt mãna in-
differenter cũcti manducare, et illã aquã, utpote
nulla diuini nominis inuocatione sanctificatã li-
cet spũalem, id est, nõ naturali ordine, sed spũali
uirtute productã, uel spũalis potus significati-
uam, iumentis æquè ut hominibus bibere, et ca-*
Num. 20. *nibus quoq; lãbere impunè licuerit. Scriptũ est
enim. Egressæ sunt aquæ largißimæ, ita ut popu
lus biberet ac iumenta. Sed per Christi gratiã nõ
eousq; altißimè sapiant isti sapientes, qui tantis
obiectiũculis mensam Dñi diuerberant, ut præ-
dicent iumẽtis, nõ dico et brutis animalib⁹, quæ
aquã illã & ipsa biberunt, sed iumentis quæ cõ-
putruerunt in stercore suo, et canibus qui reuer
tuntur ad uomitũ suũ, suibus quoq; latis in uolu
tabro luti, hunc panẽ uel potũ dñicũ, indiscretè*

traden-

tradendum esse prædicent, quomodo (ut prædictum est) illo pane, cui comparatum esse uolunt hunc panem dominicum, & illa aqua, populus ac iumenta communiter uti potuerunt, neq; hoc modo irritum faciant eiusdem quoque Apostoli iudicium dicentis. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. In collatione sententiarũ, de corpore & sanguine Domini, Beati Ambrosii sententiam, dignè palmam obtinere iudicatum est. Igitur etiam si Angelus de cœlo nobis euangelizet, suprà dicta Apostoli uerba, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, & cæt. sic exponendo, quòd hæc ipsa, quæ tunc in illa umbra, uel in illa nocte facta sunt, eiusdem fuerint uirtutis, cuius ista sunt sacramenta, quæ nunc in die salutis, fide Christi rutilante, fiunt, uel eo cibo potuq;, siue baptismo, quo baptizati sunt in Moyse, nube & mari, magis illos cõsummatos fuisse, quàm posteriores, inter quos Samuel & Dauid, qui p mare non transierunt, neque manna manducauerunt, si, inquam, etiam Angelus de cœlo hæc euangelizet, non illum tãquam lucis Angelum, non in hac sententia tanquam Christi audiemus Apostolum. Quod & si quis sanctorum patrũ, tale quid alicubi dixit, quod à præsumptoribus in aduersum præripi potuerit (sicut mos eorum

1.Cor.11.

est,qui cũ venerãdo aliquid apphẽdere qui uerint,quod vibrare queãt ex aduerso,veri tatis aduersarij magis exultant, q̃ Sicarius cũ ciuem aut collegã conciderit) *sunt eiusdem alia pleraq; scripta,quæ fidelis* Lector *diligenter conferens, periclitanti* Fidei *citius subuenire ualeat.* Verba *gratia, idem quem tenent aduersæ quasi patronum sententiæ sanctum* Augustinum, *ut cùm dicat ille, sacramentum & rẽ sacramenti, unitatem corporis* Christi*(quod est* Ecclesia*) rem dicens esse sacramenti, panem autem dominicum, huius rei sacramentum, non simus ita incauti adulatores* Beati Augustini, *ut statim acquiescamus eis, qui hanc diuisionem, in patrocinium sui sensus arripiunt, dicentes,* Sacramentum,*id esse* Sacræ *rei monimentum, & hoc modo nullum faciamus locum,* Dominicæ *definitioni, quam ita est eloquutus.* Hoc *est corpus meum, quod pro uobis tradetur, hic est sanguis meus, qui pro uobis effundetur.* Etenim Ecclesia *quibus corpus* Christi *est, sed non illud corpus quod pro nobis traditum est.* Siquidem Ecclesia *, non pro seipsa tradita est.* Quod *si panis mensæ* Domini*, non nisi huius sacræ rei, scilicet unitatis* Ecclesiæ *monimentum est, multò magis nec ipse, corpus illud est, quod pro nobis traditum est.*Itaque *quantascunque uolunt similitudines, hinc accipiant*

dicentes. Quia sicut multis ex granis, conficitur unus panis mensæ Domini, *& sicut multis ex acinis, confluxit uinum calicis* CHRISTI, *sic ex multis hominibus constitit, & tamen una est* Ecclesia Dei, *uel quæcunque talia, & aptè inueniant, & utiliter proferant, dummodo fundamentum permaneat quod positum est, præter quod, aliud nemo ponere potest, ab ipso dicente de pane & de calice uini.* Hoc est *corpus meum quod pro uobis tradetur, hic est calix sanguis mei, qui pro uobis effuudetur.* Porro *hi qui Augustinũ existimant patronum sententiæ aduersariorum, si alia eius scripta perlegant, periclitanti fidei citiùs subuenire ualebunt.* Vt *cùm dicit in David, quia commutans uultum suum, ferebatur in manibus suis, nihil aliud sine dubio, quàm seipsum tulisse ait uerum* David, *id est,* Christum *in manibus suis cùm tenens panem & uinum diceret.* Hoc *est corpus meum, hic est sanguis meus, & qui dixit apud* Ioannem. Et *panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi uita.* Nónne *hic idem* Euangelista Ioannes *dicit* Apocalypsi. Si *quis apposuerit ad hæc, apponat super illum* Deus, *plagas scriptas in libro isto, & si quis diminuerit de uerbis* Prophetiæ *libri huius, auferat* Deus *partem eius, de ligno uitæ, & de ciuitate sancta, & de his quæ* In Psal. 33. 1. Reg 21. Matt 24. Ioan. 6. Apoc. 22.

scri-

ſcripta ſunt in libro iſto? Nunquid uerò minùs *timenda eſt hîc illa maledictio, ut non detrahamus uel apponamus quicquam uerbis dicentis.* Hoc *eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur, hic eſt ſanguis meus* Nouum *teſtamentum, qui pro multis effundetur in remißionem peccatorum?* Cùm *enim illo dicente, hoc eſt corpus meum, nos ſubauditionem appoſuerimus, dicentes, figuratiuum uel per ſimilitudinem dictum, cùm (inquam) illo dicente, hoc eſt corpus meum, nos dixerimus, hoc ſignificat corpus, nônne multum eſt quod apponimus, uel praua demutatione detrahimus, ſenſum generamus, quem tãtus autor,* D*eus & homo, nuſquã eſt loquutus, nec aſcendit*
Ioan.15. *unquam in cor eius.* Nempe *cum obijcit quis, ſuisq́; ſcriptitat in ſchedulis, quòd itidem dixerit eadem ueritas, ego ſum uitis, tã audacter quàm imperitè in argumentũ mẽdoſum illud attrahit, cũ ſtatim ſubſequentia uerba dicentis, ſicut palmes non poteſt fructum facere à ſemetipſo, niſi manſerit in uite, ſic nec uos niſi in me manſeritis, manifeſtè per ſimilitudinem dictum compellant intelligi, præſertim cum non ſignanter dixerit, ego ſum hæc uitis, ſicut ſignanter dixit, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, appoſita protinus deſcriptione, ueræ proprietatis, de corpore inquiens quod pro uobis tradetur, de ſanguine autem, qui pro multis effundetur.*
Igi-

Igitur ne ueniant super nos plagæ nouißimæ, neque apponimus, neq; diminuimus quicquam, diuinæ definitioni uel descriptioni, quam incarnatum uerbũ ore proprio deprompsit, imò quia perfecta charitas foras mittit timorem, non tam plagarũ timore, quàm ueritatis amore confitemur, quia panis iste corporeus, postq̃ signauerit eũ pater, & uinum hoc expressum acinis præsentibus, mox ut eodẽ signo signatum est, per manus Ecclesiæ dicẽtis. Vt nobis corpus & sanguis fiat dilectißimi filij tui Dñi nostri Iesu Christi, &c. usq; in mei memoriã facietis, corpus & sanguis eius, q huius traditionis autor est, & hoc sacrificium ipse Christus est, cuius paßione, ut sacrificiũ fieret, à Deo Patre in ueritate signatum est. Hactenus post Rupertũ, cuius uerba, nõ eo ordine quo ipse, sed secundũ quod præsenti materiæ congruere uidebãtur transscripsimus, & in hũc ordinem redegimus, ut manifestum fieret, quàm ruinoso innitantur figuratores & Symbolizantes isti fundamento, quemadmodum etiam postea liquescet, cùm testimonia Damasceni & Theophylacti in medium produxerimus, ut meritò agnoscere deberet Velsius errorem suum, qui panem Eucharistiæ (quem Ecclesia catholica post diuina uerba consecratoria à Sacerdote super panẽ prolata, credit & ueraciter cõfitetur, cõuersum esse in uerũ & uiuificum corpus Christi)

Christi)non ueritus panē appellare Symbolicū.

Cæterùm quoniam superiùs diximus. Istum panem de cœlo datum esse, imò de summo cœlorum habitaculo descendisse, per incarnationis mysterium, manna uerò solùm de cœlo aerio, ne fortè trahantur in calumniam, tanquam minùs benè prolata, dūtaxat duorū imprœsentiarū adducā sententias qbus exponātur, quomodo intelligi debeant. Itaq; S. Ambros. *lib.6.de sacram.ca. 1.ita scribit. Sicut uerus est* Dei *filius*, Dominus *noster* Iesus *Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris, ita uera caro(sicut ipse dixit) quam accipim⁹, & uerus est potus. Sed fortè dicas, quod dixerūt tunc tēporis etiā discipuli* Christi *audiētes dicētē.* Nisi *quis manducauerit carnē meā, & biberit sanguinē meū, nō manebit in me, nec habebit uitā æternā.* Forte *dicas. Quomodo uera? Qui similitudinē uideo, nō uideo sanguinis ueritatē.* Primò oim dixi tibi de sermone Christi, q operatur, vt posſit mutare & cōuerte regenera instituta naturę. *Deinde ubi nō tulerūt sermonē Christi discipuli eius, sed audiētes q carnē suā daret mādu care, et sanguinē suū daret bibendū, recedebant. Solus tn̄* Petrus *dixit.* Verba *uitæ æternæ habes, & ego à te quo recedam? Ne igitur plures hoc dicerēt, ueluti quidā esset horror cruoris, sed maneret gratia redēptiōis, ideo*

Amb.

ideò in similitudinem quidem accipis Sacramentum, sed uerè naturæ gratiam uirtutemq; consequeris. Ego sum (inquit) panis uiuus qui de cœlo descendi. Sed caro nō descēdit de cœlo, hoc est carnē in terris aßūpsit ex uirgine. Quomodo ergo descēdit panis de cœlo, & panis uiuus? Quia idē dn̄s noster Iesus Christ⁹ consors est & diuinitatis & corporis. Et tu q accipis panē, diuinæ ei⁹ substātiæ, in illo paticiparis elemēto. Ecce, his audis, quō iste panis uerus dat⁹ sit de summo cœlorū habitaculo, q̄ Christ⁹, q se panē uiuū appellat, descēdit de cœlo, nō q̄ caro ei⁹ descēderit de cœlo, quā ex Maria uirgine opatione Spiritus sancti aßūpsit, sed quia ipse descēdēs de cœlo in uterū uirginis, ex ea carnē suscepit, q̄a idē Dn̄s noster Iesus Christus, cōsors est diuinitatis & corporis. Vnde etiā S. Augustinus. Corporeū illud manna (inquit) non est tanti res miraculi, quia uenit quod perfectum est. Perfectus autem panis de cœlo corpus est ex uirgine natum. Aug.

Porrò Dominus noster Iesus Christus, discipulos suos docens, quid in oratione petere deberēt à Deo, inter cæteras orationis partes, istā posuit dicens. Panē nostrū supsubstantialē da nobis hodie. Hunc panem supersubstātialē Tertul. Cyprianus, Ambros. lib. de Sacra. c. 4. Hierony. in Matthæū. Aug. li. 2. de serm. Do. in mōte, Glòssa ordinaria, Lyran⁹, ac alij nō aspnādi doctores, inter- Matt. 6.

interpretati sunt de pane sacratißimo Euchari-stiæ, uerò scilicet Christi corpore, q est panis ui tæ. Placet autem ex pluribus unius saltem inter-pretatiõis uerba hîc adnotare. Is erit S. Cypria nus, qui post Tertullianum magistrum suũ (dice re enim solebat, da magistrum Tertullianum si-gnificans) in sermone 6. de orat. Domi. ita scri-bit. Panis uitæ Christus est, & panis hic omniũ nõ est, sed noster est, & quomodo dicimus Pater noster, quia intelligentiũ & credendũ pater est, sic & patrem nostrum uocamus, quia Christus noster, q corpus eius contingimus, panis est: Hũc autem panem, dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiã quotidie ad cibũ salutis accipim⁹, intercedẽte aliquo gra uiore delicto, dum abstenti & non communican tes, à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpo-re separamur, ipso prædicente & monente. Ego

Ioan. 6. *sum panis uitæ, qui de cœlo descẽdi. Si qs ederit de hoc pane, uiuet inæternũ. Panẽ autẽ quẽ ego dedero, caro mea est, pro seculi uita. Quando er go dicit inæternum uiuere, si quis ederit de eius pane, ut manifestum est eos uiuere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communi-cationis accipiunt, ita contrà timendum est & orandum, nec dum quis abstentus, separatur à*

Ioan. 6. *Christi corpore, procul remaneat à salute, com minante ipso & dicente. Nisi ederitis carnem filij*

filij hominis, & biberitis sanguinem eius, nõ habebitis uitam in uobis. Et ideo *panem nostrum, id est, Christum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus & uiuimus, à sanctificatione & corpore eius non recedamus*. Hactenus ille. Vbi audis Christum panem appellari, non utiq; insensibilem illum quem conficit pistor, sed panem uiuum superstantialem, quem dari quotidianum docemur ab ipso Christo, qui corpus suum & sanguinem, sub specie creaturarum panis & uini exhibuit.

Rursus Dominus apud Matthæum cap. 18. sic inquit. Vbi sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Rupertus libro. 7. in Ioannem. Nesciant hoc (inquit) qui non credunt eundum Dominum nostrum, tunc maximè in medio nostrûm adesse, & cum ipse dixerit. Vbicúnque fuerint duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, tùm uerò multò magis in medio nostrûm adesse, & altari suo incumbere, ubi non quocúnque, sed ad faciendam hanc propriam & maximam commemorationem eius, tota fide suis instrumentis armata conuenimus. Hæc ille. Porro licet non poßim inficiari, interdum Christum congregatis in nomine suo, adesse solùm secundùm spiritum, & esse in medio eorum duntaxat per efficatiam auxilij & directionis,

ut cùm illic non adest Sacramentali modo in Eucharistia, nihilominus tamen nunquam deest Ecclesiæ, præsentia ipsius corporalis, ubicúnque aut consecratur sancta Eucharistia, aut asseruatur recondita.

Matth.28. Deniq; *apud Matthæū ca.28. dixit Christus discipulis suis. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Quæ uerba à quibusdā doctoribus accipiuntur, nō solū de occulta Christi præsentia p diuinitatis uirtutem, qua in fide gratia & moribus efficaciter dirigit Christianos, uerumetiā de uera sui corporis præsentia in sacro SāctoEucharistiæ sacramento, quā usq; ad consummationē seculi exhibiturus est Ecclesiæ suæ. Nā quemadmodū recēset clemens quintus li.3. constitutionū suarum ca. Si Dñm, Vrbanus quart⁹ scribit in hæc uerba. Aliquorum memoriā agimus, spiritu menteq; cōplectimur, sed nō propter hoc, realē eorum præsentiā obtinemus. In hac uero Sacrmētali Christi cōmemoratione, Iesus Christus sub alia quidem forma, in propria uerò substātia est nobiscū. Ascensur⁹ enim in cœlū dixit Apostolis, et eorū sequacibus. Ecce ego uobiscū sum omnibus diebus usq; ad consummationē seculi. Benigna ipsos cōsolatione cōfortās, q, remaneret & esset cum eis, etiā psentia corporali. Hæc ille. Vt ergo promißio Christi cōpleatur, necessum erit adstruere præsentiam*

Titulo de Reliqis & veneratione sanctorum.

sentiã Christi in Eucharistia, usq; ad cõsummatio nẽ seculi. Porro *promißio illa Christi nõ rectè potest solùm accipi de præsentia Christi secundum uirtutẽ diuinitatis, atq; efficatiã gratiæ & uirtutis, nã & eo modo, etiã præsens fuit* Dei *filius antiqs patrib⁹ in ueteri testamẽto, & ambulauit in medio eorũ. Ambulabo (inqt) inter uos, et ero* Deus *uester, uósq; eritis mihi populus meus.* Videtur *proinde in noua lege (quæ dignitate sua lõgè excellit ueterẽ) necessariã esse præsentiam Christi cum* Ecclesia *sua, quandã excellentiorẽ & pfectiorem, quã habuerat ante aduentũ suum in hũc mundũ cũ synagoga* Iudæorũ. Et *hæc est præsentia eius corporalis in* Eucharistia, *quã nobis promisit adfuturã usq; ad cõsummationẽ seculi.* Et *hæc præsentia Christi, secundũ corporis sui substantiã, est lõgè sublimior cõpletior et pfectior, q̃ ea præsentia, qua adest nobis sola uirtutis efficatia & uigore.* Rex *quidẽ omnibus regni sui potẽtatibus & urbibus præsens est, autoritate & maiestate sua, habens in omnibus locis dominatus &* Principatus *potestatem, longè tamen ueriùs & integriùs est præsens ea regni sui urbe, in qua corporis sui præsentiam, quoniam ibi duplici modo adest, & potestate & corpore, in alijs autem regni sui locis, à quibus abest corpore, uno adest duntaxat modò, nimirum potentatus authoritate.*

Sed & Innocẽtius 3.lib.4.mysteriorũ missæ c.56.etiã exponit hæc uerba Christi, & de præsentia ei⁹ in Eucharistia dicẽs. Illud sanè debet intelligi quod dñs.ait. Pauperes semp habebitis uobiscũ, me aũt nõ semp habebitis, ne uideatur esse contrariũ illi, quod alibi dicit. Ecce ego uobiscũ sum oĩbus diebus ad consummationẽ seculi. Christũ enim semp habemus nobiscũ, sub diuini specie sacramẽti, & nõ semp habemus nobiscũ, in propriæ forma psonæ. Et ca.44. Ascẽsurus Christ⁹ ad panẽ, qa promisit Apostolis eorũq; sequacib⁹ Vobiscũ ero cũctis diebus usq; ad cõsummationẽ seculi, uoluit remanere cũ illis, nõ solũ p inhabitantem gratiam, nec p diuinam tantùm essentiã, uerumetiam pèr corporalẽ præsentiam. Et ideo istud sacramẽtũ instituit, in quo præsens est ipse nobiscũ, sub alia quidẽ forma, sed in propria uerè substantia. Hæc ille. Et uide ꝙ congruenter. Christus enim dicit. Ego uobiscũ sum omnibus diebus usq; ad consummationẽ seculi. Et Paulus de Eucharistia loquens. Quotienscunq; (inquit) manducabitis panem hunc & calicẽ bibetis, mortem Domini annunciabitis donec ueniat, nimirũ ad iudiciũ, quando istud seculũ consummabitur.

Post Christũ ueniamus ad Apostolũ, & audiadiamus q̃d ille de hac re loquatur & sentiat. Et quidẽ illius testimoniũ nõ mediocriter corroborat, ueritatẽ corporis & saguinis Christi in Eucharistia,

charistia. Nã ipse dicit à Christo se doctũ fuisse sup hac re. Ego(inquit)accepi à Dño, quod & tradidi uobis, quoniã Dñs Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panẽ, & gratias agẽs fregit & dixit. Accipite & mãducate. Hoc est corp⁹ meũ, quod pro uobis tradetur. Hoc facite in meã commemorationẽ. Similiter & calicem postq̃ cœnauit dicẽs. Hic calix Nouũ testamentũ est, in meo sanguine, &c. Ecce apertis uerbis testatur istud Sacramentũ esse corpus Christi, quẽadmodũ suprà ex Euangelistis cõprobatũ est. Si ergo aliq̃d aliud suis uerbis intellexisset Christ⁹, q̃ quod in Eucharistia corp⁹ ei⁹ uerè cõtineretur, quũ hoc iãpridẽ adeò durũ uisum fuisset pluribus (ut Ioannes Euãgelista testatur) qui et eius rei gratia retrocesserant, profectò iã ipsi Paulo, rẽ exactiùs & clariùs exposuisset, & quid sibi uerbis suis uoluisset clariùs ac manifestiùs aperuisset. Sed nõ aliter ipsi Paulo, q̃ cæteris olim Apostolis affirmauit, nimirũ q, hoc esset suũ ipsius corpus. Hoc est(inquiẽs)corpus meũ. Quare constanter credendũ est, ibi uerũ & uiuificũ corpus Christi, essentialiter ac substãtialiter esse. Vnde etiã Paulus ipse constanter ac disertis uerbis: Panis (inquit) quẽ frãgimus, nõne participatio corporis Dñi est? Id est, nónne corpus Dñi nostri Iesu Christi est, quo participamur? Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne cõmunicatio sangui-

nis Christi est? Et iterũ. Quicunq; (inquit) mãducauerit panẽ, uel biberit calicẽ Dñi indignè, reus erit corporis et sanguinis Dñi. Probat aũt seipsum homo, & sic de pane illo edat et calice bibat. Qui enim mãducat & bibit indignè, iudiciũ sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Dñi. Quomodo obsecro fieret, ut tam graue quis reatum incurreret, quo corporis & sanguinis Dñi reus diceretur, si ibi in ueritate nõ adesse corpus Domini? Quomodo fieret reus corporis Domini, si corpus Dñi non sumeret indignè? Quomodo autem sumeret si ibi corpus nõ adesset? Si corpus Christi non est ibi reipsa præsens, cõsequens est, quod ex illo tempore, neq; dignè, neque indignè potuit aliquis manducare corpus eius, aut sanguinem eius potare, etsi nõ potest ab aliquo sumi indignè, nemo potest in eo sumere sibi iudicium. Frustra ergo sermonem illum dixit Apostolus, quod qui indignè sumit corpus & sanguinem Domini, iudicium sibi manducat & bibit. Si non est ibi corpus Christi, quis est ille panis aut calix Domini, in quo sibi iudicium manducat & bibit, qui indignè illud manducat & bibit, ex quo multos etiam contingit corporaliter infirmari & mori dum indignè communicant? Quod est illud corpus Domini, quod dijudicandum esse Apostolus demonstrat, & quid est dijudicare corpus corpus Domini?

Omnia

Omnia certè hæc superfluè & uanè dicuntur, si ipsum uerum corpus Christi hominibus in Eucharistia non cõmunicatur. Panem itaq; *& calicem* Domini, Appellat *Apostolus corpus & sanguinem* Domini, *quia sub specie panis & uini ista sunt in altari.* Et *quidē si non esset in illo sacrificio, alia substantia nisi ipse panis & uinum, non in illo cibo aliquis manducaret iudicium, id est, damnationem suam, magis q̃ in alio aliquo cibo, neq; propter illam manducationem cõtingeret aliquos infirmari aut mori, cũ non sit periculosus cibus, simplex panis & uinum.* Quod *si dixerit aliquis.* Forsitan *quia panis est benedictus; & uinũ est benedictũ, ideo qui indignè mãducat panem illũ, & uinũ illud bibit, iudiciũ sibi manducat & bibit, & fortè infirmatur aut moritur, qa benedictionẽ sanctã nõ benè honorauit.* Quare *ergo dixit.* Reus *erit corporis et sanguinis* Dñi, *q indignè mãducat panẽ illũ & calicem bibit? Si nõ est ibi nisi simplex panis benedictus, & simplex uinum benedictũ, rectiùs dixisset,* Re*us erit benedicti panis & benedicti uini indignè accepti, sed dixit* Re⁹ *erit corporis & sanguinis* Dñi, *subintelligimus, indignè accepti, & quodãmodo pditi quantũ in ipso est.* Animaduerte *nũc et hoc, quod dicit eũ non dijudicare corpus* Dñi, *q de pane illo* Dominico *indigne edit, aut de calice bibit.* Si *quis prauè & sordidè uiuit, & sine*

timore peccatorum suc rum audacter accedit ad communicandum corpori & sanguini Domini, *quasi sit ali⁹ cibus, hic indignè cõmunicat, & hic non dijudicat, id est, nõ discernit corpus* Dñi *ab alijs cibis, per timorẽ & reuerentiã* Dei. Itẽ *etsi sit homo castè & sobriè uiuens, & tamen nõ credat esse uerè corpus* Dñi *illud, quod à sacerdotibus* Ecclesiæ *in altari consecratur p orationẽ & benedictionẽ.* Hic *si propter aliquã simulationẽ, accedit ad Sãctã cõmunionẽ, edit indignè corp⁹.* Dñi, *& non discernit illud ab alijs cibis per fidẽ catholicam, & manducat & bibit sibi iudicium id est dãnationẽ.* Sed *nũc reliqua uerba* Pauli *uideamus.* Hoc *est corpus meũ (inqt) quod pro uobis tradetur.* Hoc *facite in meã commemorationem.* Similiter *et calicem postq̃ cœnauit dicens.* Hic *calix* Nouũ *testamentũ est in meo sanguine.* Hoc *facite quotiẽscunq; bibetis, in meã cõmemorationẽ.* Quotienscunq; *enim mãducabitis panẽ hũc, & calicẽ bibetis, mortẽ* Dñi *annũciabitis donec ueniat.* Hoc *facite (inquit) in meã commemorationẽ.* Animaduerte *quidnã uerbis istis* Domini *nus significare uoluerit, & quid discipulos suos iusserit facere in suam memoriam dicendo.* Hoc *facite in meam commemorationem.* Negare *(ut puto) nemo potest, quin illud quod eis manu porrigebat, & quod formam panis habebat, significaret dicendo, hoc facite. Si autem*

1. Cor. 11.

Luc. 22.
1. Cor. 11.

illud

illud nihil aliud erat nisi panis, nunquid credendum est quod eos iusserit, facere panem in memoriam sui? Sed hoc dicere stultum est. Erat *autem aliud quam panis, quod sub specie panis ibi erat, id est, corpus eius, sicut patet ex eo quod dicebat, hoc est corpus meum, & illud iußit eos facere in commemorationem paßionis & mortis suæ.* Itaq; *in eo quod dixit.* Hoc *facite in meam commemorationem, dedit tam eis quam omnibus, ad quos peruenturum erat sacerdotale officium ab ipsis, potestatem faciendi corpus & sanguinem suũ.* Quod *dicuntur sacerdotes, corpus* Domini *facere siue conficere, non ita intelligimus, quod ipsi corpus* Domini *quasi de nouo creent, & ei essentiam dent, sed eorum facere nihil aliud quam uerba consecrationis proferre super panem, cum intentione consecrandi, & tunc uirtute diuina præstatur, ut sit ibi uerum corpus* Domini, *& uerus sanguis eius, ubi priùs nihil aliud erat nisi panis & uinum.* Illud *ergo opus sacerdotum, quod tunc agunt, tali modo loquendi designari solet, ut ipsi dicantur facere corpus* Domini. Et *est fortasse sumptus hic modus loquendi ex eo, quod* Dominus *tunc dicebat.* Hoc *facite in meam commemorationem.*

Corpus Domini quõ sacerdotes intelligãtur facere?

Quod *si dixeris, potuisse quidem aliquo modo fieri, ut* Dominus *ante paßionem suam, daret discipulis corpus suum ad manducandum & san-*

guinem suum ad bibendum in sui commemorationem, id est, ut postea sui memores essent, sed nullo modo fieri potuisse post paßionẽ & resurrectionẽ suam, ut per cõsecrationem habere possent, corpus eius ad mãducandum, siue sanguinẽ eius ad bibendũ, cõtradicet tibi Paulus Apostolus, *qui in priore* Epistola *ad* Corinthios *inqt.*

1. Cor. 11. Qvotiescũnq; *enim manducabitis panẽ hunc, & calicem bibetis, mortẽ dñi annunciabitis donec ueniat.* Ex quibus uerbis *constat, manducationem illã corporis* Dñi, *quæ est sub specie panis, & potationẽ sanguinis* Dñi, *esse annunciationem, id est, testificationẽ mortis* Dñi, *quã in cruce sustinuit.* In *eo aũt q̃ addidit, donec ueniat,* Dñs *nimirum ad iudicium, significauit hãc annunciationẽ mortis* Christi, *per cõmmunicationem corporis & sanguinis eius, futurã in* Ecclesia, *usq; ad diẽ iudicij.* Manifestũ *itaq; est ex uerbis* Apostoli, *etiã post paßionem dñicam, fideles* Christi *manducare corpus* Dñi, *& sanguinem eius bibere.* Patet *etiã ex uerbis eiusdẽ, sanctos* Apostolos *& eorum sequaces, benedictiones fecisse, super sacrificium* Dñi *ad implendum*

1. Cor. 10. *sermonem* Dñi, *quem eis mandauerat de corpore et sanguine suo conficiẽdo et sumendo in memoriam eius,* Ita *enim scribit in* Epist. *ad* Corinthios. Calix *benedictionis, cui benedicimus, nõne communicatio sanguinis* Christi *est.* Et *panis*

quem

quē frangimus, nōne participatio corporis Chri
sti est? id est, nōne corpus Christi est quo partici-
pamur? Quibus uerbis etiā satis euidenter de-
clarauit, per fractionē & dispensationem huius
adorandi Sacramēti sub speciebus panis et uini,
uerū Christi corp⁹ et sanguinē multis distribui,
& eos qui accipiunt, uerū Christi corpus et san
guinem suscipere. In eo aūt q, dixit, benedicim⁹,
significauit se et alios Apostolos ac Sacerdotes,
habere potestatē faciendi benedictiones, super
Sacramentum altaris. Deniq; quia scribebat Co
rinthijs de hoc Sacramento, & multa eis de illo
mandabat, quomodo illud dignè tractare ac su-
mere deberent, liquet in hoc Sacramento, cor-
pus & sanguinem Christi contineri. Nam su-
perfluè hoc eis demandasset, si nullo modo fie-
eri posset, ut manducaretur corpus Domini, &
biberetur eius sanguis in Ecclesia.

Quum iam satis à nobis ex diuinis Scripturis,
demonstratum esse credamus, in diuinißimo Eu
charistiæ Sacramento, uerū et uiuificum Christi
corpus & sanguinem, essentialiter et substanti-
aliter adesse, ita ut nemo meritò ambigere pos-
sit, quin Christus ipse sit nobiscū in hoc Sacramē
to, et permansurus usq; ad finē seculi, poterit ta
men fortasse, curiosus aliquis exurgere, & per-
cunctari modum, quo uidelicet fit in hoc Sacra-
mento. Cui respondebimus, nos modum illum
sufficienter

capacitatem, quæcunq; diuinus spiritus inuisibi-biliter in hoc sacramento operatur. Est *autem corpus Christi, in hoc sacramento in substantia sua, sicut fuit in cruce, sed non in iisdem accidentibus. Tam uerè est corpus eius secundũ substantiam suam in sacramento, quàm uerè fuit in cruce, sed in accidentibus multa & uaria est differentia. In cruce erat localiter, pœnaliter, uisibiliter. In Eucharistia non ita. In hoc falluntur aduersarij, quod non discernũt diuersos modos, quibus contingit aliquid alicui rei inesse. Et licet corpus Christi sit in cœlo, & in Eucharistia, nequaq̃ tamen dicimus, eodem modo esse utrobiq;. Nam est in cœlo, secundum propriam speciem uisibilem, in forma gloriosa & quantitatiua, atq; ipso hoc modo in cœlo manente ac sedente ad dexteram patris, tamen nihilominus est uerè præsens in sacramento, per transsubstantiationem panis & uini, in corpus & sanguinem suum. Nam per transsubstantiationem aut mutationem naturarum, conuertitur panis in corpus Christi, & uinum in sanguinem remanentibus eorũ speciebus. Quod autem dicitur, idem corpus simul esse non posse in duobus locis aut pluribus, intelligendum est circũscriptiuè, ita quod suis dimensionibus (quas certum est esse quantitates) simul sit commensuratum pluribus locis. Non ergo repugnat uno et eodem tẽpore Christi cor-*

Corpus Christi est in cœlo & in Eucharistia.

sti corpus esse in cœlo, localiter atq; in propria specie, & in Sacramēto sacramētaliter, atq; sub aliena specie. Non enim est in terris nūc, sicut est in cœlo, aut sicut in terra fuit ante paßionē, nequaq̄ tamen inde sequitur, Christū nullo modo apud nos esse in terris, quū ipse dicat. Ecce ego uobiscū sum omnibus diebus usq; ad cōsummationem seculi. Quando igitur contendunt aduersarij Christū non esse amplius corporaliter in mundo, fallunt et fallūtur æquiuocatione. Corporaliter enim bifariam intelligitur. Vno modo ut idem sit, quod uisibiliter & palpabiliter. Et sic Christus non est in mundo corporaliter, hoc est, uisibiliter et palpabiliter, sicut ante passionem fuit, & sicut corpora nostra esse solent. Alio modo corporaliter potest intelligi, sicut esse cum corpore, & sic libenter admittimus Christum corporaliter, hoc est, cum uero corpore suo, esse in uenerabili Sacramento. Non est ergo Christus in Sacramento corporaliter, id est, modo corporeo, sicut solet esse corpus naturale in loco, uisibiliter & palpabiliter et per motū, nihilominus tamen est etiā corporaliter in Sacramento, id est, cū uerò uiuifico et substātiali corpore suo, quemadmodū ex Sacris Literis demōstrauimus. Nā tres Euangelistæ & Paulus apertißimè referunt uerba Christi dicentis. Hoc est corpus meū. Quæ sunt uerba ueritatis, quibus nitimur,

Matt. ult.

nitimur, quibus & Ecclesia utitur, columna & firmamentum ueritatis, quæ hæc uerba in eũ sensum quẽ dedimus semper interpretata est & intellexit. Nec est quod fingant ac obijciant nobis aduersarij, inuisibilem reditũ Christi è cœlo in Sacramentum. Talem enim inuisibilem reditum nos non asserimus. Nimium enim falluntur, dũ existimant Christum de cœlo ad nos in Sacramẽto uenire motu locali, aut redire, sicut homo abiens redire localiter solet. Nõ enim hoc dicimus, sed affirmamus Christum localiter permanere in cœlo, donec uenturus est ad iudiciũ, esse autem eundem in uenerabili Sacramento, nõ motu locali, aut transitu corporali, sed transubstãtiatione aut conuersione substantiali, quando uirtute uerborum Christi, substantia panis transit aut transmutatur in corpus Christi, absq; ulla corporis Christi, seu motione seu transmutatione. Est autem totus Christus, hoc est uiua & uiuificatrix caro Christi, & sanguis eius, cum sua diuinitate, hypostatica unione coniuncta in hoc Sacramento. Est quoq; ibi corpus Christi uerum & uiuum totum, cum ossibus & neruis & alijs huiusmodi, 1. Tim. 3.

Pro qua re intelligenda, secundum doctrinam receptam scholasticorũ doctorum, sciendum est, quædam esse in hoc ex ui Sacramenti, quædam ex naturali concomitantia. Id autem dicitur

esse

esse in hoc sacramento ex ui sacramenti, sub speciebus huius sacramenti, in quod directè conuertitur, substantia panis et uini praeexistens quẽadmodum designant ac significãt uerba formae, quae in hoc sacramento efficiũt, quod significãt, sicut & in caeteris, ut cùm dicitur, hoc est corp⁹ meum, hic est sanguis meus. Ex *naturali autem concomitantia, illud est in hoc sacramẽto, quod secundum rem ei coniungitur, in quod praedicta conuersio terminatur.* Vbi *enim duo secundum rem fuerint coniuncta, ita ut separari nequeant abinuicem, ubi unum est, & reliquum esse necesse est, quia sola operatione animae discernuntur, quae secundum rem sunt coniuncta.* Itaque *ex ui sacramenti, sub hoc sacramento, quantum ad species panis, continentur non solùm caro, sed totum corpus Christi, scilicet ossa & nerui & alia huiusmodi.* Et *hoc apparet ex forma huius sacramenti, in qua non dicitur, haec est caro mea, sed hoc est corpus meũ.* Et *ideo cũ* Dominus *dixit.* Caro *mea uerè est cib⁹.* Caro *ponitur pro toto corpore, quia secundum consuetudinem humanam, uidetur magis esse manducationi accommodata, prout scilicet homines communiter uescuntur carnibus animalium, non autem oßibus uel alijs huiusmodi.* Anima *uerò* Christi, *reuerà & realiter separata fuit à corpore, & idcirco si in illo triduo mortis, fuisset*

Ioan. 6.

hoc

hoc Sacramentum celebratum, nõ fuisset ibi anima Christi, nec ex ui Sacramẽti, nec ex reali cõcomitantia. Verũ q*a Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, anima eius secundùm rem ac reuerà semp est corpori eius unita.* Et *idcircò* Rom. 6
in hoc sacramento, corpus quidem Christi, est ex ui Sacramenti, anima autem eius ex reali cõcomitantia, quemadmodum etiam diuinitas illius. Etenim *quia conuersio panis & uini, nõ terminatur ad animam uel diuinitatem* Christi, *ob id diuinitas uel anima* Christi, *non est in hoc Sacramẽto ex ui* Sacramenti, *sed ex reali concomitantia.* Quia *enim diuinitas, corpus assumptum nunquam deposuit, ubicunq; est corpus* Christi, *necesse est & eius diuinitatem esse, & ideo in hoc* Sacramento, *necesse est esse diuinitatem* Christi, *concomitantem eius corpus.* Quod *autem uerbum* Patris, *filius* Dei *unigenitus, in unitatem personæ, inseparabiliter sibi copulauerat humanam naturam, testatur* S. Papa Leo *dicens:* Ita *in unitatem personæ est à uerbo caro suscepta, & tam inseparabiliter est ei unitus filius* Dei, *ut qui erat intemporaliter (inquit) de essentia* Patris *genitus, ipse sit temporaliter de uirginis utero natus.* Et *utriq; naturæ in suis proprietatibus permanenti, tãta est unitatis facta communio, ut quicquid ibi est* Dei, *nõ sit ab humanitate disiunctũ, quicqd au-*

tem est hominis, non sit à Deitate diuisum. Non tamen ita proprietates suas tenuit utraque substantia, ut psonarū in eis poßit esse discretio, nec sic creatura in societatem sui creatoris est aßūpta, ut ille habitator, & ille habitaculum esset, sed ita, ut naturæ alteri altera misceretur. Et quāuis alia sit, quæ suscipitur, alia uerò quæ suscipit, in tantam tamē unitatē conuenit utriusq; diuersitas, ut unus idemq; sit uerus Deus & homo, & humanitatem, quā assumpsit & suæ diuinitati coniunxit fœdere sempiterno, nunq̄ deponat, sed manet diuinitas humanitati ppetuò cōiūcta. Quia nunq̄ factū est diuortiū illius admirādæ unionis uerbi Dei, cū sacratißima eius anima & corpore, sed indissolubile pmansit illud coniunctionis uinculum, nullo intercedēte repudio, aut dißidio, in huiusmodi fœdere. Nā & in morte Christi quando anima est separata à sacratißimo corpore eius, diuinitas nec separata fuit à carne, nec ab anima eius, sed utriq; pmāsit unita partiū. Quomodo enim sanctißima eius descēdēs ad inferna, uectes ferreos carceris inferni confregisset, procul casset glorioso triumpho potestates te principatus tenebrarum, eduxissetq; uinctos antiquos patres de tenebris & umbra mortis, nisi fuisset eidem animæ inseparabiliter coniuncta diuinitas, cuius uirtute hæc peracta sunt? Quid insuper probibuisset, sanctum

ctum Christi corpus uidere corruptionem, si nõ illi adfuisset conseruatrix diuinitas, semper unita manens? Nempe tunc forma cadaueris subijsset sanctum Christi corpus, ut in aliorum hominum morte usu uenit, & induxisset illi putrefactionem. Quam quidem necessarium fuisset iterum expelli, in Christi resurrectione & iterata animæ ad corpus unione, & rursum fieri oportuisset diuinitatis ad utrámque illarum partium coniunctionem. Sed rectè intelligere nequis in ipso resurrectionis momento, iterum diuinitatem assumpsisse humanitatem, & illius partibus iterata unione coniunctam. Etenim tunc uerbum, rursum caro factum esset, & renouatum incarnationis Sacramentum, quod p mortem fuisset interruptum. Cum itaq; diuinitas sit impaßibilis, & per illatam carni mortem, nihil passa sit detrimenti, quid ipsam quæso diremit ab anima & corpore, ut nudum maneret hominis mortuum corpus, & anima diuinitate nuda? Tunc certè & ipsa diuinitas quicquã sustinuisset (modò ita loqui liceat) molestiæ aut iniuriæ p mortem, & diuulsa fuisset ab ijs partibus quibus priùs uniebatur, quod aliquid paßibilitatis præ se ferre uidetur. Mansit ergo diuinitas uerbi inseparabilis ab anima & corpore in morte Domini. Quod & Damascenus lib. 3. cap. 27. affirmat, dicens. Et quanquam mortuus est

ut homo & sancta, & eius anima ab incontaminato separata corpore, nõ tamen diuinitas ab utroq; separata remansit, ab anima inquam & corpore. Et *ne aliquis diceret, p separationem animæ* Christi *à corpore, &* Deitatem *utriq; immanentem atq; unitam, unam hypostasim in duas diuisam esse hypostases, idcircò hoc præueniens, falsam illam intelligentiã excludit, & ostendit nequaq̃ propterea unam hypostasim in duas desectam esse hypostases dicens.* Et *neq; sic una hypostasis, in duas desecta est hypostases.* Nã *& tunc corpus et anima secundùm idẽ à* Principio, *in uerbi hypostasi habebãt existentiã, et ipsis in morte abinuicem separatis, unumquodq; eorum mansit, unã uerbi habẽs hypostasin.* Quare *una uerbi hypostasis, & uerbi & animæ & corporis fuit hypostasis.* Nunq̃ *enim, neq; anima, neq; corpus, propriam habuere hypostasin, præter eam quæ uerbi est hypostasis.* Vna *enim semper uerbi hypostasis, & nunq̃ duæ, quare una semp* Christi *hypostasis.* Quo *fit, ut etsi localiter, anima à corpore separabatur, hypostaticè tamen p uerbum uniebantur.* Hactenus *ille.* Est *ergo in* Christo *una hypostasis, quia unus* Christus Iesus, *& non duo, idemq;* Deus *pariter & homo, unius quidem personæ, sed duarum naturarum uel substantia.* Duarum *quidem substantiarum, quia mutabile nõ est uerbum* Dei, *ut ipsum uer*

teretur in carnē, unius autem personæ, ne duos profitendo filios, quaternitatem uideamur colere, non Trinitatē. Est ergo in Christo, uerbū, anima, caro, sed hoc totū unus est Christus, unus filius Dei, *& unus saluator ac redēptor noster.* *Errant autem, qui quemadmodū in Christo cōfitentur duas naturas, ita affirmant etiā esse duas psonas, unā diuinitatis, aliam humanitatis, nec unū Christū in* Deitate *& humanitate sentiunt, sed separatim atq; seiūctim, alterū docēt esse filiū* Dei, *alterum filiū hominis, quē dicūt etiā appellari Christum, unde uirginē Mariam, non* Dei, *genitricem, sed tantum hominis cuiusdam instī Matrē appellant.* Etenim *quia duas in Christo personas, sicut duas naturas constituunt, unam personam dicunt esse* Deum *solum, & aliā personam hominem solum, & huius personæ, quam dicunt esse hominem solum, dicunt* Beatam *uirginem esse* Matrem, *& ita negant eam esse* Matrem Dei. Deniq; *Christum esse tātùm hominem dicunt, nō autem* Deum, *sed in quo* Deus *speciali quadam prærogatiua habitaret, atque ideò Christum dicunt uocari* Emanuel, *quod interpretatur nobiscum* Deus, *non quia simul sit* Deus *& homo, sed quia in humanitate diuinitas habitaret, unde Christum non* Deum, *sed* Deiferum *appellant.* De *quibus Cyrillus in lib. de recta* Fide *ad* Theodosium. *Cum enim*

Nestoriani errant.

Cyrillus.

 plures

plures de incarnatione unigeniti recitasset erro res, tandem. Alij (inquit) annunciant diuersa illorũ opinionibus, & opponũt, cẽsentes ex Deo uerbo, & anima rationali & corpore, hoc est, simpliciter ex pfecta humanitate constitutũ & compositum esse Emanuelem. *Adhuc tamen sanctam & immaculatã de illo opinionẽ, nõ omnino retinent, separant enim in duos unum* Christum, *& crassa quodãmodo separatiõe, seorsim utrũq; separant, & etiam stantem demonstrant.* Nam *unum quidem esse contendunt ex uirgine natum perfecte hominem, alterum uerò uerbũ ex* Deo Patre, *non dijudicantes, q aliquando sit* Dei *natura & carnis, neq; uolentes solis his differẽtijs inhabitare.* Neq; *aberrauerũt in hoc à uerò sensu, quoniam non est eadẽ natura carnis &* Dei*tatis, sed unũ quidem ut hominẽ seorsim ponũt, alterũ uerò* Deum *natura, & uerum filium nominant, quis uelint esse* Christiani, *& libellos sanè de his conscribẽtes, dicere ausi fuerũt his uerbis.* Nã *ille quidẽ natura uerè filius, qui ex* Deo Patre *est uerbũ, iste uerò p cognominationẽ cũ filio filius.* Et *post alia iterũ.* Non *caro* Dei *uerbũ, sed hominẽ suscipiẽs.* Nã *unigenitus quidem præcedẽter & per se filius* Dei *omniũ conditor est, is autẽ homo, quẽ assumpsit, cũ nõ sit natura* Deus, *propter ipsum uerè* Dei *filium, à quo assumptus est, per cognominationẽ cum illo appellatur.*

latur. Nã nemo nouit filiũ nisi pater, eũ, qui na= Luc. 1.
tura & uerè manifestat ex Patre filiũ. Quod aut
dictũ est à Gabriele. Ne timeas Maria, inuenisti
enim gratiã apud Deũ. & Ecce cõcipies et pari-
es filiũ, & uocabis nomen eius Iesum, homini ad
aptat, hæc ille, proculdubiò taxans Diodorũ &
eius discipulum impium Nestorium, quẽ in Epi-
stola priore ad Successum Isauriæ Diocesarien-
sis Antistitem, affirmat discipulum Diodori,
qui sensit & scripsit, quod alter sit filius seor= Diodorus
sim, qui de semine Dauid & Sancta Virgine na-
tus est, & alter iterum propriè Filius Dei Pa-
tris existat. Qui ouina pelle lupum conte-
gens, simulat quidem unum se Christum dice-
re, hoc nomen tantummodo Dei patris uerbo
filio unigenito tribuens, gratiam uerò & hu-
ic deputans, sicut ipse dicit, qui est ex semine Da
uid, quem & filium uocat, tanquam unitum
(inquit) ei qui secundum ueritatem est filius, u-
nitum autem non sicut nos asserimus, sed iu-
xta solam dignitatem & autoritatem & hono= Nestorius
ris æqualitatẽ. Huius discipulus Nestorius fuit,
& ex librorum eius eloquijs obscuratus, simu-
lat quidem se unum Christum, & filium, &
Dominum confiteri, ueruntamen & ipse in du-
os, unum indiuiduúmque partitur hominem
dicens Deo uerbo æquiuoca nuncupatione, &
honoris & æqualitate atq; dignitate coniunctũ.

Nã & uoces in Euangelicis & Apostolicis lite-ris de Christo positas definit, ac dicit eas quidem tanquam homini conuenire, perfectò quas huma nitus protulit, illas uerò Deo uerbo congruere, quas Deitati dignas indubitanter exprompsit. Ipsum uerò multipliciter diuidit ac sequestrat, hominem asserens, propterea & sanctam uir-ginem, non dicit esse genitricem, sed potius ho-minis Matrem. Et in Epist. posteriore ad eun-dem, eiusce modi uerbis Nestorij perfidiam per-stringit. Simulat (inquit) se confiteri, quod in-carnatus & homo factus sit, Deus uerbum, sed uirtutem incarnationis ignorans, duas quidem naturas appellat, diuidit autem eas abinuicem, Deum seiunctum cõstituens, & hominẽ seorsim similiter ponens, quem etiam Deo coniunctum secundùm affectionem, & secundùm æqualita-tem honoris & autoritatis affirmat. Sic enim di cit. Huic uisibili, Deus inseparabilis est, idcirco in separabilis, honore non diuido, separo naturas, sed unam facio uenerationem. Sed aduersus hãc hæresim ipse Cyrillus plurima scripsit, in Scho-lijs de incarnatione unigeniti, Et in lib. de Re-cta Fide ad Theodosium, & in libris duobus bus ad Reginas, & in Epistolis iam citatis. Nã per Scripturas diuinas, quibus à sanctis Patribus sumus edocti, unum Filium & Christũ & Do-minum confitemur, hoc est, Dei patris uerbum,

natum

natum quidem de Deo ante secula diuinitus atque ineffabiliter, in nouißimis aũt mundi temporibus propter nos secundum carnem de sancta & beata uirgine genitum, quam etiam, quia Deum factum hominem & incarnatum ex se protulit, ideo Dei genitricem ueraciter appellamus. Vnus ergo est filius, unus Dominus Iesus Christus, & ante incarnationem & post incarnationem. Non enim alter est filius uerbum Dei Patris, & alter iterum qui de sancta uirgine natus est, sed idẽ ipse, qui est ante secula Deus, etiam secundum carnem ex muliere creditur æditus, non quod ex [illegible]a initium deitas eius acceperit ut sit, aut subsistendi principium de sancta uirgine sumpserit, sed potiùs (ut dixi) quod uerbum subsistẽs ante secula, secundum carnem quod dicitur ex ea progenitum, propria enim facta est eius caro, sicut & singulis nobis est proprium corpus. Quãtum ergo pertinet ad intelligendum, & solummodo ad contemplandum oculis animæ, quomodo sit incarnatus unigenitus, duas naturas adunatas esse perspicimus, sed unum Christum filium & Dominum Deum uerbum factum hominem incarnatumq; profitemur. Et si placet, huius compositionis etiam ex nobisipsis, iuxta quod sumus homines, accipiamus exemplum. Compositi enim ex anima cõstamus et corpore, duasq; intuemur

naturas, alteram quidem corporis, alterā uerò animæ. Sed si unus homo secundum unitatem ex natura utraq; subsistens, cōpositus duarum natu rarum, duos homines eū qui unus est, quomodo facis? Sed (ut dixi, secundum cōpositionem unus homo est, qui ex anima cōstat & corpore. Vnde Sanctus Athanasius. Qui (nimirum Christus) licet Deus sit & homo, non duo tamē, sed unus est Christus. Vnus autem, non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deo. Vnus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro, unus est homo, ita Deus & homo, unus est Christus. Porrò propter hanc personæ unitatem, indifferenter atq; promiscuè, & quæ Dei sunt propria, tribuuntur homini, & quæ carnis propria, adscribuntur Deo. Tantam uim habet hæc personæ unitas, ut propter eam mirò & ineffabili mysterio, & diuina homini, & Deo attribuantur humana. Nam propter eam, & hominem de cœlo secundum Deum descendisse credimus, & Deum ac Dominum maiestatis, secunduu hominem in terra factum, passum & crucifixum confitemur. Nam in Symbolo Apostolorum profitemur. Credo in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, nat⁹ ex Maria uirgine, passus sub Pontio pilato, crucifixus, mortuus,

tuus, &c. Secundum hanc personæ unitatem di- 1. Cor. 2.
ctum est à Paulo. Si cognouissent, nunquã Dñm gloriæ crucifixissent, ubi Dominum gloriæ, hoc est, Deum dicit fuisse crucifixum, utiq; secundũ carnem. Item Psalmista dicit eum regnasse à ligno, non dubiũ quin secundum carnem. Propter hanc unionem, & hominem Dei Filium, & Deũ uirginis filium dicimus. Inde est, ut carne Dñi facta, carne Domini creata, ipsum uerbum Dei factum, ipsa sapientia Dei impleta, & scientia creata dicatur, sicut manus ipsius & pedes fossi esse referuntur. Per hanc deniq; personæ unitatem, illud quoq; similis mysterij ratione perfectum est, ut carne uerbi ex integra matre nascente, ipse Deus uerbum natus ex uirgine, Catholicißimè credatur, impijßimè denegetur.

Porrò qui hanc duarum naturarum, in una persona Christi unionem & illam inseparabilem negant, non rectè sentiunt de incarna- In 2. epist.
tionis mysterio, de quibus ait Sanctus Apostolus & Euangelista Ioannes. Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum uenisse in carne. Et soluunt Christum, quemadmodum idem dicit. Omnis Spiritus qui confitetur Iesum Chri- 1. Ioan. 4.
stum in carnem uenisse, ex Deo est. Et omnis Spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam

uenit,& nunc in mundo est. Talis fuit impius Nestorius,qui duos fecit filios, unum hominis, alterũ Dei,qui diuinam à Christo separauit naturam,duas ponẽs personas,unam deitatis,aliam carnis,dissoluens illum admirabilem nexum utriúsq; naturæ in unitate suppositi. Qui autem Christum Dei filium, confitentur duas habere naturas, diuinã scilicet & humanam in unitate personæ, uel hypostasis incõfusas,& sine ulla earum mixtione unitas, non soluunt Christum,sed cum Catholica Ecclesia benè sentiunt, quemadmodum Sanctus Augustinus, qui quum in epist.57.ad Dardanum,affirmasset Christum Deum esse & hominem, & dixisset. Sicut unus homo est anima rationalis & caro,sic & unus Christus,est uerbum & homo,paulò post subiecit. Nec tamen cum filium Dei Christum dicimus,hominem separamus,aut cum eundẽ Christum filium hominis dicimus,separamus Deum. Quemadmodum et Cyrillus,qui lib.12.cap. 32. in Iohannem,ita scribit. In quatuor partes uestimenta diuisa sunt, & tunica solùm indiuisa remansit,quod mysticæ cuiusdam rei signum fuisse dixerim. Nam quatuor orbis partes ad salutem reductæ,indumentum uerbi,id est, carnem eius impartibiliter inter se partitæ sunt. In singulis enim partibiliter transiens unigenitus,& animã & corpus eorum,per carnem suam sanctificans

dificans, impartibiliter atq; integrè in omnibus est, quum unus ubiq; sit. nullo modo diuisus. Audis itaq; sanctificationem singulorum per carnem, & in singulis integrum Christum, non diuisum, quoniam unus semper est Christus, non diuisus, quin ubi caro est, ibi diuinitas propter unionem, & de natura humanitatis intelligitur caro, cui nūquam abest diuinitas, sed ubiq; unus est Christus, ne personas diuidas, licet naturæ maneant in sua proprietate, &c. Porrò quum hæ duæ naturæ, sint in una hypostasi Christi, indiuisibiliter coniunctæ, intelligere debemus, atq; firmiter credere, utriusq; naturæ in Christo, tam firmam & tam inseparabilem coniunctionem, ut absq; graui sacrilegio & grandi impietate, ne cogitari quidem posit corpus Christi, absq; coniuncta diuinitate. Sed in diuinißimo Sacramento Eucharistiæ, iam ueraciter demonstratum est, substantialiter et realiter præsens adesse ipsum uerum & uiuificum corpus Christi, consequitur absq; graui sacrilegio & grandi impietate, in diuinißimo Sacramento Eucharistiæ, non posse cogitari corpus Christi, absq; coniuncta diuinitate. Et cum superiùs declaratum sit totum et integrum corpus Christi, cum sua forma substantiali uidelicet anima, esse in hoc Sacramento, & corpus à diuinitate non poßit diuidi, necessariò consequitur totū Christum

ſtum eſſe in Euchariſtia, hoc eſt, corpus, animã & diuinitatem, eſt Chriſtum, unicum Dñm noſtrum, in cuius perſona, iſtæ duæ naturæ coeunt uinculo indiſſolubili. Errat proinde denuo *Neſtorius, qui in Euchariſtiæ auguſtiſsimo Sacramento, licet admitteret panem cõuerti in carnẽ hominis, negabat tamen eam tranſmutari in carnem hominis, qui eſſet filius* Dei, *ſicut dictũ eſt, ſed in carnem hominis iuſti ac ſanctificati, qui templum eſſet* Dei, *qui diuinam in ſe habitationem poßideret.* Nam *(quemadmodum dictum eſt) aſſeruit duas perſonas in Chriſto, unam quæ eſſet homo, et aliam quæ eſſet* Deus, *in illo homine tanquam in templo habitans.* Et *ſic dicebat in* Euchariſtia, *contineri ueram carnem, ſed illam eſſe carnem non* Dei, *ſed puri hominis.* Id *quod ex eiuſdem* Neſtorij *clarißima confeßione conſtat.* Ita *enim aduerſus* Anathematiſmos *Cyrilli ſcribens, ſuam ipſe exponit ſententiam.* Audite *(inquit) uerba reſpicientes.* Qui *manducat meam carnẽ.* Memoramini, *quia de carne ſermo eſt, & quia non à me adiectum carnis nomen, ne uidear apud eos malè interpretatus.* Qui *comedit (inquit) meam carnem, et bibit meum ſanguinẽ, nunquid dixit, qui comedit meam diuinitatem?* Qui *comedit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Memoramini *quia de carne eſt quod dicitur.*

Neſtorij error, de Euchariſtia.

dicitur. Sed forsan malè interpretor. Audiamus ex reliquis. Sicut misit me uiuens pater. Ille dicit diuinitatem, ego humanitatem. Videámus qui malè interpretetur. Sicut misit me uiuens pater. Dicit hæreticus hîc diuinitatem, dicit, misit me Deum *uerbum uiuens pater. Secundum illos & ego Deus uerbum uiuo propter patrem.* Deinde *post hoc, & qui manducat me, & ille uiuit. Quem comedimus? Diuinitatem, An carnem? hactenus ille.* Ex *cuius uerbis perspicuum est, ipsius sententia, nos comedere quidem* CHRISTI *carnem, sed non quæ* DEI *uerbi sit propria, sed Christi hominis, & puri quantum ad naturam attinet hominis.*

Porrò non abs re in interrogatorio positum est, in Sacro Altaris *mysterio, panem & uinum cum accedat consecratio, in ueram* CHRISTI *carnem & in uerum sanguinem conuerti, ui uerbi cœlestis.* Id *enim desumptum est ex Sancto* Ambrosio, *qui libro quarto capite quinto de Sacra scribit in hæc uerba.* Vis *scire, quibus uerbis cœlestibus consecratur?* Accipe *quæ sunt uerba.* Dicit Sacerdos. Fac *nobis (inquit) hanc oblationem, asscriptam, rationalem, acceptabilem. Quod est figura corporis & sanguinis* Domini *nostri* Iesu *Christi. Qui pridie quam pateretur in*

sanctis

sanctis manibus suis accepit panem, respexit ad cœlum, ad te sancte pater omnipotens æterne Deus, *gratias agens benedixit, fregit, fractumq;* Apostolis *suis & discipulis suis tradidit dicens.* Accipite *& edite ex hoc omnes.* Hoc *enim est corpus meum, quod pro multis cōfringetur.* Similiter *etiam* Calicem. Postquam *cœnatum est, pridie quàm pateretur accepit, respexit ad cælum, ad te sancte pater omnipotens æterne* Deus, *gratias agens, benedixit,* Apostolis *& discipulis suis tradidit dicens.* Accipite *& bibite ex eo omnes.* Hic *est enim sanguis meus.* Vide, *omnia illa uerba* Euangelistæ *sunt, usq; ad.* Accipite, *siue corpus, siue sanguinem.* Inde *uerba sunt* Christi. Accipite, *bibite ex eo omnes.* Hic *est enim sanguis meus.* Vnde *singula.* Qui *pridie (inquit) quã pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem.* Antequam *consecretur panis est, ubi autẽ uerba* Christi *accesserint, corpus est* Christi. Deniq; *audi dicentem.* Accipite *& edite ex eo omnes, hoc est corpus meum.* Et *ante uerba* Christi, *calix est uini & aquæ plenus, ubi uerba* Christi *operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.* Ergo *uidete, quantis generibus potens est sermo* Christi *uniuersa conuertere.* Deinde *ipse* Dominus Iesus *testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus & sanguinẽ.* Nunquid *debemus de eius fide & testificatione dubitare?*

dubitare? hactenus ille. Est quidem? ut Velsius ait) non uerbum cœleste, sed potius terrenum et carnale, quod ore profertur, si naturam uerbi spectes, sed est cœleste, non quidam natura, sed uirtute, ex institutione Christi, qui descendens de cœlis, instituit, ut eiuscemodi uerbis, panis conuerteretur in corpus suum, & uinum in sanguinem, ut idem sit de consecratione intelligendum.

DE TRANSSVBstantiatione.



Voniam autem uelsius negat Transsubstantiationem, pro illius confirmatione nonnulla paulò pòst subijciemus. Nam in supplicatione quadam, quā amplissimo Senatui porrigendam curauit, inter cætera scribit, quod quantum ad repositionem, inclusionem ac circumlationem pertinet Sacramenti altaris appellati, sibi uideri, quod non sine causa Martinus Lutherus, omnesq; qui Lutherani seu Euāgelici nominantur, unanimiter concludant, ac statuant, idololatriam esse, panē Symbolicum à ueteribus patribus appellatum adorare, cum transsubstantiationis dogma (quæ illorum est sententia) noua quædā commentitia hominum sit doctrina, ex Sophistica oriunda, ac

non solùm non consentanea sacræ scripturæ, atq; apostolicis traditionibus, & ueterum patrum sanæ doctrinæ, sed etiam prorsus contraria. hæc ibi. Hic audis Velsio uideri, quod non sine causa Lutherani quorum sententia, dogma transsubstantiationis, commentitia est hominum doctrina) dicant idololatriam esse, panem simbolicum adorare. Hic autem ita scribit, sed hæc haud dubie, aliáque his absurdiora, quæ omnem sagarum superstitionem exuperantia, referre piget, ex magicis illis sunt adytijs profecta, quorum omnium mysteriorum participem futurum Antichristum Papam, & ex his puerum, seu seruum Deum, nouam ipsius creaturam, confecto transubstantiationis dogmate producturum, lõge ante prædixit Sybilla &c.

Itaq; pro Transsubstantiationis dogmate uero & catholico stabiliendo de quibusdam alijs mutationibus siue conuersionibus pauca præmittemus, ut per eas ad recipiendam Transsubstantiationis fidem inducantur homines. Nam ex uarijs & diuersis mutationibus, quas in sacris literis factas legimus, nonnihil assuefacit nos Deus, & quasi manuducit ad huius augustioris mysterij poßibilitatem aliquam tenuiter capiendam. Itaque non humanis rationibus diuina opera curiosius excutientes, hæc proferemus in medium, sed ut ex operibus

eius

eius manuducantur increduli ad credendũ. Primus homo, ex terra ne formatus est, an aliunde? Omnino dicent ac fatebuntur, quod ex terra. dicant igitur nobis, quomodò ex terra facta sit natura carnis? Ex terra enim lutum lateres, & figlinum uas, & testa, fieri solet, quomodo ergo natura carnis facta est? quomodo ossa & nerui, & arteriæ, & adeps, & cutis, & ungues & pili, & ex una subiecta materia, diuersarum substantiarũm qualitates? Sed ad hæc, ne hiscere quidem poterunt. Quid autem dicam de corpore nostro? Dicant nobis de pane, quo quotidie pascimur, quomodo quum unius speciei sit, transmutatur in sanguinem, & phlegma & choleram, & uarios humores? Et panis quidem sæpè habet colorem frumenti, sanguis autem rufum uel nigrum. Si igitur hæc, quæ quotidie ante oculos uidentur, nunquam nobis dicere poterunt, ægrè de alijs Dei opificis dicent: hæc Chrys. hom. 2. in Genes. Qui eadem habet in sermone de Ieiunio & Geneseos lectione. Homil. 13 in Genes. sic scribit: *Formauit Deus hominem puluerem de terra. Non simpliciter terram accipit, sed puluerem & tenuissimum (ut ita dicam) de terra. Et hunc puluerem terræ, suo præcepto in corporis naturam uertit. Nam sicut substãtiam terræ, quũ non esset, produxit, ita & nunc quũ uellet,*

Chrys. homil. 2. in Genes.

Ex terra caro.

Ex pane sanguis.

Ex puluere homo.

puluerem terræ in corpus uertit. Hîc exclamare iuuat, pulchrum illud beati Dauid dictum.
Psal.105. *Quis loquetur potentias Domini, & auditas faciet laudes eius? qa de puluere tale animal produxit, & tāto honore uenustauit, hæc ille.* Vxor
Genes.19 Loth posteaquam post se respexisset cōtra præceptum Domini, uersa est in statuam salis. Genes.19. Christus in nuptijs in Chana Galileæ ce-
Ioan 2. lebratis, mutauit aquam in uinū. In Exodo scri-
Exod.4. bitur Dominus dixisse ad Moysen. Quid est quod tenes in manu tua? Respondit. Virga. Dixitq; Dominus. Projice eam in terrā. Proiecit, et uersa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. Dixitq; Dominus. Extende manum tuam & apprehende caudam eius. Extendit & tenuit, uersaq; est in uirgam. Et iterum. Tulit Aaron uirgam coram pharaone & seruis eius, quæ uersa
De cōsec. est in colubrum. Hîc audis uirgam uersam esse
dist 2 can. in colubrum, & iterum, in uirgam. Vnde Am-
Reuera brosius in lib. de mysterijs imitandis cap.9. uolens probare nos reuerà corpus Christi accipere, quamuis aliud uideamus, hoc exemplo probat, non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maiorémque esse uim benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur, Vides (inquit) prophetica gratia, bis mutatam esse naturam, & serpentis & uirgæ? Currebant

Aegypti flumina, pro aquarum meatu, subitò de fontium uenis, sanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluuijs. Rursus ad prophetæ uoces, cruor cessauit fluminũ, aquarum natura remeauit. circũclusus erat undiq; populus Hebræorũ, hinc Aegyptijs uallatus, inde mari clausus. Virgã leuauit Moyses, separauit se aqua, & in murorũ speciẽ cõgelauit, atq; inter undas uia pedestris apparuit. Iordanis retrorsum conuersus cõtra naturã, in sui fontis reuertitur exordiũ. Nõne claret naturã, uel maritimorũ fluctuũ, uel fluuialis cursus esse mutatã? Sitiebat populus patrum, tetigit Moyses petram, & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata est gratia, ut aquã uomeret petra, quã non habebat natura? Marath fluuius amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset, misit Moyses lignum in aquam, & amaritudinem suam, aquarum natura deposuit, quam infusa subitò gratia temperauit. Sub Helisæo propheta, uni ex filijs prophetarum, excussum est ferrũ de securi, & statim mersum est. Rogauit Helisæum qui amiserat ferrum, misit etiam Helisæus lignum in aquam, & ferrum natauit, utique & hoc, præter naturam factum esse cognoscimus. Grauior est enim ferri species, quam aquarum liquor. Aduertimus igitur maioris esse uirtutis gratiam quam naturam, & ad-

4. Reg. 6.

Exod. 15.

huc tamen, prophetiæ benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantum ualuit humana benedictio, ut naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, ubi uerba ipsa domini saluatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum ualuit sermo Heliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non ualebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit & facta sunt, ipse mādauit et creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod nō erat, nō potest ea quæ sunt, in id mutare quod nō erāt? Non enim minus est nouas rebus dare, quā mutare naturas. Sed quòd argumentis utimur? Suis utamur exemplis, incarnationisque astruamus mysterij ueritatem. Nunquid naturæ usus præcessit, cum Iesus dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, uiro mixta fœmina generare consueuerat: liquet igitur, quòd præter naturæ ordinem uirgo generauit, & hoc quod conficimus corpus ex uirgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse dominus IESVS partus ex uirgine? Vera utique caro CHRISTI quæ crucifixa est, quæ sepulta est, ueræ ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus, Hoc est corpus meum

Ante benedictionem uerborum cœlestium, alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit, *sanguinem suum, ante cõsecrationẽ aliud dicitur, post consecrationem, sanguis nuncupatur.* Et tu dicis: Amen, *hoc est, uerum est, quod os loquitur, mens interna fateatur quod sermo sonat, effectus sentiat.* Hactenus ille. Ex cuius uerbis animaduertere licet quomodo nos Sanctus Pater Ambros. ex illis mutationibus manuducat, ad credendam hanc admirabilem conuersionem, quam nos nuncupamus transsubstantiationem. Nam audientes uirgam in colubrum fuisse mutatam, & aquam & uinum, & c. minus ambigimus eum qui hæc fecit, posse panem in corpus suum uertere. Sed & aliud ex eisdem addiscere licebit, nimirum substantiam panis, non manere cum substantia corporis Christi. Sicut enim certum est, quam illam, nunquum simul fuisse uinum & aqua, sicut neque uirga, simul fuit & coluber & uirga, ita neque substantia panis, cum substantia corporis Christi simul esse potest, Adde tertium, quod hinc colligere potes, uidelicet quòd licet panis sit conuersus in corpus Christi, nihilominus tamen retinet nomen panis. Nam postquàm aqua fuisset mutata in uinum, retinuit tñ nomẽ aquæ quũ dicit Euãgelista. Vt aũt gustauit Architriclin⁹, aquã uinũ Ioan. 2.

Exod. 7. *factam*. Ecce *retinet adhuc ipsum uinum, priorem aquæ nomenclaturam, sicut & coluber ex uirga factus, uocabulum adhuc uirgæ retinuit*. Nam *scriptum est*. Virga Aaron, *uirga* Magorum *deuorauit*. Sic & *panis in* Christi *corpus conuersus, quum iam non sit panis, nuncupationem tamen panis sibi seruat*. Quod *ergo panis dicitur, consueto sacrorum codicum more fit, qui res quaslibet, sæpè uocant nominibus illarum rerum, ex quibus fiunt, seu quæ esse putantur, & non sunt, sine quibus aliquo modo similes existunt*. Porro *obseruandum est, has omnes, & similes conuersiones ac mutationes, tam naturales, quàm supernaturales; diuersi esse generis, ab illa admirabili, quam sancta* Ecclesia *appellat transsubstantiationem, quam esse dicimus conuersionem substantiæ totius, in alteram totam substantiam, non habentem communem materiam cum priore*. Primò *quidem, quia in alijs conuersionibus, quæ lege naturæ fiunt, materia substantiæ prioris, substernitur ac subijcitur formæ substantiæ posterioris, ut substantia quæ succedit, habeat cum præcedente, eandē & communem materiam*. Sicut *cum ex ligno fit ignis, materia ligni substernitur atq; subijcitur, formæ ignis producti & manet integra transmutatione facta*. In *hac uerò conuersione, panis in corpus Christi, non manet completa mutatione*,

1. Cor. 11.

Transsubstantiatio differt ab alijs couersionibus ac mutationibus.

ne, materia panis, ut recipiat in se formam substãtialẽ corporis Christi, sed tota depditur simul cũ forma panis, ut ibi sit totius substãtiæ panis. cõuersio, in corp⁹ Christi. Secũdò, differt trãssub stãtiatio, ab alijs mutationib⁹. Nã in alijs cõuersionibus etiã supnaturabilibus, prioris substantiæ accidẽtia post cõpletã trãsmutationẽ non pmãserunt incolumia, sed simul fuere depdita cũ forma substantiali eiusdem substantiæ, & illis successerunt accidentia recenter productæ substantiæ consentanea, & materiæ eiusdem sequentis substãtiæ inhæserunt. Sicut cum flumina Aegypti in sanguinem fuerunt mutata, & aqua in Chana Galileæ in uinum transmutata neque hic aquæ accidentia manserunt in uino, neque illic qualitates fluminis, in sanguine. In hoc autem altissimo Eucharistiæ mysterio, accidentia prioris substantiæ, permanent in sua integritate, ipsorum subiecto sublato. Et cùm nullum habeant succedens subiectum, cui insint (non enim Christi corpori insunt) sine subiecto & per se subsistũt. Exod. 7. Ioan. 2.

Deniq; tertiò differt in hoc, ab alijs conuersionibus, quia in illis, uniùs esse solet substantiæ corruptio, & alterius generatio. Quemadmodum cùm ex aere fit aqua, aut ex ligno ignis, aut cùm in uinum cõmutata fuit aqua, aut unda Aegypti, in sanguinem. At uerò in hac singulari & admiranda transmutatione, corruptio & gene-

ratio non habent locum. Nam propriè non corrũpitur, quoniã nõ manet supstes eius materia, neq; etiam annihilatur, sed cõuertitur in corpus Christi. Sed & corpus Christi hic nõ generatur, quoniam in deperditæ substãtiæ materia nõ acquiritur eius forma. Quinimò nec ipsius sacri corporis Christi est creatio, quoniam ante consecrationem integrum subsistit in cœlo, & ita ad existẽtiã nõ producitur, licet modo nouo uidelicet Sacramẽtali subsistat in hoc Sacramento, uti antea declaratum est. Quo fit, ut hæc trãsmutatio, ob nouam ipsius & admirabilẽ cõditionẽ, supra cæteras omnes iure collocetur, ut in qua Deus suam omnipotentiam & admirandam uirtutem quotidie demõstrare dignatur. Et hãc transmutationẽ Ecclesia Catholica, simplicissimo uerbo trãssubstãtiationẽ nũcupauit, uocabulo apto & competenti. Hoc enim significat illud nomẽ, quòd ante consecrationem, alia sit substantia in manib⁹ sacerdotis, quæ postea nõ est, & alia post cõsecrationẽ, quæ antea nõ erat. Quẽadmodum etiã Christus, nónne substantiã panis, quã acceperat in manus, cõsecratione effecit corpus suũ, ut iã quod daret, nõ esset substãtia panis, sed substantia corporis sui, quã benedictio cõsecrarat? Quod ergo in ueritate gestũ est, Ecclesia significanter & conuenienter nuncupat transsubstantiationẽ, propter uerba Christi qui illud myste-

riũ instituens dixit, hoc est corpus meũ, simul etiã reuerà porrigens & exhibẽs, quod ore affirmabat. Ex cuius consecrationis ui, hæc Ecclesiæ, de transsubstãtiatione confeßio meritò defenditur, quæ unã ex Christi uerbis substantiam datã intelligens, & hanc aliã ab ea, quæ antea p naturã erat, ex Christi uerbis dictis. Hoc est corpus meũ, fide agnoscens, & illã non esse, & istam esse intelligens, transsubstãtiationis uerbo, consecrationis huius mysteriũ aptißimè expreßit, nõ fingens, sed ipsam ueritatẽ cõuenienti uerbo designans ac definiens. Nec in hoc quicquã, aut quod scripturis, aut quod traditioni Apostolicæ aut patribus aduersaretur fecit. Nam sensus uerbi Transsubstantiationis, uerum Scripturæ sensum exprimit, unde non solùm non repugnat ueritati sacris literæ proditæ, sed maximè ipsi est consentaneus. Quòd Patres per singulos ætatis gradus, iam inde à primordijs Ecclesiæ, suis testimonijs confirmarunt: Nam hanc transsubstantiationis fidem, patres omnes confeßi sunt, licet alijs uerbis. Et quorsum attinet contendere de nomine, cum constet de re? Appellãt aũt uel mutationem, uel conuersionẽ, uel immutationẽ, uel uersionẽ, uel trãsformationẽ, uel trãsmutationẽ, uel transitionẽ, uel trãselementionẽ, aut similibus exprimũt uocib⁹. Cæterũ nisi ita esset, cõfectionẽ bui⁹ mysterij, eiuscemodi

uerbis

uerbis non expreßissent, quibus hanc transsubstantiationem aut uerbis expreßis insinuarunt, aut eius certè quod in mysterijs agitur explicatione haud obscurè indicarunt, & tamen omnes, ueram corporis Christi substantiam confitentur in Eucharistia præsentē. Et si enim non apertè transsubstantiationē ad uerbum posuerūt, nihilominus, tñ ad sensum docuerūt. Quare hoc uerbo. Trāssubstātiatiōis (quo in hoc Sacramento tota substantia, in totā substantiā mutari designatur) aptißimè simplex Catholicæ uritatis sensus expressus est. Quod si qui aliter loqui uideantur, qui sunt paucißimi, si tamen sunt aliter, candidè sunt interpretandi, ut cum aliis consentiant potiùs, quam ut ab illis dissentiant, quando etiam diuersæ loquendi causæ, diuersas pariant loquēdi formulas. Nō est ergo quod offendatur qs huius nominis nouitate, quasi res una cū uerbo nata sit, quod lōgè secus est. Nā Innocentius 3. nihil noui inuenit præter uocem, sed abditā ueritatem, alijs atque alijs uerbis, sed sensu consono priùs expreßis, in unā uocis consonātiam redegit, in Cōcilio lateranensi, ubi ueritas, quæ re, semper una est, uoce etiam una expressa est, non ab Innocentio, qui nihil aliud ꝙ præfuit, tanquam sua industria inueniente, sed spiritusancto (qui ueritatis est spiritus, dictāte. Interfuerūt illi Cōcilio, Metropolitani septuaginta,

& Episcopi quadringenti, q id quod didicerant à maioribus, & traditiõe acceperãt, nõ quod inuenerãt aut excogitarãt, sed quod didicerãt imq̃ ex patribus & traditione acceperãt, castißimè uerbis cõpendiosis & significãtibus, posteris tradiderunt, curãtes ut arcanæ in Eucharistia mutationis sensus, semp apud Catholicos idẽ & consonus, una & noua trãßubstãtionis uoce exprimeretur. Quo fieret, ut Hæretici (q plerũq; in uerbis dißidiũ solẽt quærere) quò ad fieri posset, cõpescerẽtur. Imitati proculdubiò exẽplũ Catholicorũ in Niceno Cõcilio, qui ueritatẽ consubstantialitatis cõtra Arrianos, nõ nouam, sed Catholicorũ sensu cõstantẽ, uerbo apto licet nouo expresserũt, censentes Dei filiũ Homousiõ appellari. Sic & patres in Lateranensi Cõcilio, usi uidẽtur hoc uerbo transsubstãtionis, ad cõtentiones illis temporibus ortas extinguẽdas necessariò, et eodẽ ad ueritatem exprimendam idoneo & simplici ʒ. Sed et hoc aduerte, q scriptura nõ quouis loco, uerbi cõsubstantialitatis meminit, sicut & acerrimè Orthodoxis patribus, Arriani obijcere consueuerunt, sed tñ nihilominus eodẽ usi sunt uerbo, nimirũ q hoc ipsum necessariò cõsequatur ex Scripturis. Ita & trãssubstantionis uerbũ, tametsi offendat aduersarios (qui fide carẽt) Catholicis tñ necessariò uidetur ex scriptura cõsequi, & maximè ex uerbo Christi, qui quũ acce pisset

pisset in manus panẽ, benedixissetq; ac fregisset, et demũ porrexisset Apostolis dixit. Accipite et manducate, hoc est corpus meũ. Certißimũ itaq; nobis est ex ipsius uerbis, uerũ corpus eius ibi fuisse. Atq quũ fieri nõ poßit, ut hic panis, sit hoc corpus, sed neq; species panis, quæ solum Sacramentum est, consentaneum est penitus, ut panis in corpus mutetur, quam mutationem Ecclesia Catholica transsubstantiationẽ appellauit. Sed operæpretium duximus ipsius Concilij decretũ hic subijcere. Vna est fidelium uniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. In quã idem ipse sacerdos & sacrificium Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in Sacramento Altaris, sub speciebus panis & uini ueraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, & uino in sanguinem, potestate diuina, ut ad perficiendum mysterium unitatis, excipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Hæc illi. Sed & in Concilio Constantiensi seßione 8. inter cæteros 45. articulos Ioannis wycleph damnatos, leguntur etiam isti damnati. Substantia panis materialis, & similiter substantia uini materialis, manent in Sacramento Altaris. Accidentia panis non manent sine subiecto in eodẽ Sacramẽto. Porro ex ijs quæ dicta sunt, satis constare arbitror, quam uera & Catholica sit Transsubstantiationis fides, ut meritò conticessere debeant

Concil. Lateran. cap. 1.

omnes, qui eam negant, quemadmodũ Sacramentarij, qui ueram præsentiam corporis Christi in Eucharistia omnino negant, aut Lutherani, qui sunt Augustanæ confeßionis, qui eam confitentur quidem, sed cum pane & uino. Sed ne glorientur se esse huius erroris primos inuentores, sed potiùs antiquæ & damnatæ sententiæ resuscitatores, sciendum est, ante tempora Beati Thomæ Aquinatis, imò Petri Longobardi quem magistrum sententiarum uocant, fuisse quosdam, qui affirmabant post consecrationem, substantiam panis & uini in hoc Sacramento remanere. Sed ipse eandem improbans, comprobat eorum assertionem consistere non posse. Primò quidem, quòd per hanc positionem tollatur ueritas huius Sacramenti, ad quam pertinet ut uerum Christi corpus in hoc Sacramento existat, quod quidem ibi non est ante consecrationem. Non autẽ aliquid potest esse alicubi, ubi priùs non erat, nisi uel per loci mutationẽ, uel per alterius conuersionem in ipsum, sicut in domo aliqua de nouo incipit esse ignis, aut quia illud defertur, aut ibi generatur. Manifestum est autem, quòd corpus Christi non incipit esse in hoc Sacramento, per motum localem. Primò quidem, quia sequeretur, quòd desineret esse in cœlo: Non enim quod localiter mouetur, peruenit de nouo ad aliquem locum, nisi deserat prio-

priorem. Secundò, quia omne corpus localiter motum, pertransit omnia media, quod hîc dici non potest. Tertiò, quia impoßibile est, quòd unus motus eiusdẽ corporis localiter moti, terminetur simul ad diuersa loca, cum tamen in pluribus locis corpus Christi, sub hoc sacramento, simul esse incipiat. Et ideò relinquitur, quod nõ poßit aliter corp⁹ Christi incipere esse de nouo, in hoc sacramento, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum. Quod autem conuertitur in aliquid, facta conuersione non manet. Vnde relinquitur, quod salua ueritate huius sacramenti. substantia panis, post consecrationem remanere non poßit. Secũdò, quia hæc positio, contrariatur formæ huius sacramenti, in qua dicitur, hoc est, corpus meum, quod nõ esset uerum, si substantia panis ibi remaneret. Nunquã enim substantia panis est corpus Christi, sed potiùs esset dicendum hic est corpus meum. Tertiò, contrariatur uenerationi huius sacramenti, si aliqua substantia creata ibi esset, quæ non posset adoratione latriæ adorari. Quartò, quia contrariatur ritui Ecclesiæ, secundum quem, post corporalem cibum, nõ licet sumere corpus Christi, cum tamen post unam hostiam consecratam, liceat sumere aliam. Vnde hæc positio uitanda est, tanquam hæretica. hæc ille in .3. parte summæ suæ, quæstion. e. 75. art. 2. Sed & in 4. sent-

tent.

tent. dist. 11. q. 1. demonstrat hanc positionem, quæ ponit substantiam panis ibi remanere, post consecrationem simul cum uero corpore, esse incompetentem, huic sacramento impoßibilem, & hæreticam. Incompetentem, quod impediret *uenerationem debitam huic sacramento. Esset enim idolatriæ occasio, si substantia panis ibi remanente, ueneratio latriæ, hostiæ exhiberetur. Esset etiam contra significationem sacramenti, quia species non ducerent in uerum corpus* Christi *per modum signi, sed magis in substantiam panis. Esset etiam contra usum sacramenti, quia iam cibus iste non esset purè spiritualis, sed etiam corporalis. Sed quod sit impoßibilis, patet ex hoc, quod impoßibile est aliquid esse alicubi, ubi prius non erat, nisi uel per loci mutationem, uel per alterius conuersionē in ipsum, ut dictum est: & etiam impoßibile est, aliquid esse nunc, quod priùs non fuit, nihil ipso mutato, uel aliquo in ipsum.* Nec *posset etiam per miraculum fieri, sicut quod esset animal rationale, mortale, & quod non esset homo.* Q*uod autem sit hæretica, patet ex hoc, quòd contradicit ueritati scripturæ.* Non enim *esset uerum dicere: hoc est corpus meum, sed hic est corpus.*

Porrò mirum est ualde, aduersarios hanc mutationem uel conuersionem (quam Ecclesia

Catholica Transsubstantiationem appellat) nolle credere, quum diabolus eorum pater eam pos
Matth. 4. sibilem crediderit, quando dixit ad Christum. Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Si enim non credidisset id posse fieri, nimirum ut substantia lapidis, mutaretur in substantiam panis, & hoc à filio Dei, frustra illi hoc propo
Iacob. 2. suisset. Ecce dæmones credunt & contremiscunt, & hoc quod diabolus credidit, aduersarij credere recusant. Quo ergo loco habebuntur in inferno, nisi resipiscant, & hanc Transsubstantiationis fidem unà nobiscum confiteantur? Certè non meliore loco, quàm diabolus
2 Tim. 2. ipse à quo captiui tenentur ad ipsius uoluntatem. Sed det illis Deus pœnitentiam, ad cognoscendam ueritatem, ut resipiscant à diaboli laqueis. Amen. Denique ex præmissis perspicuum esse credimus, Transsubstantiationis dogma, nec recens esse inuentũ, nec pugnare cum sacra scriptura, nec proficisci ex sophistica doctrina. Nam quamuis hoc nomen in Concilio Lateranensi sit priùs introductum, res tamen quæ per nomen hoc significatur, semper credita fuit à patribus, & tota Ecclesiæ successione. Et licet Euangelistæ Transubstantiationis uocabulum non posuerint, conscripserunt tamen uerba Christi dicentis. Hoc est corpus meum. Qui quod ore protulit, etiam re ipsa exhibuit. Dixit

xit enim esse corpus suum, & non panem. Vnde *meritò saltem Transsubstantiationis rem, licet non nomen crediderunt.* Vnde *non solùm nõ pugnat cum sacra scriptura, sed eidem ualde congruit, in qua tam uarias & admirabiles conuersiones legimus, ut per eas ad hanc, omnibus alijs mirabiliorem manu ducamur.* Denique *neque proficiscitur ex sophistica doctrina, sed ex doctrina sana patrũ &* Ecclesiæ, *quæ suo decreto determinauit & aptißimo uocabulo expreßit, quod patres per singulos ætatis gradus, unanimi consensu, semper docuerunt.* Quod *iam ostendendum erit testimonijs eorundem.* Quo*rum licet plurima producere possemus in medium, quibus* Transsubstantiationis *comprobatur fides, nos tamen hoc loco non omnia, sed quædam tantùm, quæ manifestiora ac apertiora sint subijciemus.* Exod. 14.

Itaque *præter uerba* Abrosii, *superiùs adnotata ex capite nono libri de* Mysterijs *initiandis, nunc adscribenda sunt uerba eiusdem, quæ scripsit libro quarto de* Sacramentis, *capite quarto.* Hoc *astruamus (inquit) quomodo potest qui panis est, corpus esse* Christi *consecratione?* Consecratio *igitur quibus uerbis est, & cuius sermonibus?* Domini IESV. Nam *reliqua omnia quæ dicuntur, laus* Deo *defertur, oratiõe petitur pro populo, pro regib⁹, pro cæ* Amb.

teris. Vbi uenitur ut conficiatur uenerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo *sermo* Chri*sti conficit sacramentum. Quis sermo Christi?* Nempe *is quo facta sunt omnia.* Iu*ßit* Do*minus, & factum est cœlum.* Iu*ßit* Dominus, *& facta est terra.* Iu*ßit* Dominus, *& facta sunt maria.* Iu*ßit* Dominus, *omnis creatura generata est. Vides ergo, quàm operatorius sit sermo Christi? Si ergo tanta uis est in sermone* Domini Ie*su, ut inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius est,* vt sint quę erant, & in aliud commutentur? *Cælum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem, ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.* Ergo *tibi ut respondeã,* non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem, dico tibi, quod iã corpus est Christi. *Ipse dixit & factũ est, ipse mãdauit & creatum est. Tu ipse eras, sed eras uetus creatura: posteaquam consecratus es, noua creatura esse coepisti. Vis scire quàm noua creatura?* Omnis *(inqt) in Christo noua creatura.* Accipe ergo quẽadmodũ sermo Christi creaturã omnẽ mutare cõsueuerit, & mutat quãdo vult instituta naturæ. *Quomodo requiris? Accipe, & primò omniũ de generatione eius sumam⁹ exemplum. Consuetudo est, ut non generetur homo, nisi*

nisi ex uiro & muliere, & consuetudine coniugali. Sed quia uoluit Dominus, qui hoc elegit sacramentū, de spiritu sancto ex uirgine natus est Christus, hoc est, mediator Dei & hominū, homo Christus Iesus. Vides ergo, quia contra instituta & ordinē, homo est natus ex uirgine? Accipe aliud. Vrgebatur populus Iudæorū ab Aegyptijs, interclusus erat mari, diuino imperio uirga Moyses tetigit aquas, & se unda diuisit, non utiq; secundū suæ naturæ cōsuetudinem, sed secundū gratiā cælestis imperij, &c. Exod. 14. *Nā hæc exēpla, & ea quæ sequuntur, ex cap. 15. Exod. de ligno proiecto in fluuio Marath. & 4. Reg. 6. de ferro securis, quod in aquas ceciderat: etiam superiùs ipsius uerba posuimus, ex loco suprà citato. Tandem autem subijcit dicens. Ex his igitur omnibus non intelligis, quantum operetur sermo cælestis? Si operatus est in fonte terreno,* si operatus est sermo cęlestis in alijs rebus, non operatur in cælestibus sacramētis? Ergo didicisti, quòd ex pane corpus fiat Christi, & q̄ uinū & aqua in calicē mittitur, sed fit sanguis consecratione uerbi cælestis. *Sed fortè dicis. Speciē sanguinis non uideo, sed habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit, & pretiū tn̄ operetur redēptionis. Didicisti, quia q̄ ac-*

cipis corpus est Christi. Et *ca.5. Anteq̃(inqt) cõsecretur, panis est, ubi aũt uerba Christi accesserint, corpus est Christi. Accipite & edite ex eo oẽs, hoc est corpus meũ.* Et *ante uerba Christi, calix est uini & aquæ plenus, ubi uerba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebẽ redemit.* Ergo *uidete, quantis generibus potens est sermo Christi uniuersa conuertere.* Deinde *ipse dominus Iesus testificatur nobis, quòd corpus suum accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de eius fide & testificatione dubitare?* Et *in oratione præparatiua ad missæ celebrationem. Quanta(inquit) cõtritione istud diuinũ & cæleste sacrificium est celebrandũ,* vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summis ima iungũtur, *ubi adest præsentia sanctorum angelorũ? & cætera. Irenæus lib.4.c.34.* Quẽadmodũ(inquit) q est à terra panis, percipiẽs vocationẽ Dei, iã non communis panis est, sed Eucharistia, &c. *Quibus uerbis apertè docet, panẽ communem percepta uocatione* Dei, *non iã communem panem, sed* Eu*charistiã esse. Cyprianus in sermone de Cœna* Domini. *Cœna(inquit) dispositia, inter sacramẽtales epulas, obuiarunt sibi instituta antiqua & noua, & consumpto agno, quẽ antiqua traditio proponebat, incõsumptibilẽ cibum magister apponit discipulis, nec iam ad elabo-*

Cyprianus

rata impensis & arte conuiuia populi inuitantur,sed immortalitatis alimonia datur, à cõmunibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciẽ,sed virtutis diuinæ inuibilis efficientia probãs adesse præsentiã. *Significata olim à tẽpore Melchisedech prodeunt sacramenta,& filijs Abrahæ facientibus opera eius,summus sacerdos profert panẽ & uinũ.Hoc est(inquit)corpus meũ.Manducauerant & biberant de eodẽ pane,secundum formam uisibilem,* sed ante verba illa, cibus ille communis,tantùm nutriendo corpori commodus erat,& vitæ corporalis subsidiũ ministrabat.Sed ex quo à Domino dictum est,hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea,& hic est sanguis meus,quotienscunq; his verbis & hac fide actum est, panis iste substantialis,& calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis vitam *salutemq; proficit, simul medicamentũ & holocaustum,ad sanandas infirmitates,& purgandas iniquitates existens.* Manifestata est etiam spiritualis cibi distantiam, aliud fuisse quod priùs est appositum & consumptum, aliud quod à magistro datum est & distributum. *Et post aliquanta. Panis iste communis (inquit) in carnem & sanguinem mutatus, procurat uitam et incrementum*

Matt 26. Marci. 14. Lucæ 22.

corporibus, &c. Et post pauca. Panis iste (ait) quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi, factus est caro: & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita Sacramento visibili, ineffabiliter diuina se infudit essētia, vt esset religioni circa Sacramenta deuotio, &c. *Eusebius Emissenus: Verè (inquit) unica & perfecta hostia, fide æstimanda non specie, neq; exteriori cēsenda uisu, sed interiori affectu. Vnde cœlestis cōfirmat autoritas, quia caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui autor est muneris, ipse est etiam testis ueritatis.* Nam inuisibilis sacerdos, visibiles creaturas, in substantiā corporis & sanguinis, sui verbi secreta potestate conuertit, ita dicēs: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, & sanctificatione repetita, accipite & bibite ait, hic est sanguis meus. Ergo sicut ad nutū præcipientis Domini, repentè & ex nihilo substiterūt excelsa cælorum, profunda fluctuum, uasta terrarum, ita parē potestatem in spiritualibus Sacramentis, uerbi præbet uirtus, & rei seruit effectus.* Quanta itaq; & quàm celebranda beneficia, vis diuinæ benedictionis operetur, quomodo tibi nouum & impossibile

Eusebius Emissenus.

esse

esse non debeat, quòd in Christi substantiam, terrena & mortalia conuertuntur, *teipsum qui in Christo es regeneratus interroga, &c.* Et iterum. *Quid mirũ est (inquit) si ea quæ uerbo potuit creare, uerbo possit creata* cõuertere? *Imò non minoris uidetur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur*, iam conditum, in melius valeat commutare.

Hesychius in Leuiticum lib.6.c.22. Sanctificationem (inquit) mystici sacrificij, & à sensibilibus ad intelligibilia translationem siue commutationẽ, ei qui uerus est sacerdos, uidelicet Christo, oportet dari, id est, ipsum de eis miraculum credere & imputare, quia per eius virtutem, & prolatum ab eo verbum, tam sanctificata sunt, quàm cunctum carnis excedãt sensum. Hesychius

Hieronymus: Nos *(inquit) audiamus panẽ, quem fregit* Dominus, *deditq́; discipulis suis, esse corpus Domini saluatoris, ipso dicẽte ad eos. Accipite & comedite, hoc est corpus meum, & calicem illum esse, de quo item loquutus est. Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur, &c.* Et in *epist. ad Theophylum Alexandrium Episcopum. Legimus in Euãgelio. Si offers munus tuum ad altare, &c. Si munera nostra, absq; pace offerre non possumus, quantò magis & Christi corpus accipere? Qua conscientia ad Euchari-* Hiero.

ſtiam Chriſti accedam, & reſpondebo Amē, cum de charitate dubitem porrigentis. Et in lib. Apologetico ad Pammachium, repetit quod in lib. 1. contra Iouinianum dixerat. Quale illud bonum eſt, quod corpus Chriſti accipere non permittit? Ad hoc breuiter reſpōdebo. Quid eſt maius, orare, an corpus Chriſti accipere? Vtiq; accipere corpus Chriſti. Si per coitū quod minus eſt impeditur, multò magis, quod maius eſt. Et pòſt pauca. Sciò Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, &c. Et ſtatim. Sed quòd dum doleo, me non communicaſſe corpori Chriſti, abſtineam me pauliſper ab uxoris amplexu, &c. Ecce ubiq; appellat Euchariſtiā eſſe corpus Chriſti, & dicit panē quē fregit Dn̄s, & dedit diſcipulis, eſſe corpus ſaluatoris.

Chryſoſtomus in homil. de Proditione Iudæ. Sed nos (inquit) ad terribilem menſam, cum debita reuerentia, cum congrua uigilantia opportunum tēpus inuitat, &c. Et nunc ille præſtò eſt Chriſtus, qui illam ornauit menſam, ipſe iſtam quoq; conſecrat. Non enim homo eſt, qui propoſita de conſecratione mēſæ Dn̄i, corpus Chriſti facit & ſanguinem, ſed ille qui crucifixus ꝓ nobis eſt Chriſtus. Sacerdotis ore verba proferūtur, & Dei virtute conſecrātur & gratia. Hoc eſt (ait) corpus meū, hoc verbo ꝓpoſita cōſecrantur. *Et ſicut illa*

Chryſ.

uox quæ dicit. Crescite & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tēpore sentit effectū ad generationem operante Gen 1.
naturæ: ita & vox illa semel quidē dicta est, sed per oēs mēsas Ecclesiæ, vsq; ad hodiernā diem, & vsq; ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatē. *Et in Liturgia sua ita loquitur dicēs:* Benedic Dñe sanctū panē, fac panem hunc ptiosum corpus Christi tui, quod aūt est in hoc calice, pretiosum sanguinē mutans spiritu tuo sancto. *Et homil. 83. in Matthæum priùs ueritatē præsentiæ corporis Christi in Eucharistia ostendit, & monet ut credamus id ipsum, scribens in hæc uerba. Cedamus ubiq; Deo, nec repugnemus ei, etiam si sensui & cogitationi nostræ, absurdū esse uideatur quod dicit, superet & sensum & rationē nostrā quæso ipsius, quod in omnib⁹ & præcipuè in mysterijs faciamus, non illa quæ ante nos iacent solumodo aspicientes, sed uerba quoq; eius tenētes. Nā uerbis ei⁹ defraudari nō possum⁹, sensus uerò noster deceptu facillimus est. Illa falsa esse nō possunt, hic sæpius atq; sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit. Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Nihil enim sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus sensibilibus, omnia uerò quæ tradidit insensibilia sunt.*

Sic &

Sic & in baptiſmo per aquam, quæ res ſenſibilis eſt donum illud conceditur, quod autem in ea conficitur regeneratio ſcilicet ac renouatio, intelligibile quiddã eſt: Nam *ſi tu incorporeus eſſes, nudè ipſa dona incorporea tradidiſſet tibi, quoniam uerò corpori coniuncta eſt anima tua, in ſenſibilibus intelligenda tibi traduntur.* O *quod modò dicunt, uellem formam & ſpeciem eius, uellem ueſtimenta ipſa, uellem calceamenta uidere.* Ip*ſum igitur uides, ipſum tangis, ipſum comedis.* V*eſtimenta eius deſideras uidere, ipſe uerò ſeipſum tibi tradidit, non ut uideas ſolùm, uerumetiam ut tangas, & in te habeas.* H*æc, inquam, cùm ſcripſiſſet* C*hriſ. deinde ibidem pòſt aliquanto tranſmutationis meminit dicens:* Non *ſunt humanæ uirtutis hæc opera, quæ tunc in illa carne confecit, ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit, miniſtrorum nos ordinem tenemus: qui uerò hæc ſanctificat & tranſmutat, ipſe eſt.* E*adem habet homilia 60. ad populum* A*ntiochenũ.* E*t in ſermone admonitorio in* E*nceniјs.* N*um ſi ſtercus (inquit) manibus haberes, auderes appropiare fimbriæ regis?* N*ũ uides panẽ? num uinum? num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum uadunt?* A*bſit.* N*e ſic cogites.* Q*uemadmodum enim ſi cera igni adhibita illi aßimulatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit, ſic & hic puta myſteria conſumi, corporis ſubſtantia.*

Aug.

Aug. lib.3. de Trinit. cap.10. Cùm ostendere uel let, quot modis creatura assumitur, ad significandum, tandem ait. Aliquando ad hoc fit *eadem species, uel aliquantulum mansura, sicut potuit serpens ille æneus exaltatus in eremo, sicut possunt & literæ, uel peracto ministerio transitura,* sicut panis ad hoc factus, in accipiendo Sacramento consumitur. E*t iterum ibidem.* I*nfantes non nouerunt, quod in altari ponitur, & peracta* pietatis celebratione consumitur, *unde, uel quomodo conficiatur, unde in usum* Religionis *assumatur.* Et *si nunquam discant experimento uel suo uel aliorum, & nunquàm illam speciem rerum uideant, nisi inter celebrationes* Sacramentorum, *cũ effertur & datur, dicaturq; illis autoritate grauissima, cuius corpus & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omnino in illa specie,* D*ominum oculis apparuisse mortalium, et de latere tali percusso, liquorem illum omnino fluxisse.*

I*terum* A*ugustinus sermone* 28. *de uerbis* D*omini.* M*emini (inquit) sermonis mei.* C*um de* S*acramentis tractarem, dixi uobis, quòd antè uerba* C*hristi, quod offertur, panis dicatur, ubi* C*hristi uerba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.* E*t in sermone ad infantes.* H*oc quod uidetis in altari* D*ei, etiã transacta nocte uidistis, sed quid esset, quid sibi* August.

uelit,

uelit, quàm magnæ rei Sacramentum cõtineret, nõdum audistis. Quod ergo uid stis, panis est & calix, quod uobis etiam oculi uestri nenunciãt, quod aũt fides uestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix est sanguis. Et *lib.* 3. de Trinit. *cap.* 4. *Si Apostolus Paulus, quamuis adhuc portaret sarcinam corporis, quod corrumpitur & aggrauat animam, quamuis adhuc ex parte & in ænigmate uideret, optans dissolui & esse cũ Christo, & in semetipso ingemiscẽs adoptionem expectans redemptionem corporis sui, potuit tamen significando prædicare* Dominum Iesum *Christum, aliter per linguam suam, aliter per* Epistolam*, aliter Sacramentum corporis & sanguinis eius.* Nec *linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua æditos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi, & sanguinem dicimus*, sed illud tantum quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, ritè sumimus ad salutem, *in memoriã pro nobis dominicæ paßionis.* Quod cùm per manus hominum, ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur vt sit tam magnum Sacramentum, nisi operante inuisibiliter spiritu Dei, cum hæc omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur,

peretur, *mouens primitus inuisibilia ministrorum, siue animas hominum, siue occultorum spirituum, sibi subditas seruitutes.* Et *lib.* 20. *contra* Faustum *c.*13. *Noster panis & calix (inquit)* certa consecratione *mysticus fit nobis, non nascitur.* Et *in lib.* Sen. Prosperi, & *citatur* De cons. dist. 2. c. *Nos autē in specie panis & uini, quam uidemus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus, nec similiter comprehēdimus has duas species, quemadmodū ante cōsecrationem comprehendebamus, quum fideliter fateamur, ante consecrationem panem esse & uinum quod natura formauit, post consecrationem uerò carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit.* Basilus Magnus *in* Liturgia *sua, precatur in hæc uerba: Fac panem hunc, ipsum preciosum corpus* Domini & *seruatoris nostri* Iesu *Christi, hunc calicem, ipsum preciosum sanguinem* Domini Dei & *seruatoris nostri* Iesu *Christi* mutans spiritu tuo sancto. *hæc ille.* *Qui non aliam proculdubio mutationē fieri orat, quā substātiæ panis & uini, in corpus & sanguinem* Domini.

Cyrillus lib. 4. *in* Ioannem *c.* 13. *disputans contra* Iudæos *litigantes & dicentes:* *Quō potest hic nobis dare carnē suam ad manducandū? scribit in hæc uerba. Si tu ô* Iudæe, *quō etiam nunc clamas, hanc tuam imperitiam ego quoq; sequutus*

sequutus libenter, quomodo ex Aegypto exiuisti, rogabo, quomodo in serpētem Mosaica fuit uirga conuersa? quomodo lepra manus affecta, uno momento temporis in pristinum statum restituta iterum fuit? quomodo in naturam sangui nis aquæ transierunt? quomodo patres tui per media maria ut per aridam effugerunt? quomodo per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit? quomodo è lapide fontes aquarum fluebant? quomodo stetit Iordanis? quomodo so lo clamore inexpugnabilis Hiericho cecidit? Innumerabilia sunt, in quib⁹, si quomodo quæris, uniuersam euertere tibi scripturā necesse erit, Prophetarum doctrinam, & ipsius Moysi scripta contemnere. Quare credidisse Christo potius uos oportuit, & si quid arduum uidebatur, ab eo humiliter petere, quàm ueluti temulentos exclamare. Quomodo potest hic nobis suam car nem dare.

Euthimius in Orthodoxæ fidei dogmatica panoplia, parte secunda, titulo 21. recenset de transmutatione Dominici corporis & san guinis Gregorij Nissæni sententiā in hæc uerba. Rectè nunc Dei verbo sanctificatum panē, in Dei verbi corpus, credimus immutari. *Etenim corpus illud, panis erat potentia, sancti ficatum est autē habitatione uerbi, quod in carne habitauit. Itaq; qua ex causa panis in eo cor*

pore

pore mutatus, in diuinam uirtutem trāsiit, eadē de causa, nunc etiam idem fit. Vt enim illic uerbi Dei *gratia sanctum effecit illud corpus, cuius firmamentum ex pane cōstabat, & ipsum etiam quodammodo panis erat, sic etiam hic panis (ut ait* Apostolus*) per uerbum* Dei *& orationem sanctificatur, non quia commeditur, eò progrediens, ut uerbi corpus euadat*, sed statim per uerbum in corpus mutatur, vt dictum est, à verbo, *quoniam hoc est corpus meum. Caeterum cùm omnis caro etiam per humidum nutriatur, neq; enim sine humidi coniunctione, quod in nobis humidum est, in uita potest permanere, quemadmodum per solidum firmumq; cibū, corporis soliditatem confirmamus, sic etiam humidum ex natura simili adaugemus, quae cùm in nobis est, à facultate alteratiua sanguis efficitur, praesertim si per uinum eam accipiat uim, ut in calidū conuertatur. Quare cū diuina illa caro, partem etiā hāc ad se sustentandā acceperit, Deus autem, qui nobis se patefecit, idcirco naturae mortali seipsum coniunxerit, ut eam coniunctione sua diuinam redderet*, ideò cunctis credentibus gratiae dispensatione seipsum impertit per carnem, quae ex vino & pane cōstituitur, fideliumq; corporibus coniungitur, vt ea coniunctione cùm in mortali, homo etiā immortalitatis particeps fiat. Haec

autem tribuit uirrute benedictionis, in illud, rerum, quæ videntur, naturam mutás. *hactenus ille.*

Euthimius. Idem *Euthimius in Matthæū cap. 64. postquam interpretatus fuisset, quare hoc mysterium dicatur participatio & communio, statim subintulit dicens. Et sicut non aliud corpus & sanguis fiunt, à corpore & sanguine eius qui participat, ita rursum neq; aliud corpus & sanguinem dicimus, à corpore & sanguine domini.* Hoc *est enim corpus meum inquit.* Et *rursus. hic est sanguis meus.* Est *autem supernaturale uerbum*. Et quamuis magnus Basilius, ex-

Basilius. emplaria hæc esse dixit, hoc tamen est priusquam sanctificentur, & gratiam accipiant. Vide autem, quomodo è naturalibus, supernaruralia fiant. Naturalis siquidem cibus est ac potus panis ac vini, quæ proponuntur, supernaturalis verò, efficax horum operatio. Et *iterum, Sicut (inquit) uetus testamentum hostias & sanguinem habebat, ita sanè & nouum corpus, uidelicet, & sanguinem domini.* Non dixit autem, hæc sunt signa corporis & sanguinis mei, *sed hæc sunt corpus meum & sanguis meus*. Oportet ergo non ad naturam eorum, quæ proponuntur aspicere, sed ad virtutem eorum. Qem admodum enim supernaturaliter assumptam

ptam carnem deificauit (si ita loqui liceat) ita vt hæc ineffabiliter transmutat, in ipsum viuificum corpus suum, & in ipsum pretiosum sanguinem suum, & in gratiam ipsorum. *Gregorius. Bonus pastor (inquit) animam suam pro ouibus suis posuit, ut in sacramẽto nostro,* corp⁹ suum & sanguinem verteret, *& oues quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret,*

Ioannes Damascenus lib. 4. Orthodoxæ fidei capite. decimo quarto. Natiuitas (inquit) per aquam nobis & spiritum donata est, per sanctum dico baptisma. Cibus uerò ipse panis uitæ, dominus noster Iesus Christus, qui ex cœlo descendit. Nam suscepturus uoluntariam pro nobis mortem, in nocte, in qua seipsum obtulit, testamentum nouum deposuit, sanctis discipulis & apostolis, & per ipsos omnibus alijs in ipsum credentibus. In cænaculo igitur sanctæ & gloriosæ Sion, antiquum pascha cum discipulis manducans, & implens antiquum testamentum, lauauit discipulorum pedes, signum sancti baptismatis præbens. Deinde frangens panem dedit illis dicẽs. Accipite, comedite, hoc est corp⁹ meũ, quod pro uobis frãgetur in remißionem peccatorum. Similiter accipiẽs calicem ex vino & aqua, *tradidit illis dicens. Bibite ex hoc oẽs. hic meus est sanguis noui testamenti,*

Damascenus.

Matt. 26.

Ioan. 13.

qui pro uobis effundetur in remißionem pecca-
torum. Hoc facite in meam commemorationem.
1.Cor 11. *Quotienscunq; enim manducabitis panem hunc,*
& calicem hunc bibetis, mortem filij hominis an
nunciatis, & resurrectionem eius confitemini do
Heb.4. *nec ueniat. Si igitur uerbum* Dei *uiuens est &*
Psal. 134. *efficax, & omnia quæcunq; uoluit* Dominus *fe-*
Gen. 1. *cit, si dixit, fiat lux, & facta est lux, fiat firma-*
Psal. 32. *mentum, & factum est, si uerbo* Dei *cœli firma-*
ti sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum,
si cœlum & terra, aqua, ignis, & aër, & omnis
ornatus eorum, uerbo Domini *perfecta sunt, &*
homo ipse ubiq; diuulgatū animal, si uolens ipse
Deus *uerbum, factus est homo, & ex sanctæ uir-*
ginis purißimis & illibatißimis sanguinibus, in
seipso sine semine carnem sustentauit, non potest panem suijpsius corpus facere, & vinū & aquam sanguinem? Dixit in principio,
Gen. 1. producat terra herbam virentem, & vsque nunc pluuia facta producit germina, diuino coaduita & vigorata præcepto. Dixit Deus. Hoc est corpus meum, & hic meus est sanguis, & hoc facite in meam commemorationem, & omnipotenti eius præcepto, donec veniat, efficitur. *Sic enim dixit,* Donec *ueniat. Et fit pluuia nouæ huic agricul-*
Matt. 26. *turæ, per inuocationem spiritus sancti obum-*
brans uirtus. Nam *quemadmodum omnia quæ-*

cunq;

cunq; fecit Deus, Spiritu sancto operante fecit, sic & nunc Spiritus sancti operatione hæc super naturam operatur, quæ non potest capere nisi sola fides. Quomodo fiet mihi istud, dicit Sancta Virgo, quoniam uirum non cognosco? Respondet Gabriel Archãgelus. Spiritus sanctus superueniet in te, & obumbrabit tibi. Et nũc interrogas, quomodo panis fit corpus Christi, & vinum & aqua sanguis Christi? Respondeo tibi & ego. Spiritus sanctus obumbrat, & hæc operatur super sermonẽ & intelligẽtiam, panis autem & vinũ transsumuntur. *Nouit enim Deus humanam infirmitatem, quòd complura usu non trita, auersatur, molestè ferens. Assueto igitur condescensu usus, per consueta naturæ ea facit, quæ sunt super naturam. Et quemadmodum in baptismate, quia consuetudo hominibus est aqua lauari, & oleo ungi, coniunxit oleo & aquæ gratiam Spiritus sancti, & fecit illud lauachrum regenerationis. Hunc in modũ, quia mos hominibus est, panem manducare, & uinum & aquam bibere)* coniunxit his ipsis suam diuinitatem, & fecit hęc suum corpus & sanguinem, *ut per assueta, & quæ secundum naturam, in ijs quæ sunt super naturam collocemur.* Corpus enim secundum veritatem coniunctum est diuinitati, quod ex sancta Virgine corpus est, non quod i- Luc. 1.

psum corpus assumptum ex cœlo descenderit, sed quòd ipse panis & vinum, transmutatur in corpus & sanguinem Dei. *Si autem modum requiris, quònam pacto fit, sat tibi sit audire, quoniam per spiritum sanctũ, quemadmodum ex sancta deipara, seipso & in ipso, dominus carnem sustentauit.* Et *nihil amplius cognoscimus, quã quod uerbum* Dei *uerũ sit, & efficax & omnipotens, modus autẽ inscrutabilis.* Neq; *& hoc etiã dictu promptũ, quomodo naturaliter per cõmestionẽ panis, & uinum & aqua per potionẽ, in corpus & sanguinẽ cõmedentis & bibẽtis trãsmutatur, et non fit aliud corpus præter id, quod priùs erat ipsius.* Sic & propositionis panis. vinumq; & aqua, per inuocationem & aduentum spiritussancti supernaturaliter transmutatur, in corpus & sanguiné Christi, & nõ sunt duo, sed vnũ & idẽ. *Hactenus ille, qui etiã ut tropicã excluderet intelligentiam, ibidem sic inquit* Non *est figura panis & uinum corporis & sanguinis* Christi *(absit enim hoc) sed est ipsum corpus domini deificatum, ipso domino dicente, hoc est meum, non figura corporis, sed corpus, & non figura sanguinis, sed sanguis.* Et *ante hoc ipsis* Ioan.6.c. *Iudæis, quoniam nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam æternam. Caro mea uerè est cibus, et sanguis*

sanguis meus uerè est potus. Et rursus. *Qui manducat me, uiuet*. Et post aliquanta. *Exemplaria futurorum dicuntur, non ut non existentia uerè corpus & sanguis Christi, sed quoniam nunc quidem per ipsa participamus Christi diuinitate, tunc autē intellectualiter, p solā uisionē*. Theophilactus in 26. cap. Matthæi scribit in hæc uerba. *Porro dicens, hoc est corpus meū, ostendit quòd ipsum corpus Domini est panis, q sanctificatur altario, & non respondens figura*. Nō enim dixit, hoc est figura, sed hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiam si nobis uideatur panis, *quoniam infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem, & ideò panis quidem apparet, sed caro est*. Et in 14. cap. Marci, ait. *Qum benedixisset, hoc est, gratias egisset, fregit panem, id quod etiam nos facimus preces adiungendo*, hoc est corpus meum, hoc inquam quod sumitis non enim figura tātum & exemplar quoddam Dominici corporis panis est, sed in illum conuertitur corpus Christi. *Domin⁹ enim dicit. Panis quē ego dabo, caro mea est, nō dixit figura carnis meæ, sed caro mea est*. Et iterū: *Nisi ederitis carnem meam*. Et in 6. cap. Ioan. circa illa uerba. *Ego sum panis ille uitæ, &c. inqt. Attēde aūt, quod panis q à nobis in mysterijs*

Theophylactus.

manducatur, non est tantùm figuratio quædam carnis Domini, *sed ipsa caro* Domini. Non enim *dixit, panis quem ego dabo, figura est carnis, sed caro mea est*. Transformatur enim arcanis uerbis, panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem sancti spiriti tus, in carnem Domini. *Et ne quem conturbet, quod credendus sit panis caro*, Etenim *& in carne ambulante* Domino, *& ex pane alimoniã admittente, panis ille qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentum & sustentationem conferebat, iuxta humanũ morẽ*. Igitur & nũc panis, in carnem Dñi mutatur. *Et quõ (inquit) non apparet nobis caro, sed panis? ut non abhorreamus ab eius esu*. Nam *siquidem caro apparuisset, insuauiter affecti essemus erga communionẽ*. Nunc *autẽ condescendente* Dño, *nostræ infirmitati, talis apparet nobis mysticus cibus, qualibus alioqui assueti sumus*. *Et iterum in 14. capite* Marci *post uerba paulò antè citata. Et quomodo (inquit) caro non uidetur? O homo, propter nostram infirmitatem istud fit. Quia enim panis quidem & uinum, ex his sunt quibus assueuimus, ea non abhorremus, sanguinem uerò propositum & carnem uidentes, non ferremus, sed abhorreremus, idcirco misericors* De⁹, *nostræ infirmitati cõdescendẽs*, speciẽ qdẽ

panis

panis & uini seruat, in uirtutem autem carnis & sanguinis transelementat Et in 11. cap. *prioris epistolæ ad Corinth.. tam manifestis uerbis præsentiam Christi confitetur, ut illam solam sufficere putet, ad deterrendos homines, ne tanto mysterio aliquid indignum admittant, dicens Non diiudicans corpus domini, hoc est, nil prius disquirens, uel internoscens præsentis mysterij magnitudinem. Nam si certiores essemus, qui suam, & quantus sit ille, qui nobis in conspectu adiacet, nulla ferme rei alterius ope indigeremus. Sed solus ille & continentiam nobis. & uigilantiam comparet.*

Bernardus in sermone quodam de cœna domini, qui incipit. Panem angelorum, &c. Hostia (inquit) quam vides, iam non est panis, sed caro mea, quæ pependit in cruce pro mũdi uita. Sanè mutatio ista benedictiõis opus est, non originis. Virtus hoc facit, nõ vsus, effectus est potentiæ nõ vsus naturæ dignatio est, non ratio, *misericordia est, non miseria, non commune, sed solùm, diuinum est. non humanum, pietatis sacramentum, non deitatis detrimentum: hic pereat physicale nutrimentum. Cibus iste non est uentris, sed mentis. Non est enim datus ad ruinas huius uitæ, quæ uapor est ad modicum parens, sed ad æternam uitam animæ conferẽdam. Iste est panis angelorũ,* Bernardus.

qui nescit putrescere, non uadit in secessum, sed
Ioan. 6. *tendit in excelsum. Illuc reducit hominem, unde traxit imaginem. Caro autẽ mea, uerè est cibus. Similiter liquor iste quẽ uides, iã non est uinum, sed sanguis meus, quẽ pro te effudi in pretiũ, & c. Sanguis aũt meus uerè est potus. Mira sunt fratres, quæ de Sacramẽto isto dicũtur. Fides est necessaria, scientia rationis supuacua. Scientia, ratione & intellectu colligitur, fides sola autoritate inducitur.* Augustinus contra Felicianũ. *Hoc*
August. *fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non inuentum, putet incredibile, aut repertum, non credat singulare. Hæc sunt fratres, quæ fidẽ necessariò exigunt, rationem omnino non admittunt. Expetunt simplicem creditorem, arguunt impium discussorem. Et ideo credi oportet simpliciter, quod inuestigari nõ potest utiliter. Hic est ille torrens, quem transuadare nõ potuit Helisæus. Nolite, nolite itaq; quærere, quomodo fiat, nolite dubitare utrũ fiat. Nolite irreuerenter accedere, ne uobis ad mortem fiat. Deus enim est.* Et quanq̃ panis mysteria habeat, mutatur tamẽ in carnem. Deus & homo est qui testatur, panẽ veraciter fieri carnẽ suá. *Vas electionis est, qui minatur iudicium, non dijudicanti tàm sanctam carnem. Idipsum ô Christiane de uino sentias, id honores in uino.* Creator vini est, & qui vinum prouehit in sangui-

nem Christi. *Doctor gentiũ est, cuius assertione mortem bibit, bibens indignè sanguinẽ Christi. Et iterum. Odor, species, sapor, pondus, remanẽt, ad ministerij ritũ, et ad gustus suffragiũ, ut horror penitus tollatur, & meritũ sortiatur, Etenim ne humana infirmitas, esum carnis & potũ sanguinis, in sumptione horreret, Christus uelari & palliari illa duo uoluit, specieb⁹ panis & uini, quæ inter humani generis uictualia, quodã modò tenent principatum. Nam ad literam quidem, præ cibis omnibus, cor hominis confirmat panis, & uinum lætificat. Sic itaque corpus & sanguinem suum sumenda proposuit, ut sensus in uno foueretur, in altero fides ædificaretur. Fouetur enim sensus in uno, dum solita tãtùm et consueta prospicit, ædificatur fides in altero, dũ oculo carnis uidente, aliud exteriùs, oculis cordis aliud sentit & reueretur interiùs. Aliud enim latet, aliud patet. Posuit enim tenebras latibulum suum.* Quemadmodùm enim species illic videntur, quorum res vel substantiæ, ibi esse non creduntur, sic res veraciter & substãtialiter creditur, cuius species nõ cernitur. Videtur enim species panis & vini, & substantia panis & vini non creditur. Creditur autem substantia corporis & sanguinis Christi, & tamen species non cernitur *proponitur igitur species panis* Psal. 17.

& ui-

& uini, ut doceatur plena & perfecta esse refectio in sumptione corporis & sanguinis Christi, plena refectio cibi & potus. Cibi autem & potus substantiæ principales, sunt panis & uinum, &c.

Rupertus. Rupertus abbas Tuitiensis in 26. cap. Matthæi de gloria & honore filij hominis, lib. 10. *Magna (inquit) in isto sacramento tentatio Dei est, tentatio quærens fidem, ad euacuandam perfidiam, quam tentatio diaboli in primis hominibus inuenit, quibus uetitum comedere persuasit. Est autem fides (ait Apostolus) sperandarum substantia rerũ, argumentũ nõ apparentiũ. Oportebat ergo nõ apparere res, ut locum haberet substantia hæc, res inquam id est, carnem & sanguinem non apparere oportebat, non solùm ne sensus nostros comedentium atq; bibentiũ naturali offensione offenderent, quibus humanã carnem manducare uel dẽtibus terere, sanguinẽq; humanum bibere, neq; piũ, neq; naturæ amicum est, uerumetiam ut locum haberet, hæc sperandarum substantia rerum, hoc argumentũ rerum non apparentium, scilicet fides, in qua testimonium (ait idem Apostolus) consecuti sunt senes. Deniq; si omnes respicias senes, id est, antiquos Patres, quibus testimonium sancta perhibet scriptura, quòd fuerint fideles, quosq; Apostolus ibidem enumerat, sententiam hanc ue-*

Heb 11.

Ibidem.

ram interferens. Sine autem (ait) fide impoßibile est placere Deo, *omnium illorum fidem probatam inuenis, circa res illas quæ nō apparebāt, quas ipsi non iam uidere, sed tantùm sperare poterant, quarum etiam aliquæ, non solùm non apparebant, sed & supra naturam erant.* In hoc *itaq; sacramento, cum sit opus magnæ atq; ineffabilis misericordiæ miro nihilominus iudicio, miranda tentamur ueritate, ut manifesti fiant hi quorum est fides, quibus salua iudicij rectitudine, misericordia, condonare debeat morsus illos ligni uetiti, quos momordit mulier & dedit uiro suo, mala in* Deum *suspitione, peruersa & nimia circa serpentem credulitate.* Nónne *creditum ibi fuit, quod non apparebat, quod non uidebatur?* Nunquid *oculis uidebant in illo fructu ligni, uirtutem tantæ rei effectiuam, quam serpens promisit dicens.* Eritis *sicut dij?* Et *quidem nec illa mors apparebat, aut uideri poterat oculis, quàm interminatus fuerat* Deus, *dicens.* In *quocúnque die comederis ex eo, morte morieris, sed credere oportuisset* Deo *creatori, fideli in oībus quæcūq; dixit, creditū aūt fuit, nō creatori, sed serpēti, nō* Deo, *sed diabolo.* To*tū illud sacrilegiū p istud emēdatur sacramentū, in illis q credūt, & credētes pcipiūt, in fide humiles, et in humilitate fideles, ac proinde illis parentibus longè dißimiles, cum illi promissum* Gen.2.

illud

illud audierint in pretium præuaricationis. Eri*tis ſicut dij, ſuperbi & malè creduli, ac proindè malè creduli, quia ſuperbi*. Iſti *autem uocem humilitatis audiunt in myſterio ſiue annunciatione mortis eius*. Vos *amici mei eſtis, manente in me, & ego in uobis*. Quantò *enim ſuauior*
Ioan 15.
eſt hæc uox. Qui *manducat carnem meam, &*
Ioan 6.
bibit ſanguinem meum in me manet, & ego in illo, aut illectione dilectione illa, quam ſerpens ſuſurrauit. Comedite *& eritis ſicut dij? qui utiq; de ſuo nõ dabat, ſed rapinã facere ſuadebat, hic autem non qualecunq; ſuũ, ſed ſuam carnem, & ſuum ſanguinem dat*. In *illis qui non credunt, & non credentes, ore tamen Sacramentum percipiunt, cibus & potus iſte operatur iudicium, quia tentati reprobi inuenti ſunt, eo ipſo quod ſine fide ſunt, & malè tentant* Deum. De *illis hæreticis in illo* Pſalmo *parabolarum, qui ſic inci-*
Pſal 77
pit. Attendite *populo meus legem meam, in-*
Hæretici circa hoc Sacramentum in lege præfigurati.
clinate aurem ueſtram, in uerba oris mei, aperiam in parabolis os meum, ita dictum eſt. Ad*huc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira* Dei *aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum, & electos* Iſrael *impediuit*. Eorum *namq; peccatũ eſt in eo, quod dicunt tentantes* Deum. Quoniã *percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt*. Nunquid *& panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo?* Eſt

enim

enim hic sensus. Nunquid *quia potuit* Deus *face re, ut patefacto crucifixi* Iesu *Christi latere, quod fuit percuti* Petram, *flueret aqua cũ sanguine, & implerentur scripturæ, & intelligibiles fierent, sufficerentq́; mẽtibus nostris ad bibendum, in modum torrentiũ inundantium, nũquid (inquã) quia potuit illud facere,* poterit etiam panem confectum manibus hominũ, conuertere in corpus, &vinum de palmiti bus istis in sanguinem suum? *Alioquin nisi mysterium attendas, sensus secundum literã non constat, quoniam percußit* Petram *& fluxerunt aquæ, nunc & panem poterit dare, quia uidelicet, panis iste, id est, manna secundùm historiam priùs datum est, quàm percussa petra fluerent aquæ.* Idem *quoq; lib. 6.* Ioannes. Quod *si cuiquam (inquit) impoßibile apud* Deum *esse uidetur, scilicet, ut panis, qui hoc anno creuit è terra, corpus* Christi *fiat, & quòd uinum, præsentibus expressum acinis, uertatur in sanguinẽ* Domini, *cõsequitur, ut aquam quam paulò antè de* Rheno *ac* Tyberi, *uel quolibet fonte hausit, crucis & paßionis* Christi Sacramẽto *signatam, non credat illam esse, quæ de latere eius lanceato cum sanguine fusa cucurrit, ad hoc, ut per baptismum suum lauaret nos à peccatis nostris, ut cum hoc quoq; negauerit, sit ex toto corde* Ethnicus *&* Publicanus, *sit homo* Hæreticus, *post*

primam

Tit 3. *primam & secundam admonitionem, à cunctis deuitandus. Sed illud cur non credat cùm omnis aqua, siue maris, siue fluminum, aũt fontium, cisternarum, aut paludum, omnis inquam aqua undecunq; sumpta uel producta secundum substantiam sit una? Cùm igitur undecunq; sumpta sit, crucifixi domini sacramento admota fuerit, rationi fidelium nulla dubietas subest, quin ipsa eadem sit, quã dominus noster de latere suo profudit. Quid autem secundum substantiam nisi aqua est? Aqua nempe à radicibus imbibita, per uites ascendit, & calore solis paulatim uegetata uinum fit. Item cum ex quatuor elementis homo compositus sit, sanguis utiq; in illo ex aquæ substantia est. Itaq; uinum & sanguis, ex eadẽ substantia sunt humoris, & neutri horũ ignis quoque deest elementum. Nam & sanguis calidus, et uinum feruidum est. Solummodò colore & sapore differunt, quæ profectò cum accidentia sint, nullius in diuinis artibus momenti sunt Substanstantiæ quippe, non accidẽtia, computantur & numero creaturarum. Cum igitur uino uerbum crucis & paßionis Christi accedit, quæ ratio uetat, ut non idem sanguis, qui pro multis in remisSionem peccatorum fusus est, debeat credi? An quia non colorem saporem assumit sanguinis, quemadmodum quando corrumpitur in intestinis corruptibilis hominis, et sanguis horrid⁹ uisui*

Aqua vinũ & sanguis, accidentibus differunt, nõ substãtia.

ſui quoq; fit? Nempe *incorruptibile uerbum, iamq; incorruptibilis & immortalis Chriſtus, ſic uinum ſuum ſanguinem effecit, ut rei uiſu & guſtu blandè nihil inferat corruptionis.* Nihilo *minus ſubſtantia panis quatuor elementis confe cta, multò magis cognata eſt uerè humano corpori Chriſti, quàm fuerit manna, quod in aëre iuſſu* Dei *cõcretum, ſupra caſtra* Iſrael *pariter cum rore deſcendebat.* Frumentum *de terra natum eſt, & blandis fauoribus aëris aſpiratum permaturuit, non ſine aqua, pluuia, & calore ſolis, ſed ut hoc taceã, rurſus ut fieret panis, aqua commixtum & igne decoctum eſt, & ita ſubſtantia panis peracta eſt.* Cùm *ergo panis ille uiuus, qui de cœlo deſcendit, quem pater ſignauit, cùm (inquam) eodem ſigno, quod ipſe eſt, ſignat hũc panem, qui (ut omnes nouimus) nuper creuit in terra, & ſignanter dicit.* Hoc *eſt corpus meum, & addit, quod pro uobis tradetur, & tu dicis, non eſt idem corpus?* Nempe *ſi non eſt idem corpus, ſi non eſt idem qui de cœlo deſcendit panis uiuus, non eſt hoc corpus, quod pro uobis tradetur. Sed iamdudum liquet omnibus, in quo ſenſus tu⁹ hæreat carnalis, totuſq; animalis, ideoq; non percipiens ea quæ ſunt* Dei, *uidelicet quia nec panis, nec uinum, aliquid de exteriori ſpecie mutauit, idcirco ſapere non potes, nec uis, quòd uerè factum ſit corpus et ſanguis* Ephe.6.

Domini. Consequitur ergo, ut cùm albus Episcopus te fore maurum hominem baptizauerit, non credas teipsum apud Deum factũ esse, quod est is qui te baptizauit, scilicet, quod de filio diaboli, factus sis filius Dei, de filio mortis, filius uitæ, de filio iræ, filius gratiæ sempiternæ, pro eo quòd capillus tuus niger non refloruit, facies tua totiúsque corporis cutis Aethiopica, secundùm colorem eius qui te baptizauit, non retinuit. Quod si concedere perhorrescis, ne infideli deterior sis, & mauis confiteri, quòd quãuis de exteriori specie nihil mutaueris, uerè de alio corpore diaboli, quod est omnis massa perditorum, in aliud corpus Christi, quod est Ecclesia transferis, crede & hoc, quia panis visibilis & vinum, quibus ex rebus temporaliter viuis, quãuis nihil de exteriori specie mutatũ sit, in alium transierint, & in illum cibum potumq; conuersa sint, qui angelorũ victus est, quo pascuntur immortaliter, *quia uidelicet, tam in hoc, q̃ in illo Sacramento, uerba quæ loquitur nobis Dominus spiritus & uita sunt, id est, non carnaliter, sed spiritualiter, nõ secundùm craßitudinem carnis, sed secundùm mentis nostræ spiritum, renouationem & resurrectionem totam perficiunt.* Et iterum. *Quod si quis à nobis quærat (inquit) quõ panis q hoc anno de terra creatur, corpus Christi fit,*

quod

quod in cruce pependit, & uinum quod præsentibus expressum est acinis, ille sanguis ei⁹ sit, quē de latere suo fudit? Interrogemus eum quomodo filius hominis, qui utiq; de fœmina conceptus, et de terra natus est, de cœlo descenderit, uel quomodo anteq̃ in cœlum ascenderet, iam in cœlo esse potuerit, iuxta ueritatem ipsius dicentis. Et *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.* Hoc *profectò si quid sapit respōdere poterit, quòd propter unitatem personæ* Dei *& hominis* Christi, *illud rectißimè dictum sit, quia uidelicet, unus est* Christus, *filius hominis cum filio* Dei, *qui de cœlo descendit, quiq; cùm esset in terra, nihilominus & in cœlo & ubiq; erat, quippe quem locus nullus concludit, quia incircunscripta est natura diuinitatis.* Ergo *uerbis paululùm demutatis dicamus ei.* Nemo *te subleuat in cœlum, nisi hic panis qui descendit de cœlo, hoc corpus* Domini, *quod pependit in ligno, & hic sanguis eius qui effusus est pro omni mundo.* Nempe *si priorem sententiam uidet, de ista non uideo quid dubitet.* Vnitas *enim uerbi, unum efficit corpus* Christi, *ut illud quod tunc in cruce pepēdit, & istud quod nunc* Ecclesiæ *fides, ore sacro conficit, unum corpus sit, una inquam caro, & unus sanguis sit.* Hactenus *ille.* Innocentius *tertio lib. quarto myst. missæ capite* 20. *Sicut ineffabi-* Ioan. 3.

effabilis est illa unio, qua deus factus est homo, sic ineffabilis est illa conuersio, qua panis fit caro. Non tamen ita panis dicendus est incarnari, quia panis fit caro, sicut uerbum dicitur incarnatum, quia uerbum factum est caro. Nam uerbum manēs quod erat, ita factum est caro, quòd carnem assumpsit, non transiuit in carnem. Sed panis desinens esse quod erat, ita fit caro, quòd transit in carnem, non assumit carnem.

Venerabilis Beda. *Non solùm (inquit) lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suū dedit in cruce pro nobis, uel quādo unusquisq; nostrûm mysterio sacrosanctæ passionis illius, baptismo aquæ ablutus est, uerùm etiam quotidie tollit peccata mundi, lauatq; nos à peccatis nostris quotidie in sanguine suo, cum eiusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur,* cùm panis & vini creatura, in Sacramentum carnis, & sanguinis eius, ineffabili spiritus sanctificatione transfertur, sicque corpus & sanguis eius, non infidelium manibus, *ad perniciem ipsorum funditur & occiditur, sed fidelium ore, suam sumitur in salutem. Cuius rectè figuram, agnus in lege paschalis ostendit, qui semel populum de Aegyptia seruitute liberans, per omnes annos immolatione sua, populum eundem sanctificare solebat, donec ueniret ipse, cui talis hostia testimonium dabat,*

abla-

ablatúsq́; patri pro nobis in hostiã, odorẽq́; suaui tatis, mysterium suæ passionis ablato agno, in creaturam panis uinumq́; trãsferebat sanctus in æternum secundum ordinem Melchisedech. Hugo de S. Victore in lib: de Sacramẽtis. *Iã (inquit) quum unum sit sacramentum, tria ibi discreta proponuntur, species uidelicet uisibilis, & ueritas corporis, & uirtus gratiæ spiritualis.* Et iterum. *Quod enim uidemus, species est panis & uini, quod autem sub specie illa credimus, uerum corpus Christi est, & uerus sanguis* Iesu *Christi, quod pepẽdit in cruce, & qui fluxit de latere.* Et iterum. Verbo *sanctificationis, uera panis, & uera uini substantia, in uerũ corpus &* sanguinem Christi conuertitur, sola specie panis & uini remanente, & substantia, in substantiam transeunte. *Petrus Damiani in lib. de institut. ecclesiastica ita scribit. Quia corpus domini, quod in sacris altaribus, per sancti sacerdotis dedicatur officium,* concepta sancti spiritus virtute, viuificatur & sanctificatur, vt nos viuificare valeat & sanctificare, *sicut in ipsis uenerandis missarum decretis dicitur,* Per quem *hæc omnia domine semper bona creas, sanctificas, benedicis.* Neque *enim aliter uiuificari posse creditur, nisi per spiritum sanctum, cum testante ueritate sancti spiritus, sit uirtute uiuificatum & sanctificatum*

Hugo de S. Victore.

Petrus Damiani.

tum, atque (ut confidenter loquar) eiusdem diuini spiritus gratia ueraciter plenum. Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, uir & pietate & eruditione insignis, Lanfrancus exponens fidem Catholicæ Ecclesiæ de Sacramento Eucharistiæ, ita scribit: *Quæ, uidelicet Ecclesia credit, terrenas illas substantias, quæ in mensa dominica* per sacerdotale ministerium diuinitus sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, & mirabiliter operante superna potentia, conuerti in essentiam dominici corporis & sanguinis, *reseruatis ipsarum rerum speciebus & qualitatibus, ne uidelicet in proprio illo suo modo ac genere percipientes Christi fideles, cruda & cruenta horrescerent, & ut credentes fidei præmia ampliora perciperent, ipso nihilominus Dominico corpore permanente in cœlestibus ad dexteram patris, inuiolato, integro, incontaminato, illæso, nempe impaßibili & immortali, ut uere utrunque dici poßit, & ipsum corpus quod de uirgine sumptum est, atq; ipsum sanguinem, qui in ara crucis pro nobis effusus est, sub speciebus panis & uini nos sumere, & quodammodò non ipsum, ipsum quidem quantum ad ueræ utriusq; naturæ essentiã, proprietatem & uirtutem, non ipsum autem, si modum illum ineffabilem spectes, quo sub alienis*

specie-

ſpeciebus mirabiliter, & in compræhenſibiliter latitat. Hanc *fidem, tenuit à priſcis temporibus, et nūc tenet* Eccleſia, *quæ per totum orbem diffūſa,* Catholica *nominatur.*

Habentes igitur tantam nubem teſtiū, ipſam panis & uini mutationem uel conuerſionem, in uerum & uiuificum Chriſti corpus & ſanguinem affirmātium, comprobātiū, & unanimiter aſſerentiū, hanc fidem Catholicā *eſſe credamus, ſequentes in hoc conſiliū* Vincentij Lirinenſis, *q in lib. quem ſcripſit aduerſus prophanas omniū* Hæreſeō *nouationes, docet nos curare debere, ut paucorū temeritati uel inſcitiæ, ſi qua ſunt uniuerſaliter uniuerſalis* Cōcilij *decreta præponamus. Sed etiā ſi nihilomnino eſſet in œcuntenicis* Cōcilijs *ſuper hac re definitum, tunc prædictus* Vincentius *uult ut conferamus inter ſe, & conſulamus interrogemusq́; ſententias duntaxat eorum, qui diuerſis licet temporibus & locis, in unius tamen* Eccleſiæ *communione & fide permanentes, magiſtri probabiles extiterūt, & qcquid non un⁹ aut duo tantū, ſed oēs pariter, uno eodemq́; conſenſu, aperte, frequenter, perſeueranter, tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe, cognouerimus, id nobis quoq; intelligamus, abſq; ulla dubitatione credendum. Cùm itaq; tam multi patres, qui iam nominatis* Concilijs *interfuerunt, & omnes alij qui ante horum* Cōciliorū *tēpora*

& sub ipsis uixerunt, uno eodemq; consensu, apertè, frequenter, perseuerater, tenuerint, scripserint, & confeßi fuerint hanc panis & uini transubstantiationem, proculdubio hoc nobis absq; ulla dubitatione credendum est. De durabili *præsentia corporis* Christi *in* Eucharistia: *post constabilitam* Transubstantiationis *fidem & declaratum modum præsentiæ corporis & sanguinis* Christi *in* Eucharistia, *iam demonstrandum erit, post uerba consecrationis, ipsum, corpus* Christi *ibidem reuerà manere, & existere deinceps sub externis saltem speciebus, etiam ante sumptionem usq; ad manducationem, & non esse ibi duntaxat dum sumitur, aut dum est in actione, & idcirco rectè. & piè reseruari usq; ad manducationem, & interim piè reseruari in templis, deferri in proceßionibus, & ad infirmos,* Principio *itaq; aduersarij qui uolunt duntaxat sacramentum esse dum sumitur, uidētur ignorare distinctionem huius sacramenti, ab alijs sacramentis.* Eucharistia *enim quantùm ad materiæ & formæ rationem attinet, à cæteris sacramentis distinguitur.* In *cæteris enim, quoniā in actione consistūt & ipso usu, elementū ipsum est materia sacramēti, uerba, forma, ubi quia forma in prolatione uerborum transit, sacramentū una cum forma, desinere necesse est.* Eucharistia *autem sacramentum est permanens.* Quod *ut rectè*

Euchari-stia ab alıis sacra-mētis se-cernitur, & in quibus.

recte intelligatur, duo in hoc Sacramento obser uanda sunt, primò quidē ipsa Eucharistiæ conse cratio, deinde ipsa Eucharistia iam consecrata. Si ipsam Eucharistiæ consecrationem spectemus, sciendum est, ipsam non esse Sacramentū ipsum, sed Sacramentale, & habere pro forma, uerba sacra, & pro materia, panem & uinum aqua mi xtum. Nam uerbis super hæc integrè prolatis, tanquam forma eius, perfecta fieri dicitur con-secratio, & protinus existit Eucharistiæ Sacra-mentum, in usum futuræ manducationis præpa-ratum. Quoniam autem consecratio, mirabilem mutationem substantiæ panis efficit, non potest per uirtutem mysterij permanere, sed conse-cratio transit. Cæterum Eucharistia iam con-secrata, quia Sacramentum est permanens, ha-bet pro forma, uisibilem speciem, & ipsum Chri sti corpus, materiam. Vnde uisibilibus Sacramē tis corruptis, quia forma desinit, esse desinit Sa-cramentum. Manentibus autem Sacramentis ui-sibilibus uel sacramentalibus speciebus, manet e-tiam corpus Christi. Reliqua autem Sacramen-ta, in actione sola ministrantis & sumentis con-sistunt, & durant, & ideo expleto eorum mini-sterio, dicitur nihil superesse reliquū. Ideò nul-læ sunt baptismi reliquiæ, nullæ pœnitentiæ, aut ordinis, aut cæterorū Sacramētorū. Eucharistia uerò, quoniam futuræ manducationi Dei omni-

potẽtia præparatur, adeò quidem, ut ante sumptionẽ cõsistat sacramẽtum, donec quod paratũ est, fuerit totũ manducatũ, necesse est, aliquid superesse manducandũ quod ipsum post expletã præsentium cõmunionẽ, reliquiarũ nomen obtinet, & seruatum, non amittit uirtutem, quũ uel mox à Clericis, *quod supest, cõsumi, uel in usum mãducationis solebat cõseruari, ut sit quod deferatur ægrotis. Cætera uerò sacramenta non permanẽt, sed habent esse duntaxat in fieri, & eorum perfectio consistit in usu & applicatione materiæ, non in consecratione materiæ, sicut sacramentum* Eucharistiæ. Baptismus *enim non est perfectus, quando benedicitur fons, sed quando aqua applicatur in usum, cum debita uerborum forma.* Tunc *enim baptismus est, quando inter abluendum corpus, uerba ipsa proferuntur.* Ego *te baptizo in nomine patris & filij & spiritussancti.* Prolatis *autem illis uerbis pariter & abluto corpore, iã sacramentum ipsum esse desiit.* Sic *non est confirmatio, quando consecratur chrisma, sed quãdo* Chrisma *applicatur in usum, cum debita uerborum forma.* Et *idem est iudicium de reliquis sacramentis. præter* Eucharistiam, *quæ sola manet, uerbis iam prolatis.* Est *enim mox perfecta, quando uerba consecrationis super debitam materiam proferuntur à sacerdote.* In *alijs ergo sacramentis*

ut,

ut fiãt, usus materiæ in cõferendo sacramẽto exigitur. In hoc uerò materia ante usum, cõsecratione præparatur. In alijs sacramentũ & pceptio, tẽpore nõ distinguũtur. In hoc, sacramentũ cõsecratione cõfectũ integrũ proponitur, & manet ad futurã pceptionẽ. In alijs res sacramẽti, est dñi gratia, est dominus ipse doni dator, qui in ijs qui dignè suscipiunt, operatur gratiã. Sed & in hoc sacramentum Eucharistiæ *differt ab alijs sacramentis.* Nam *in alijs sacramentis forma profertur ministri nomine.* Dicit *enim in baptismo minister.* Ego *te baptizo.* In *confirmatione.* Ego *te confirmo.* In *extrema unctione.* Ego *te linio, &c. Suo enim nomine profert hæc uerba minister. At uerò hîc ex ore Christi dicitur.* Hoc *est corpus meum.* Non *enim suis, sed Christi utitur uerbis minister, quemadmodum docet.* S. Amb. *lib.* 4. *de sacramentis capite quarto* Sed *quùm uerba Christi efficacissima sint, continuò efficiunt quod significant, quando à legitimo ministro super debitam materiam proferũtur. Significant autem ibi corpus Christi esse præsens, etiam si non adsit usus.* Perfectio *igitur substantiæ sacramenti* Eucharistiæ, *non ex usu, sed ex uirtute uerborum Christi, expendenda est.* Error *ergo hui⁹ nouæ opinionis inde uenit, quod hæc huius sacramẽti differẽtia ab alijs, minimè obseruata fuit.* Magna *ergo est temeritas*

impu-

impudentia & impietas aduersariorũ, qui cõtra fidẽ totius Ecclesiæ,*ac tot retro seculorum, audẽt affirmare, in reliquis hostijs consecratis, quæ remanent post communionem in altari, & conseruantur pro infirmis, aut reponuntur ac circunferuntur, non esse amplius substantialiter corpus* Domini. *Nam (quemadmodum dictum est) ueritas & perfectio huius Sacramenti consistit in ipsa consecratione, siue adsit sumendi usus, siue non adsit. Quamprimum enim intentione consecrandi, proferuntur à Sacerdote consecrante uerba Eucharistiæ consecratoria, uerè & substantialiter perficitur hoc Sacramentum, et uerè & substantialiter, adsunt corpus & sanguis Christi, quia uerba illa sunt ipsius Christi, q est ueritas, qui mentiri aut fal-*
Ioan.14. *sum dicere nõ potest. Adsunt autẽ non motu locali, nec generatione, nec creatione, sed (sicut dictũ) substantiali transmutatione uel transsubstantione uel conuersione, substantiæ panis, in substantiam corporis Christi, & substantiæ uini, in substantiam sanguinis Christi. Corpus enim Christi, neq; generatur, neq; creatur de nouo, nec etiam mouetur de loco cœli, ubi sedet ad dexteram patris, sed idem numero est in cœlo, & in altari, licet diuerso modo. Quippe in cœlo uisibiliter ac localiter, in altari autẽ inuisibiliter ac sacramentaliter. Et incipiunt ibi esse*
sub-

ſubſtantialiter corpus & ſanguis Chriſti, uirtute uerborum Chriſti. Cum igitur non proferantur alia uerba, quorum uirtute ibi eſſe deſinãt, neceſſarium eſt dicere ac firmiter credere, manere ibi corpus & ſanguinem Chriſti, quouſq; manent ſpecies panis & uini, quibus uirtute uerborum Chriſti ſemel adſunt, ſiue uſus aut ſumptio adſit, ſiue non. Verba enim Chriſti non tranſeunt, ſicut tranſit uſus aut ſumptio. Nec ab uſu ac ſumptione, ſed à conſecratione ueritatem & ſubſtantiam ſuam habet hoc ſacramentũ. Non enim ab uſu, ſed ab eo quod res eſt, oratio dicitur uera. Hæc autẽ oratio. Hoc eſt corpus meũ, eſt oratio Chriſti, ergo eſt uera, quia eſt ipſius ueritatis. Et ſi eſt uera, mox adeſt ibi & manet corpus Chriſti, facta uerborum prolatione. ante quam ſequatur uſus aut ſumptio. Eſt proinde ibi uerè corpus Chriſti, per uerba Chriſti, ſine uſu ac ſumptione, quia eſt ibi antequam uſus ſubſequatur. Non igitur ab uſu habet, quod ibi ſit aut maneat, quia uerè eſt ibi, antequã uſus accedat. Vnde quoque non eſt uſus de ſubſtantia aut perfectione eius, quia ſine eo conſequitur ſubſtantiã & perfectione eius, quia ſine eo conſequitur ſubſtantiam & perfectionem realem, per conſecrationem. Si ergo ſine eo eſt, etiam ſine eo manere poteſt. Ab eodem enim habet eſſe & manere. Quid enim aliud eſt manere, quam ibi aliquandiu

diu esse? Est autem ibi ante usum, ergo & manet ibi ante usum. Non est igitur usus de substantia eius, quia sine eo potest subsistere, quia est uera substantia, quæ per se existit. Nam & substantia potest per se subsistere, sine usu alicuius hominis ea utentis. Cum ergo substantia huius Sacramenti sit corpus Christi, etiam per se sub specie panis subsistere potest, sine ullo accipientis uel non accipientis usu. Quod si ante usum aut sumptionem, non esset aut maneret ibi, uerè & substantialiter corpus Christi, falsa essent uerba Christi dicẽtis, hoc est corpus meum, quod est impoßibile, quia ueritas ipsa mentiri non potest. Et consecrans non deberet dicere, hoc est, sed hoc erit corp⁹ Christi, utpote quãdo sumetur ab aliquo. Neq; deberent uerba consecrationis, à consecrãte proferri, nisi quando speciem panis in os mitteret sumentis, quia ante usum sumentis, non posset uerè dici, hoc est corpus meum, si usus esset de substantia eius. Sed nec ipsi aduersarij hoc faciunt, uidelicet, non proferunt uerba, quando speciem panis in os mittunt sumentis, sed multis præsentibus qui communicant, semel uerba super panem & uinum proferunt, ac deinde populo porrigunt. Adhæc CHRISTVS non dixit. Vsu sumentis fit aut est corpus meum, aut non dixit. Si usus mox non adest, dicto

citiùs

citiùs desinit ibi esse corpus meum, aut ilico euanescit, sed dixit, hoc est corpus meum,. Cuius uerbi uirtute est, & permanet ibi corpus Christi. Cœlum & terra transibunt. (inquit saluator) uerba autē mea non trāsibunt. Virtus ergo & essentia uerbi non transit, sed transit, usus ac sumptio. Porro substantiæ ueritas non dependet ab usu. Potest enim substantia esse (ut dictum est(sine usu, sed non è contrà. Vsus enim accidens est, & per se subsistere non potest, sicut potest substantia. Permanet itaque corpus Christi in Eucharistia, & non transit aut euanescit ad libitum hominis, aut ad phantasiam falsæ opinionis. Semel enim hæc uerba Christi, hoc est corp⁹ meū super residuas partes prolata sunt, uerè itaq; etiam de eis dicūtur. Cæterū si ista noua opinio uera esset, uirtus uerborū cōsecrationis & potestas cōsecrandi, pēderet à uolūtate accipiētis, eô quod ad præparationē uolūtatemq; paratorū ad cōmunicandū Christus ibi esset, & aliâs nō. Nunq̄ præterea posset scire sacerdos, quādo cōsecrat, & quādo nō cōsecrat eô quòd nequit illi cōstare, de ueraci proposito eorum, qui accipere debent. Si enim habent propositum communicandi adstantes, erit tibi præsens, sin autem mutauerunt propositum & recusarint participes esse, statim euanescit ut ipsi uolunt. Matt. 24. Luc. 21.

Porro

Porrò quas adferunt aduersarij, qui nihil absq; scripturarum testimonio recipiunt, atq; recipiendum docent, scripturas, aut rationes è scriptura petitas, quibus probāt, corpus domini (quod per diuina uerba consecrationis præsens adest in Eucharistia) *desinere esse corpus domini ac euanescere, si deferatur, uel uenerationis causa in procesione, nel necessarij uiatici causa ad infirmos? Quam proferunt scripturam, qua affirment ac corroborent, quòd usu sacramenti cessante, siue nullo præsente qui sacramentum accipiat, ilico in ictu oculi desinant ibi esse corpus & sanguis Christi, postquam uerba consecratoria super debitam materiam à legitimo ministro fuerint prolata? Quibus obsecro uerbis execrāt, quod semel consecratum est? Aut qua ui expellunt corpus* Domini, *quod ante per uerba consecrationis præstò est? Semel uerè dictum est, su per panem illum in uerbo* Domini. Hoc est *corpus meum.* Verbum *autem* Domini *manet inæternum, & non transit mox cessante actione.* Fal*sum est ergo, cessante actione, cæremonia, & usu communionis huius* Sacramenti, *non remanere ibi corpus* Christi, *sed merum esse panē, qui per idolatriam à nobis adoretur, & idcirco reseruari non debeat.* Et *uide quàm multa incurrant absurda, qui post consecrationem asserunt in* Eucharistiæ Sacramento *non manere substan-*

tialiter

tialiter corpus Christi*, absq; usu ac sumptione eius.*

Primò *enim ista uerba ueritatis,&* Dei *omnipotentis,dicentis:*Hoc *est corpus meum, falsificant, & negant, quia contrarium astruunt, nempe, quòd hoc nō sit corpus* Christi *amplius, nisi quando sumitur.* Deinde *uirtutem suæ opinionis,maiorem faciunt uirtute uerborū Christi* Dei *omnipotentis.Constat enim uirtute uerborum Christi uere dici.* Hoc *est corpus meum.* Hanc *autem uerborum Christi uirtutem, contendunt illi destruere, non ullis quidem uerbis* Dei *aut scripturæ, sed suæ tantùm opinionis assertione nuda, & nullis scripturis aut rationibus firmata.* Consecrando *quoq; mutant uerba ueritatis in mendacium.Quùm enim dicūt.* Hoc *est corpus meum,mentiuntur sibijpsis,dicentes, quòd secundū ipsos non est,sed erit corpus Christi,nempe tunc, quando mittetur in os sumentis.* Adhæc *secundùm eorum sententiam porrigunt hominibus merum panē pro corpore Christi.* Nam *ante usum dicunt non esse ibi corpus* Christi.*In usu autem non proferunt uerba Christi,per quæ consecratio fiat, proinde nihil porrigunt nisi panem.*Non *enim panis transsubstātiatur in corpus Christi,prolatione uerborū cōsecrationis.*Peruertunt *præterea ordinem ueritatis.* Nam *quod uerbis consecrationis tribuere*

deberent, tribuunt usui sumentis. Nō enim per usum fit præsens corp⁹ Christi, ut ipsi existimāt, sed ꝑ uerba consecrationis, quæ ante usum sunt prolata. Quapropter ꝑuerso & præpostero ordine, tribuunt posteriori, quod priori tribuendum esset. Præterea Deus fidelis ꝑmanet (ut Apostolus ait) & seipsum negare nō potest. At ipse dicit per os sacerdotis. Hoc est corpus meū. Quomodo igitur fidelis permanet, si non manet uerum quod ipse dixit? Si autē uerum manet uerbum eius, falsum utiq; & impiū est dicere, nō manere ibi corpus Christi, quod ipse conficiendo dicit, & dicendo conficit. Quisquis igitur id negauerit, Deus quoq; eum negabit, ut Apostolus ait. Huc accedit quod dicit Psalmista. Fidelis Dominus in omnibus uerbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. In Eucharistia autem est, & uerbum & opus Domini, non hominis, Ergo in eis fidelis est & sanctus. At si non permaneret ibi corpus Domini, etiam cessante usu, nec fidelis esset Deus in uerbis consecrationis, nec sanctus in opere confectionis. Quia nec uerbis inesset ueritas, nec operi firmitas. Sancire enim firmare est. Sed & Esaias. Cecidit flos (inquit) uerbum autem Domini manet in æternum. Sic erit uerbum meum, quod egredietur de ore meo (ait Dominus per eundem) non reuertetur ad me uacuum, sed faciet quæcunque uolui,

2. Tim 2.
Psal, 144.
Esai. 40.
Esai 55.

uolui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Constat autem hoc esse uerbũ Domini. Hoc est corpus meum. Ergo stabit in æternũ, & non reuertetur uacuum. Caderet aũt uacuũ fieret, si corpus Domini esse cessaret, quod uirtute cõsecrationis semel fuit. Non euanescit igitur illud uerbum & ea uirtus, mox quãdo cessat hominũ usus in hoc Sacramẽto. Est enim uirt⁹ infinita, et Dñs ipse dixit, uerba sua non trãsitura. Deniq; scriptum est. *Ne addas quicq̃ uerbis illius, & arguaris inueniarisq; mendax.* Sed aduersarij uerbis Christi dicentis, hoc est corpus meũ, hæc aut similia addunt ex corde suo conficta uerba. Tũc primũ quãdo sumitur, Vel: Quousq; durat sumptio, Vel: Quando in ora fideliũ mittitur. Vel. Anteq̃ sumendi esset usus, non autẽ, postq̃ cessat usus. Mendaces itaq; inueniuntur, qui talia ex proprio cerebro confingunt, & uerbis Dei addunt. Toto proinde cœlo errãt, qui negãt ibi esse corp⁹ Christi, nõ statim subsequẽte usu. Nusq̃ enim præcipitur, ut statim post prolationẽ uerborũ cõsecrationis, sequatur sumptio, aut mãducatio. Sed dicũt. Christ⁹ dixit. Accipite & comedite, & bibite, &c. Nisi ergo mox accipiatur, nõ remanet ibi corp⁹ & sanguis Christi. Ad quod dicim⁹, duo ista uerba Comedite & Bibite, nõ esse de substãtia sacramẽti aut cõsecratiõis, sed ptinere ad usum illi⁹. Quẽadmodũ ergo corp⁹ Christi

Prou. 30.

Mat. 26. Luc. 22. Marc. 14.

sub specie panis uere adest ante usum (sicuti demonstratum est abunde) ita ibi manet post usum, si quæ hostiæ ibi remanent, quæ non sumũtur. Sed & hoc expendendũ esse nouerint, Christum in ultima cœna semel tantum panem benedixisse ac fregisse, & deinde dixisse: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Similiter & calicem semel benedixisse, ac dixisse: Bibite ex eo omnes; & tamen quis non animaduertit, non exiguum temporis spacium fuisse præterlapsum, quo Apostoli corpus & sanguinem Domini inter se diuiderent, manducarent & biberent? Si autem corpus & sanguis Domini ibi tamdiu remansit donec omnes sumpserũt, quod etiam aduersarij negare minime poterunt, eadẽ ratione ac consequentia admittere coguntur, ad longius spacium temporis manere, ita ut reponi posßit & pro infirmis reseruari, prout Ecclesiæ cõsuetudo obtinuit. Fingamus ergo aliquem uelle communicare, & sacerdotem eo animo cõsecrasse, ut Eucharistiã illi impartiatur, quid dicturi sunt? si ille animo mutato recuset Eucharistiam accipere cui iam fuerat parata, num Christus sit reuera præsens, in Eucharistea an nõ? si est ibi reuera præsens per aliquod ergo tempus præsens est, licet non distribuatur, ac ab aliquo accipiatur, ergo Christus est in Eucharistia diũ non communicatur aut participatur. Sit ergo

tempus illud, uel hora uel dimidia, uel quarta pars horæ, quare ergo non poßit esse ibidē per aliam integram uel mediam horam, imò per diem, & denique tamdiu donec species illæ sacramentales manent? Non enim existimandus est Christus cum pactione esse in hoc Sacramento, ut uidelicet sit ibidem, si fideles uoluerint, communicare, etsi non communicauerint, ilico euanescat ex Eucharistia, quemadmodum sine scriptura & ratione audent aduersarij affirmare. Si enim ad mutationē uoluntatis illius, qui priùs uolebat communicare, & postea non uult, nullo pacto manet ibi corpus Christi, necesse esset eandem hostiam denuo consecrare, si ille uel alius quispiam uellet rursus communicare, & sic per solam (ut dictum est) uoluntatem ipsius accipientis, Christus inciperet & desineret esse in hoc Sacramento. Quod si uerum est, quare Christus dixit Apostolis & eorum successoribus, hoc facite? Et quare non dixit communicantibus, Consensum uestrum præbete, huic Sacramento conficiendo, alioquin nihil fiet? Quod tamen non fecit, sed Apostolis & eorum successoribus dixit, hoc facite, siue accedat plebis cōmunicantis consensus siue non. Valeant ergo aduersariorum ridicula nugamenta, quæ ore blasphemo absque ulla ratione aut scriptura, euomere non uerentur, ac hominibus pro sana & catholica

1. Cor 11.

doctrina obtrudere non formidant. Sed dicet aliqs. In Exodo de esu *agni paschalis praecipitur.* Nõ remanebit ex eo quicq̃ usq; manè. Et de mãna. Nullus relinquat ex eo usque manè. Vnde etiam illis qui non audierunt praeceptum Domini, sed dimiserunt usque manè, scatere cœpit uermibus atque computruit. Porro cum agnus paschalis & manna, praefigurauerint Eucharistiae sacrosanctum sacramentum, & oporteat ueritatem respondere figurae, uidetur Christus in Eucharistia nõ remanere, si in alterum diem reseruetur. Sed nos respõdemus ac concedimus, oportere ueritatem quidem respondere figurae, figuram tamen dicimus nunquam adaequare ueritatem, sed semper ab ea multum deficere. Et ita licet agnus paschalis & manna typum gesserint huius Sacramenti, longè tamen ab eo deficiunt. Et est quidem uerum, quòd Dominus praeceperit, ne ex agno paschali aliquid relinqueretur usq; manè, si tamen aliquid residuum remansisset, non absumptum fuisset uera caro de agno paschali. Quod autem manna reseruatum in alterum diem, scatere cœpit uermibus & computruit, hoc non euenit ob naturam mannae, sed ex uoluntate Dei, ne aliqui ex cupiditate & gula plus debito colligerent ad reseruandum. Alioqui benè seruari poterat. Nam die sexta colligebatur prosequẽti sabbato. Nam

die sexto colligebant cibos duplices, id est duo Gomor per singulos homines. Alioqui manè colligebant singulis diebus, quantum sufficere poterat ad uescendum. Quando autē fecerunt, ut præceperat Moyses, nō computruit, neq; uermis inuentus est in eo. Sed & Dn̄s iußit reseruari mā na in futuras retro generationes, dicēs ad Moysen. Imple Gomor ex eo, & custodiatur in futuras retro generationes, ut nouerint panē quo alui uos in solitudine, quādo educti estis de terra Aegypti. Dixitq; Moyses ad Aaron. Sume uas unū, & mitte ibi man, quantū potest capere Gomor, & repone coram Domino ad seruandū in generationes uestras, sicut præceperat Dominus Moysi. Posuitq; illud Aaron in tabernaculo ad reseruandum. Et Paulus in Epist. ad Hebræos *testatur in arca testamenti, fuisse urnam auream habentem manna. Superest nunc, ut de permanentia corporis Christi in Eucharistia & reseruatione eiusdem, quorundam patrum testimonia referamus, ac subijciamus.*

Dionysius Areopagita *in lib.* Eccles. Hierar*chiæ cap. 3. parte. 2. mysterium sinaxeos siue cō munionis describens ait. At uerò Pontifex cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta &* augustißima mysteria conficit, *& quæ antè laudauerat, uenerandis operta atque abdita signis,* in conspectum agit, Dionysius

 diui-

diuináque munera reuerenter ostendens, *ad sacram illorum communionem, & ipse conuertitur, & reliquos, ut communicent, hortatur*. Et *parte 3. capitis illius. Vbi (inquit) suprema illa expiatio ipsius patulis, & cuncta spectantibus oculis, & iustißimis, incorruptißimisq; inclinationibus probata præceßit, tunc iam diuinus* Pontifex *iungitur, exactáque diuinorum operum laude*, veneranda mysteria conficit, atque in conspectum agit. *Et iterum. Venerandus antistes diuinis altaribus adstans, reuerenter simul & ex* Pontificali *officio, post sacras diuinorum operum laudes*, quòd hostiam salutarem (quæ supra ipsum est) licet, se excusat, *ad ipsum primò decenter exclamans, tu dixisti. Hoc facite in meam commemorationem. Ex cuius uerbis constat, hæc Sacramenta cœlestia, per consecrationis uerba à sacerdote prolata*, prius confici. *Nam* Pontifex *(inquit) ueneranda mysteria conficit. Cui adstipulatur S. Hierony: in*
Hierony. *Epist. ad Heliodorum dicens, Absit ut de ijs*
Chrysost *quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui* succedentes, Christi corpus, sacro ore conficiunt, &c. *Et Chrys. de pro dit. Iudæ*. Sacerdotis ore (inquit) verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia. *Itaque ista uerba sacerdotis ore prolata, ita*
Dei

Dei uirtute & gratia consecrantur, ut Dionysius *dicat* Pontificem *mysteria conficere, &* Hieronymum *sacerdotem* CHRISTi *corpus sacro ore conficere:* Non *ergo ut conficiantur hæc sacrosancta mysteria, requiritur usus sumentis, aut consensus communicantis, sed conficiuntur per diuina uerba consecratoria à sacerdote, & manent confecta donec absumantur.* Deinde *etiam hoc ex uerbis eius perspicuum est,* Pontificem *confectis uenerandis mysterijs*, ea in conspectum agere, diuináque munera reuerenter ostendere, & hostiam salutarem (quæ supra ipsum est) litare. Quod *nos facimus in missæ sacrificio, quando hostiam consecratam & calicem, eleuamus in conspectum agentes, & populo reuerenter ostendentes ad adorandũ. Sed & in missa* Chrysostomi *idipsum clarissimè patet, ubi sic habetur.* Sacerdos autem eleuans sanctum panem, *dicit, sancta sanctis. Et choro respondente.* Vnus *sanctus, unus Dñs Iesus Christus in gloria* Dei *patris. Sacerdos rursus eleuat panem dicens. Super cœlos Deus, & super omnẽ terrã gloria eius effusa est. Sed & hoc obseruandum, hæc mysteria populo prius reuerenter ostendi, antequã succedat usus sumentis.* Denique *quòd hostiam salutarem, quæ supra ipsum est, utique per eleuationem, litet, ad ipsum primò decenter exclamans,*

mans, tu dixisti, hoc facite in meã cõmemoratio nem, ut intelligas sacerdotem sacrificare in com
Clemens. *memorationẽ Christi. Clemens in epist. 2. ad Iacobum fratrem* Dñi Eucharistiam *reseruari & custodiri permittit dicens. Tribus gradibus commissa sunt Sacramenta diuinorum secretorũ, id est, presbytero, diacono & ministro. Qui cũ timore & tremore clericorũ, reliquias corporis* Dominici *debent custodire fragmentorũ, ne putredo in sacrario inueniatur, ne cùm negligẽter agitur, portioni corporis* Domini, *grauis inferatur iniuria. Communio enim corporis* Domini *nostri* Iesu *Christi, si negligenter erogetur, & presbyter minora non curet admonere officia, graui anathemate, & digna humiliationis plãga feriatur.* Ex *cuius uerbis liquet, eo tempore non solùm licitum, sed & consuetum fuisse custodire & reseruare in sacrario particulas consecratas, quas* S. *Clemens, reliquias, & portiones corporis* Domini*ci uocat. Sed dicis. Idem Sanctus Clemens in eadem epistola, statim subijcit in hæc uerba.* Certè tãta in altario holocausta offerãtur, *quanta populo sufficere debeãt. Quód si reman serint, in crastinum non reseruentur, sed cum timore & tremore clericorũ, & diligentia consumãtur. Quibus uerbis indicat, hostias consecratas in crastinũ reseruari non debere, sed cõsu*

mi à clericis. Sed *respondendum est tibi, S. Clementē ea uerba, quibus uult reliquias illas à clericis cōsumi debere, scripsisse cautelæ gratia, ut fragmēta* Eucharistiæ *(ipse portiones corporis* Dñi *uocabat) cū timore et tremore tractarētur, ut reliquiæ illæ obseruarētur, & uenerarētur, ne portioni* Dñi *aliqua iniuria irrogaretur.* De*inde & hoc dicendū, tunc temporis tā necessariū non fuisse, quemadmodū nunc, ut hostiæ cōsecratæ, quæ supersunt, reseruētur in crastinū, aut pro infirmis, pro alijs sicuti nūc fit, qa tūc quotidie fideles oēs cōmunicabant.* Deinde nō negat S. *Clemēs, in reseruatis aūt relictis, post populi cōmunionem portionibus esse uerū corpus* Chri*sti, sed idipsum planè affirmat dicens. Qui autē residua corporis* Domini*, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes acipiendos cibos conueniant, ne putent sanctæ portioni admiscere cibum, qui per aqualiculos digestus, in secessum funditur. Si ergo manè dominica portio editur, usque ad sextam ieiunēt ministri. Quēadmodū priora uerba manifestā indicāt realē præsentiā corporis* Christi *in* Eucha*ristia, sic & ista, quibus cōfirmat, quæ dixerat, manifestè uocās corporis* Domini *reliquias, quæ in sacrario seruabantur: Vnde ipsas reliquias dominici corporis, ab alijs cibarijs materialibus secernit, docens eas per loca indigna emitti non*

debere,

debere, ut uel inde cõstet Eucharistiam sacram. non esse panem tantùm materialem uel communem, alioqui quid prohiberet, quo minus iste panis Eucharistiæ, sicut alius cibus egeretur? Et planè nisi adesset uerum Christi corpus, quorsum tanta reuerentia, tanta cautela, tanta custodia, in hoc præ alijs signis sacramentalibus, si non adesset sacramentaliter corporis Christi præsentia? Itaq; clarum & perspicuum est ex uerbis sanctißimi & fortißimi martiris, ibi Christum reipsa uerè existere, non solùm cùm consecratur, aut communicaturis distribuitur, sed etiam post consecrationem dum asseruatur. Nam iterum in eadem epistola sic habet, Iterum atque iterum de fragmentis dominici corporis, demandamus. Calicem uerò ad perferendum sanguinem domini præparatum, cum tota munditia ministerij minister præparet, ne non benè lotus calix, diacono peccatum fiat offerenti. Et denuo. A principio (inquit) epistolæ usq; ad hunc locum, de sacramentis delegaui benè intuendis, ubi non murium stercora, inter fragmenta dominicæ portionis appareãt, neq; putrida per negligentiam remaneant clericorum, & conuenientes (qui accipere ibi medicinam desiderant) putrida quum uiderint, magis cum ridiculo & fastidio uideantur accipere, & in peccatum magis decidant, per negligentiam clericorum.

Irenæus lib.4.c.32. Noui (inquit) testamenti, nouam docuit oblationem, quam Ecclesia *ab apostolis accipiens, in uniuerso mundo offert* Deo *hæc ille.* Eucharistia *secundùm* Irenæum, *est oblatio, ergo etiam secundũ* Irenæum, *manet in* Eucharistia *corpus Christi, ante usum uel sumptionem, quia oportet oblationem præcedere usum seu sumptionem.* Priùs *enim sacerdos* Eucharistiam *Deo offert, quàm ipse participet cum alijs de oblatione.* Noster *autem sacerdos noui testamenti, non offert panem & uinum simpliciter, sed in corpus & sanguinem Christi commutata. Vnde iterum* Irenæus *lib. 4. c. 34.* Quemadmodum (inquit) qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, iã non cõmunis panis est, sed Eucharistia, ex duab' rebus constans, terrena & cœlesti. *Sic & corpora nostra percipientia* Eucharistiam *iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. hæc ille* Ex *quibus euidenter innotescit, in* Eucharistia, *uerè adesse corpus Christi per consecrationem, quod offertur* Deo, *antequã subsequatur usus communicandi.* Proinde *non ex usu, sed ex consecratione per uerba Christi, substantialiter adest uerum & uiuificum corpus Christi.* Quod *si uerè adest, quemadmodum proculdubio adest, quis adesse probibebit, nisi mox sequatur usus, cum non ab usu, sed à consecratione*

habeat esse? Eusebius quoque libro quinto Eccles. histo. refert uerba eiusdem Irenæi ad Victorem Papam dicentis. Omnes presbyteri, qui fuerunt ante te, omnibus semper qui non ita obseruabant presbyteris Ecclesiarum, Eucharistiam solenniter transmittebant. Si solenniter transmittebant, utique erat ibi corpus Christi ante usum Tertullianus libro secundo ad uxorem suam. Non sciet (inquit) maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes, & si sciuerit panem, non illum credit esse qui dicitur. Et in libro de corona militis. Eucharistiæ sacramentum & in tempore uictus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus. hæc ille. Hîc audis panem (quem Eucharistiam appellamus) domini secretò ante omnem cibum gustari solitum. Reseruabatur ergo domi secretò, propter alios gentiles, & mansit ibi corpus Christi multo tempore antequam sumeretur. Et in cœtibus antelucanis sumebatur à sacerdote, qui priùs per uerba consecrationis confecerat corpus domini, & obtulerat in missa DEO, antequam porrigeret sumentibus. Non ergo ab usu, sed à cõsecratione Eucharistia habet esse. Et in libro de oratione. Nónne solennior (inquit) erit statio tua, si & ad arã Dei steteris? Accepto corpore Domini et reseruato,

Tertul.

utrumq;

utrumque saluum est, & participatio sacrificij, & executio officij. Cyprianus *in sermone de lapsis.* Cum *quædam (inquit) arcam suam, in qua* Domini *sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.* Et *quidem alius, & ipse maculatus, sacrificio à sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere, sanctum* Dei *edere & contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus inuenit, documento unius ostensum est,* Dominum *recedere cùm negatur, nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, cũ gratia salutaris in cinerem sanctitate fugiente mutetur.* Hæc ille. *Etiam* Cypriani *testimonio constat, sanctum* Domini *scilicet corpus, eo tempore latenter acceptum, & manibus deportatum, donec cineres inuenirentur in manibus, deinde etiam domi priuatim in arca* [illegible] *ntum fuisse, in usum utique futuræ man*[illegible]*ionis.* Po*tuit ergo ad tempus manere absque usu.* Semel *enim uerbo* Dei *factum corpus, manet semper, quandiu manet species panis, qui in corpus* Domini *consecratione sacerdotis conuersus est.* Nec *ab usu dependet, quia per se substantia est, & per se subsistit.* Basilius *in lib. de* Spiritu *sancto cap. 27.* Inuocationis *(inquit) uerba,* quum ostenditur panis Eucharistiæ, Cypr. Basilius.

&

& poculum benedictionis, quis sanctorum nobis in scripto reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus *aut* Euangelium, *uerùm alia quoque & antè & pòst dicimus, tanquàm multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione citra scriptum accepimus.* Hîc *audis tempore* Basilij *magni, panem* Eucharistiæ *& poculum benedictionis ostendi solitum, utique à pontifice uel sacerdote, quem* S. *pater* Dionysius *dicit in conspectum agere, & diuina munera reuerenter ostendere, sicut superiùs dictum est.* Deinde *& hoc, quemadmodum alia multa, multum habentia momenti ad mysterium, quæ antè & pòst dicimus, dicit nos ex traditione citra scriptum accepisse.* Ambrosius *in libro de excessu fratris sui* Satyri *refert capite septimo quòd priusquam perfectioribus esset initiatus mysterijs, in naufragio constitutus, ne uacuus mysterij exiret è uita, quos initiatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fidelium sacramentum poposcit, non ut curiosos oculos insereret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium.* Etenim *ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo, atque ita se deiecit in mare, fidei solius arma quærens.* Nec *deseruit spès, nec fefellit opinio.* Denique *primus seruatus ex undis, & in portum terrenæ stationis euectus, præsulem suum*

Amb.

(cui se crediderat) recognouit. Nam qui tantum mysterij cœlestis inuoluti in orario præsidium fuisset expertus, quantum arbitrabatur, si ore sumeret, & toto pectoris hauriret arcano? Quàm maius putabat fusum in uiscera, quod tantùm sibi tectum orario profuisset? Hactenus ille. Ex qua historia habes, corpus Domini tempore Ambrosii fuisse reseruatum, & fuisse creditum, cessante actione, etiam ante sumptionem, ibi adesse uerum corpus Christi. Nam ab initiatis seruabatur sanctum Domini in naui, & à Satyrio recipiebatur, non in os, sed ligatum in orario, ac sic inuolutum in collo, & eius præsidio primus è mari saluatus euasit. Nónne itaque credendum est, uerùm ibi adfuisse corpus Domini, quod tantæ fuit uirtutis? Et tamen absque usu, & sine sumptione ibi erat. Falsum proinde est, corpus Christi sine usu non esse aut remanere. Eusebius lib. 6. Eccles. historia. c. 33. scribit in hæc uerba. *Ad Serapionem quendam Eucharistiam petentē, presbyter (qui ob infirmitatem uenire non poterat) per puerum suum, parum Eucharistiæ transmisit.* Eusebius.

Chrysostomi tempore Eucharistiam fuiße reseruatam, in epist. quam scripsit Innocentio Papæ, testatur, ubi inter cætera mala, quæ acciderāt, dum ui tractus, è ciuitate & Ecclesia eiectus, & in nauim coniectus, nauigare compel- Chrysost.

lebatur, scribit etiam sanguini Christi per milites hanc iniuriam fuisse illatam. Neq; (inquit) hic rerum finis erat. Nam & sanctuaria ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus, nullos initiatos mysterijs, & uiderunt omnia, quae intus erant. Quin & sanctissimus Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in praedictorum militum uestes effusus est, fiebántque quasi in barbarica captiuitate omnia. Haec ille. Ex cuius relatione constat sanguinem Christi, in Ecclesia fuisse reseruatum, qui in tali tumultu, in militum uestes effusus sit. Hieronymus

Hiero. in Epistola ad Rusticum monachum scribit de S. Exuperio, quòd corpus & sanguinem Domini deportauerit, dicens. *Sanctus Exuperius Tholosae Episcopus, uiduae Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente ieiunijs, fame torquetur aliena, omnemq; substantiam, Christi uisceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro uimineo, sanguinem portat in uitro.*

Cyrillus. S. Cyrillus. *Insaniunt (inquit) quidam, dicentes mysticam benedictionem cessare à sanctificatione, si quae eius reliquiae remanserunt in diem subsequentem. Non enim mutatur sacratum corpus Christi, sed uirtus benedictionis: & uiuificatiua gratia, iugis in eo est pius Papa primus, & habetur de cons. dist. 2. can. Si per negli-*

negligentiam aliquid de sanguine stillauerit in terram, lingua lambetur, tabula radetur, & sacerdos 40. diebus pœniteat. Ecce pius Pontifex apertè dicit. *Si aliquid de sanguine stillauerit in terram.* Porro quū per consecrationem, uinum mutatum sit in sanguinem, qua temeritate audent negare, extra usum ibidem non esse sanguinem? Ibidem habetur Canon Concilij Guarmaciensis. Can. *presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.* Item Canon Concilij Arelatensis. *Qui benè non custodierit sacrificium, & mus uel aliquod aliud animal, illud comederit, lx. diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, xxx. dies pœniteat.* Ex quo Canone constat, Euchari stiam, extra usum communicationis manere & reseruari posse, & non statim desinere esse, si mox non adsit usus, quanquam propter usum cō municandi reseruetur. Item ex Concilio Remensi, Cano. *Peruenit ad notitiam nostram, q̧ quidam presbyteri intantùm paruipendant diuina mysteria, ut laico uel fœminæ, corpus* Domini *tradant deferendum infirmis, & quibus prohibetur ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquēt, illis sancta sanctorū cōmittūtur.*

Quod quàm sit horribile, quámque detestabile, omnium Religiosorum animaduertit prudētia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio ulterius fiat, sed omnino presbyter per semetipsum infirmum communicet. Quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subiacebit. Denique in Lateranensi Concilio anno 1215. celebrato sub Innocentio 3. ita habetur. *Statuimus in cunctis Ecclesiis, ut Chrisma & Eucharistia sub fideli custodia clauibus adhibitis conseruentur, ut non poßit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia uel nefaria exercenda. Si uerò is ad quem spectat custodia, ea incautè reliquerit, tribus mensibus ab officio suspēdatur. Et si per eius incuriā, aliquid nefandum inde cōtigerit, grauiori subiaceat ultioni.*

His ita constitutis, progredimur ad examinādum ea, quæ Velsius responsionis loco ad hoc interrogatorium scripsit. Principio itaque falsißimum est, quæ hactenus proposita fuerunt interrogatoria, ad Antichristum, eiúsq; tyrannidem constituendam, aliqua ratione pertinere. Non enim ad Antichristi, sed ad Romani Pontificis, Petri successoris, & Christi in terris uicarij, non tyrannidem, sed legitimam potestatem & iurisdictionem, quam à Christo super omnes oues eius accepit, defendendam pertinent.

tinent. Nec solùm eam propugnant, uerumetiã alia non minùs creditu necessaria, quemadmodum Catholico lectori perspicuum esse poterit. Iã uerò nõ solùm falsissimum, sed & blasphemia est apertissima, quòd sacrilego ore audet Velsius affirmare, eas quæ sequuntur interrogationes aliquot, partim ad noui cuiuspiam idôli & horrendæ idololatriæ constitutionem facere, partim ad Christi institutionis ac Apostolorum traditionis sacrosanctæ cœnæ dominicæ labefactationem, abusus autem Antichristiani in uenerando hoc sacramento, & abominabilis uiolationis confirmationem, quemadmodum ex sequentibus manifestè patebit.

Deinde postquam prolixa uerbositate mysterium definiuit, atque ipsum in suas quasi partes diuisit, in id quod externè geritur, & quod internè peragitur, et explicauit, cui⁹ generis utraq; mysterij pars sit affirmans, eorũ quæ sunt, alia natura, alia ex instituto ac placito esse, dicit ea quæ internè peraguntur, & mẽte fideq; apprehẽduntur, natura esse, & semp & ubiq; eadẽ esse, ea uerò quæ externè geruntur, & in sensum incurrunt, ex instituto ac placito, neq; semper neq; ubiq; eadem esse. Quæ nos nõ repudiamus, sed tamen nihilo seciùs asserimus, illud quod internè peragitur, & mente fideq; apprehẽditur, quod natura est, etiam realiter fieri. quemad-

modum in mysterio Eucharistiæ (cuius negotium nunc præcipuè agitur) perspicuum est. Ibi enim corpus Christi non solum mente fideque apprehenditur, quemadmodum Velsius imaginatur ac somniat, sed reuera post consecrationem, uerè realiter & substantialiter præsens est, & eodem modo sumitur. Hæc enim omnia idcirco tanta prolixitate & obscuritate producit in medium, ut tandem ostendat (quemadmodum inferiùs demonstrabimus) non uerum & uiuificum corpus Christi, in Eucharistiæ Sacramento, substantialiter præsens existere, sed fide duntaxat apprehendi.

Velsius. Eorum *quæ internè peraguntur, quæque mente ac fide percipiuntur, causas explicare haud fuerit difficile, nescioq; quomodo eas faciliùs, inchoata rerum quadam & cõmuni intelligentia assequantur omnes, quam alteriùs illius quod externè peragitur, & in sensum incurrit.* Neq; *enim ferè quisquam est, qui nostræ certè* Religionis *quid sapiat, qui ignoret, & ex quibus bonis homo, per primi parentis Adam inobedientiam ac transgreßionem exciderit, quæq; in mala præcipitatus sit, & quæ rursus ipsi in Christo per eius obedientiam ac spiritus & iustitiæ communicationẽ sint oblata, ut hinc colligere ipsi promptum sit, mysteriorum instituendorum) quæ latinis Sacramenta*

Causæ institutionis Sacramentorum.

uocantur) ut paulò pòst latiùs declarabimus, causam quidem proter quam, sed non ut finem, uerùm ut occasionem potiùs, Adami esse inobedientiam ac transgreßionem, & ab ipso in posteritatem dissemmatum malum ac peccatum, finalem autem hominis salutem, tùm recuperandam, tùm conseruandam. Efficientes uerò, ut breuiter dicam, tùm fontem uitæ, bonitatis substantiam, unámque omnium rerum causam, Sanctam Trinitatem, ex qua ut sint, & benè ipsis ut sit, omnia propter ipsius bonitatem obtinent, tum quæ cum in humanis ageret, patri perfectam obedientiam præstando, eiúsque uoluntatem faciendo, pro nobis egit & paßus est, nostræ salutis autor CHRISTVS, *sua morte nos ab æterna morte redimens, ac peccato liberans, suique spiritus ac iustitiæ, consortes ac participes faciens. Quæ uerò formales & formales appellantur, in ipsa, de qua agimus, mysterij parte comprehensæ, omnibus sunt conspicuæ. At uerò eorum quæ externè geruntur, & in sensum incurrunt, corpus hoc quod circumferimus, quæq; ab ipso sunt affectiones, potißima est causa. Nam huius occasione, materialia, quæq; sensu percipiuntur, homini ab ipso iam inde ortu (quo tempore etsi rationis particeps est animal, mentis tamen*

& rationis usu non admodum ualens, secundùm sensum potiùs & imaginationem uiuit & operatur) utpote inter hæc etiam enutrito, magis familiaria sunt & consueta. Eámque ob *causam, ut ab his ad ea, quæ animo ipsius cognata sunt ac propria, ducatur, huiusmodi*

De cœlesti Hierar. c. 1 & 2.

indiget materiali quasi manuductione, qua de re pulchrè disserit & accuratè Dionysius A*reopagita, in opere de cœlesti hierarchia, &* in Epistola ad Titum Hierarcham, *ubi etiam quæ huius sunt generis* συνθήματα, ὡς τῇ συνθήκῃ ὄντα, *nominat*. Et *quanquam non ignoro, alias ipsum quoque ibidem* τῶν συνθημάτων *quæ et* τυπικὰ σύμβολα. *appellat, causas assignare, ut nimirum prophani & indigni, à rerum sacratissimarum contemplatione semoueātur & arceantur, tamen hanc & ipse præcipuā facit, & eius nunc nos maximè in præsenti negotio indigemus. Atq; eorū quidē, quæ externè geruntur & in sensum incurrunt, hæc fuerit causa, propter quam ea mysterijs sunt adhibitæ, nimirū ut huiusmodi manuductionis nobis usum præstent.* Nunc *quæ eorundum causa efficiens sit consideremus, quod promptè inueniemus, si cogitemus, quod quæ ex instituto placitoq; sunt, instituti placitiq; autorem, causam efficientem habent.* Q*uare non aliam nos, uerorum &* Chri*stianorum mysteriorum, eorumq; quæ hic adhibentur*

bentur symbola, quam ipsum mystagogum Christum, causam efficientem dicere possumus.

Slotanus. *Quæ hic Velsius habet de causa eorum, quæ interne in sacramentis peraguntur siue de interiori effectu sacramentorum, minime repudiamus. Nam solus* Deus *Sancta Trinitas, interioris illius effectus, causa efficiens est præcipua ac principalis. Cum enim omnium sacramentorum, interior effectus sit iustificatio, & Deus (ut Paulus inquit) sit qui iustificat, cō-* Rom.4.
sequitur Deum esse causam efficientem eorum quæ in Sacramētis interne gerūtur. Deinde quia iustificatio absq; gratiæ infusione non fit, & à solo Deo *gratia sit (nam gratiam & gloriam dabit* Dominus) *recte infertur solū* Deum *esse eorum quæ interne geruntur in Sacramentis, causam efficientem præcipuam ac principalem. Nihilominus tamen per modum instrumenti, operari potest homo, ad interiorem effectum Sacramenti, in quantum operatur per modum ministri.* Nam *eadem ratio est ministri & instrumenti, cum utriúsque actio exterius adhibeatur, licet sortiatur effectum interiorem, ex uirtute principalis agentis quod est Deus.*

Porro quod causam sacramentorū instituendorum, propter quā, sed non ut finem, uerùm ut occasionē potiùs, Adami dicit esse inobediētiam

ac transgressionem, libenter concedimus; Nā si Adā non fuisset p inobedientiā trāsgressus, præceptū diuinū, eiuscemodi sacramētis nō indiguisset. Non enim in statu innocentiæ, sacramēta necessaria fuerunt. Cū enim sacramēta, sint quædā spirituales medicinæ, quæ adhibentur aduersus peccati uulnera, & medicina necessaria non sit,
Matt. 9. *nisi infirmantibus, quemadmodum dominus ait. Non est opus ualentibus medicus, sed malè habētibus, cùm nóndum esset peccatum, sacramenta*
Par. 8. c. 10. de sacram.
necessaria non fuerunt. At postquam primus parens humani generis (Inquit Hugo) propter inobedientiæ culpam, à paradiso exulans, uenit in hunc mundum, diabolus ius tyrannicum in illum exercens, sicut eum priùs fraudulenter seduxerat ita postmodum uiolenter possidebat. Sed Dei prouidentia, quæ hunc ad salutem disponebat, sic iustitiæ rigorem per misericordiam temperauit, ut eum quidem ad tempus, ab illo præmi permitteret, & tamen ne ab illo in æternum præmeretur, ex ipsa ei pœna, remedium prepararet. Itaque tunc ab ipso mundi exordio, sacramenta salutis suæ homini proposuit, quibus eum ab expectatione futuræ sanctificationis consignaret, quatenus ea quisquis fide recta, & spe firma, propter obedientiam institutionis diuinæ perciperet, etiam sub iugo positus, ad consortium libertatis

pertineret. Propoſuit *itaque edictum ſuũ, informans hominem & erudiens, & quicunq; eum ſaluatorem, atq; libertatem expectare eligeret, eiuſdẽ ſuæ electionis uotũ, in perceptione ſacramentorũ eius approbare debuiſſet.* Hacten⁹ *ille.*

Cæterum *quod eorum, quæ in ſacramentis externè geruntur, & in ſenſum incurrunt, corpus & eius affectiones, potiſſimam cauſam facit, de cauſa propter quã, ſed non ut finem uerũ potius ut occaſionem* (Nam *occaſionem corporis ſui, cuius miniſterio animus utitur, corporalibus opus habet & ſenſibilibus) non incõgruè admittitur.* Nam *eam ob cauſam adhibentur externa iſta & uiſibilia (tamen ex diuina inſtitutione) in ſacramentorum adminiſtratione, ut per ea quæ ſibi familiaria ſunt & conſueta, manuducatur ad ea, quæ animo ipſius cognata ſunt ac propria, ſiue per corporalia & ſenſibilia, in ſpiritualia & intelligibilia deducatur, & hoc modo erudiatur.* Et *ſic externa iſta in* Sacramentis *adhibentur (ut iterum inquit* Hugo, *ut pro his quæ foris in ſacramẽto, in ſpecie uiſibili cernuntur, ad inuiſibilem uirtutem, quæ intus in re ſacramenti conſtat, cognoſcendam, mens humana erudiatur.* Homo *enim ꝗ uiſibillia nouerat, inuiſibilia nõ nouerat diuina agnoſcere nullaten⁹ poſſet, niſi humanis excitat⁹.* Et *idcirco dũ ei bonũ uiſibile, ꝗ amiſerat* Par. 9c. 3l

reddi-

redditur, foris ei eiusdem signatio, per species ui sibiles adhibetur, ut foris exerceretur, & intus repararetur, ut in eo quod tractat & uidet, agnoscat quale sit, quod percipit, & non uidet. Dona enim gratiæ spiritualia, quasi quædam inuisibilia antidota sunt, quæ in sacramentis uisibilibus, quasi quibusdã uasculis porriguntur homini, quid aliud quam ex patenti specie, uirtus occulta ostenditur? Aeger enim medicamentum uidere non potest, sed uas in quo medicamentum datur, uidere potest. Et propter hoc in ipsa uasis specie, uirtus exprimitur medicinæ, ut agnoscat quid accipiat, & per ipsam agnitionem proficiat, ad dilectionem hæc ille. Qui adhuc ibidem duas adiũgit causas, propter quas externa & sensibilia in sacramentis (quorum significatio per aliquas res sensibiles impletur) adhibeantur ex diuina institutione, nimirum non solùm propter eruditionem (de qua iam producta illius uerba loquuntur) uerũ etiam propter humiliationẽ & exercitationem nostram. Quas etiam magister sententiarum lib. 4. dist. 1. recenset, & S. Thomas explicat in 3. p. summæ suæ, quæstione 61. art. 1 Ex quibus constat, alias quoq; esse causas, propter quas ea quæ externè geruntur in sacramentis adhibeantur.

Velsius. Sed operæprecium fuerit, ut plenè perfecteq́;, mysterij ratio à nobis cognoscatur

tur, tùm instituti ipsius uim ac modum, tùm manudictionis accuratiùs aliquanto contemplari, ab huiusmodi similitudine, nobis magis cognita sumpto exordio. Nomina & *uerba, & omnino sermo quo utimur, si ipsam rerum naturam spectes, nihil aliud sunt, quam uox quædam articulata, cuius proprium est, aures ferire & percellere neque certè alia quæpiam ex sua natura ipsius est uis.* At *ex hominum instituto ac placito, huiusmodi articulata uox in nomina & uerba, eumq; qui ex his constat sermonē, cū ut sic dixerim transformatur, quod* Græci μεταποιεῖσθαι *dicūt in genere, cuius species quædā sunt* ὀνοματοποιεῖσθαι, ῥυματοποιεῖσθαι, λογοποιεῖσθαι *seruata minimeq; deperdita, priore sua natura ac substantia, talis ei uis adiungitur, ut notionē in se comprehendat, & modo quodam prorsus admirando ac stupendo, quasi cōcludat.* Hic *quæ nunc deinceps dicturus sum, diligenter considerate.* Vox *de qua nunc diximus, sic transformata, omnium quidem aures ex æquo, cuiuscumq; linguæ & nationis sint, ferire & percellere deprehenditur.* Nam *hoc secundùm naturalem suam uim, quam ubiq; & semper eandem obtinet, facit. Sed non omnes notionem intus quasi latentem & debitam percipiunt. (neq; enim quibus ea lingua cognita est) sed ij soli, quibus hic sermo notus & consuetus est.* Neque *uerò & hi*

quo-

quomodocunq; affecti, uerùm si attentè audientes, explicatam quasiq; erutã, quæ in uoce ad aures perlata continebatur, notionem mente excipiant & complectantur, & sic uox quidem symbolum, ad aures perlata terminetur, ibiq; desinat, notio autem res, ad animum transeat, ibiq; quod suæ est naturæ efficiat, ad quam certè nobis mutuò communicandam, si corpus non haberemus, huiusmodi symbolo nõ indigeremus. Hæc *si rectè intellexistis, nihil iam difficultatis erit, quæ uniuersa in genere mysterij sit ratio cognouisse.* Nã *id solùm ad eius absolutã notitiã nunc nobis deest, quod hac similitudine comprehenditur.* Quare *ad mysterij rationem, id nunc transferre tentemus.* Cum *igitur tanta uis sit hominum instituti & placiti, quid miri, si ex* Christi *rerum omnium domini, ueriq; legislatoris, quẽ* νομοθέτην, *Græci uocant, instituto & placito ijs quæ in mysterijs externè aguntur, ac sensui sunt subiecta, suam naturam ac substantiam minimè mutantibus, quod & sensuum, & rationis integrum iudicium, ad hæc & scripturarũ authoritas docet, eiusmodi gratia & uis adiungatur, & eius, quod internè peragendum est, & mente ac fide apprehendendum, in se ineffabili quodam modo comprehendendi & quasi concludendi, facultatẽ obtineant, quemadmodũ &* Paulus, *ut exemplo rẽ declaremus, inquit, poculum*

benedi-

benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? 1. Cor. 10
Atq; hactenus quidem rem & collationem integrè constare, cuiuis est perspicuum.

Slotanus. Quam non sibi constent, res & collatio, cuius perspicuum esse existimo, cui mysteriorum nostrorum & præcipuè sacrosanctæ Eucharistiæ (de qua nunc potißimùm loquimur) ratio benè perspecta fuerit. Et ut aliorum mysteriorum rationes omittamus, id de adorando mysterio Eucharistiæ ostendemus. Articulata siquidem uox in nomina & uerba transformata, aures aliorum ferit, seruata minimeq; deperdita priore sua natura ac substantia licet uox statim euolet prolata, & uolet irreuocabile uerbum ut ille inquit. Quid enim est uerbum ni si uerbũ? ferit aures, & euanuit illico. At in mysterijs diuinißimæ Eucharistiæ, ea quæ sensui subiecta sunt nimirũ panis & uinũ, suã naturã ac substantiam non retinent, sed mutant penitus, dum panis transmutatur, ac transsubstantiatur uirtute uerbi cœlestis in uerum & uiuificum corpus Christi, & uinum in eiusdem pretiosißimum sanguinem. Vis autem eiusmodi non est adiuncta ijs rebus, quæ externè aguntur, & sensui subiecta sunt, sed pani & uino, sed potiùs uirtute uerborum cœlestium (quæ tamen

etiam

etiam sensui subiecta sunt) fit hæc admirabilis & supernaturalis transmutatio siue transubstantiatio.

Quod autem ex Paulo adducit, non pro Velsio, sed prorsus contra Velsium facit. Illa etenim Pauli uerba, non probant in sacramento Eucharistiæ panem & uinum suam naturam ac substantiam retinere, sed contrarium, nimirum panem conuerti in corpus Christi, & uinum in sanguinem, dicens enim poculum benedictionis, cui benedicimus, esse communicationem non uini, sed sanguinis Christi, & panem quem frangimus, esse communicationem non panis, sed corporis Christi, utique clarissimè insinuat panem & uinum haudquaquam suam substantiam ac naturam retinere, sed conuersa esse in corpus & sanguinem Domini. Vnde quod Velsius dicit ea quæ in mysterijs externè aguntur, ac sensui sunt subiecta, suam naturã ac substantiam minimè mutare idq; & sensuum, & rationis integrum iudicium, ad hæc & scripturarum authoritatem docere falsissimum est. Et ut in hoc sacramento maneamus, substantia panis & uini, mutatur in substantiam corporis & sanguinis Christi, quemadmodum satis copiosè demonstrauimus. Porro sensus nihil hic aliud percipit, quã species panis & uini, sub quibus Christus carnem sanguinem suum, uelari & palliari

uoluit,

uoluit, ne humana infirmitas, esum carnis & potum sanguinis sui horreret. Et ut Bern. *inquit. Sic corpus & sanguinem suum sumenda proposuit, ut sensus in uno soueretur, in altero fides edificaretur.* Fouentur *enim sensus in uno, dum solita tantùm & consueta prospicit, ædificatur fides in altero, dum oculo carnis uidente aliud exterius, oculus cordis aliud sentit & reueretur interiùs. Aliud enim latet, aliud patet. posuit enim tenebras latibulum suum. Quemadmodum enim species illic uidentur, quorum res uel substantiæ ibi esse non creduntur, sic res ueraciter & substantialiter creditur, cuius species non cernitur.* Videtur *enim species panis & uini, & substantia panis & uini nõ creditur. Creditur autem substantia corporis & sanguinis Christi, & tamen species non cernitur.* Aliud *est species uisibilis, quæ uisibiliter cernitur, aliud ueritas corporis, quæ sub uisibili specie inuisibiliter creditur.* V*sq; ad speciem panis, sensus pertingit exterior, ad ueritatem carnis, fides interior. Quod sub specie illa credimus, uerum corpus est, & uerus Christi sanguis quod pependit in cruce, qui fluxit de latere.* Mira *sunt (que de sacramento isto dicuntur, fides est necessaria, scientia rationis superuacua. Scientia, ratione, & intellectu colligitur, fides sola authoritate inducitur* Augustinus *contra* Felicianum. Hoc

fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non inuentum, putet incredibile, aut repertum, non credat singulare. Hæc *sunt fratres quæ fidem necessariò exigunt, rationem omnino non admittunt.* Expetunt *simplicem creditorem, arguunt impium discussorem.* Et *ideò credi oportet simpliciter, quod inuestigari non potest utiliter.* Hæc *ille.* Ex *cuius uerbis constat, quem locum habeant in hoc Sacramento, sensus & rationis iudicium, nimirum nō alium, quàm quòd sensus percipit species, & rationis iudicium penitus excluditur.* Nam *ratio hoc Sacramento, propter arcanum mysterij, sua collectione frustratur, quando quod uidetur, & substantia panis putatur, non panis, sed corpus est Christi, quod animales nesciunt, sed fideles & spirituales norunt.* Adhæc *notißimum est sensus, circa propria obiecta nō falli, sed tamen interim ad eam, quæ latet substantiam, prorsus cæcutiunt.* Non *enim substantiam cuiúsque rei, ui sua penetrant, sed hærent in obiectis suis, & ad internam naturam non pertingunt.* Abraham *etenim &* Loth, *quum præsentes haberent angelos, nihilominus tamen homines existimabant, qui reuera non homines substantia, sed angeli erant.* Vinum *quoque ab aceto non distinguit oculus.* Et *ferunt esse, ubi oculus aquam esse referat,*

strat, quod tactus comprobet, esse lapidem Chrystallinum.

Velsius. *Quod reliquum est similitudinis, quomodo præsenti negotio sit accommodandū dicturus, uos quam maximè attentos esse uelim. Nam hîc naufragium patiuntur multi, paucißimiq; omnino sunt, qui non hac parte, in mysterij perfecta cognitione deficiant. Verùm ut id clariùs quod dico pateat, agè sacramēti definitionē, quæ ex Augustino apud magistrū sententiarū habetur, in mediū producamus. Ea huiusmodi est. Sacramentum est inuisibilis gratiæ, uisibilis forma, imaginem ipsius gerens, & causa existens. Hæc definitio ex aduerso quasi Græcorum definitioni respondet, quòd cum illa, utpote ex meliore mysterij parte, tanquā anima magis facta, ἀναγωγική, etiam magis, quæq; nos ad ea quæ mentis sunt & interna euehat, sit, hæc ut ex deteriore & quasi corpore magis constituta, econtrà magis etiam sit καταγωγική, ac proinde nos, ad corporea & externa detrahat, in iisque acquiescere, & plus satis ipsis tribuere faciat. Arbitror autem & hanc de Græco conuersionem definitionem ad uerbum esse. Habuisse autem hoc modo.. Μυστήριον ἐστιν ἀοράτου χάριτος ὁρατὸς τύπος, εἰκόνα αὐτῆς φέρων, καὶ αἴτιον ὤν. Cæterùm ut id quod dicimus, clariùs pateat, simul*

Sacramenti definitio.

autem ad id progrediamur, quod explicandum ad plenam mysterij naturæ cognitionem haben dam restat, ipsam hanc definitionem, quam uim habeat, excutiamus. Primum igitur Sacramenti genus τύπον seu formam facit. Et quoniam τῶν τύπων siue formarū, aliæ inuisibiles sunt, ut quæ in eo quod Græci τὸ φανταστικὸν τῆς ψυχῆς uocant, consistunt, aliæ uisibiles, ad illarum cogitationem excludendam in definitione, differentiæ loco, uisibilis nomen positum, ita ut Sacramentum uisibilis forma constituatur. Rursus autem, quoniam uisibilium formarum, aliæ uisibilem rem repræsentant, ut hedera suspensa uinum, aliæ inuisibilem, ut externa lotio, animi emundationem, ut à Sacramenti notione illæ excludantur, inuisibilis gratiæ hos esse typos in definitione dicitur. Iam quandoquidem typorum alij, nullam similitudinem ad id obtinēt, cuius sunt typi, ut quæ Græcis ἀνόμοιοι ἀναπλάσεις appellantur, alij uerò obtinent, ut in externa lotione, & animi emundatione est perspicuum, & id rursus in Sacramenti definitione, differentiæ cuiusdam loco adhibetur imaginem ipsius gerens. Atq; hactenus quidem, quod in definitione positum est, etsi eiusmodi ipsius sit ratio, ut dictum est, non ita multum tamē incommodi habere uidetur, cùm perniciosi alicuius erroris haud facilè occasio esse queat,

se queat, maximeq́; si per formam, id quod Græcis τύπος, dicitur, intelligatur. Quanquam certè per alteram, qua contemplatio spiritualis, quæ multorum, seu uulgi comprehensionem fugit, esse statuitur, magis excitatur & erigitur animus, & ad interna compellitur, minósque in externis hæret. Slotanus. Mirandum profectò quid sibi uelit Velsius hac Sacramenti definitione, quam Græcorum asserit, cùm illa ad uerbū translata, non aliter sonet, quàm definitio Augustini à magistro sententiarum producta, nimirum. Sacramentum est inuisibilis gratiæ, uisibilis forma, imaginem eius gerens, & causa existens.

Falsum autem est, hanc definitionem nos ad corporea, & externa detrahere, & facere ut in ijs acquiescamus, et plus satis ipsis tribuamus. Nam paulò antè dictum est ex Hugone, Sacramenta instituta esse propter eruditionem, ut pro his quæ foris in Sacramento, in specie inuisibili cernuntur, ad inuisibilem uirtutem quæ intus in re sacramenti constat agnoscendā, mens humana erudiatur.

Velsius. Quod uerè deinceps sequitur, & causa existens (in quo tamen propemodum suspicor errasse magistrum sentētiarum aut quisquis huius tandem particulæ sit autor, in Græca definitione conuertenda, quod cum in ea, id mi-

nus aut haberi deberet) id nisi commodè explicetur & intelligatur, plurimorum errorum, & superstitionis horrendæ occasio facilè fuerit, ut certè rerũ usus & experientia docet, de quibus in sequẽtibus agem⁹. Nũc quomodo uisibilis forma ut credo, fuerit καὶ ἄιτιατὸν ὢν (quod rectè se haberet, ut ex sequẽtib⁹ patebit) intelligẽs aut animaduertẽs, ita cõuerterit, ac si ἄτιον, ibi aut haberetur, aut inuisibilis gratiæ causa intelligi debet, & quõ non ostẽdamus, quod cõmodissimè fiet, si ad ea, quæ in superiùs posita similitudine sequuntur, diligẽter respexerimus. Nã quo genere nomina & uerba, & omnino dictio ac sermo, notionis concipiendæ ac scientiæ sunt causa, eodem & uisibiles istæ formæ ac typi. Quo genere igitur illa cognitionis ac scientiæ causas statuentes, rectè statuerimus? Et quo alio, quã Plato, tum in Cratylo, tùm in nono de Rep. nimirum ut instrumenta, per quæ notiones ac scientiam, nobis mutuò commuuicamus. Nam alioqui si ipsarum rerum naturam spectes, effecta potiùs, & ut Græci loquuntur ἀιτιτὰ, quam causæ sunt censendæ, quòd omne id quod imaginem alicuius gerit, eo cuius imaginem gerit ut posterius, ita & illius, ut archetypi effectus est. Slotanus. Magister sententiarum aut quis tandem in Græca definitione conuertenda huius particulæ non autor, sed uerus fuit interpres,

Pla. Cray. de Rep. 9.

terpres, non errauit, cum illa particula reuerà ibi habeatur: Non *enim* αἰτιατά, *sed* ἄτιον *ibi habetur, sed* Velsius *huic definitioni adscri-bit, quod patrocinium suo errori allaturum confidit.* Rectè *autem Sacramenta inuisibilis gratiæ causa intelliguntur.* Non *enim significãdi tantùm gratia, sacramenta sunt, sed etiam sanctificandi, cum constet sacramenta nouæ legis, non solùm significare, sed etiam causare gratiam.* Porro *cùm solus* Deus, *ut causa principalis, gratiam causet, sacramenta nouæ legis, sunt causæ instrumentales gratiæ, quia adhibentur ex diuina ordinatione, ad gratiam in eis causaudam.* Et *certè longè excellentiori modo sunt causa, quàm nomina & uerba, & omnino dictio ac sermo, notionis concipiendæ ac scientiæ.* Illa *quidem sunt instrumenta per quæ notiones ac sciẽtiam nobis mutuò communicamus, sed nouæ legis Sacramenta, ita sunt instrumenta gratiæ, ut etiam contineant gratiam, secundùm quandam instrumentalem uirtutem, quæ est in sacramentis, ad inducendum sacramentalem effectum. Sed &* Eugenius Papa.4. *in suo decreto (quod comprobantibus patribus* Cõcilij *florentini edidit) ita habet.* Nouæ *legis sacramẽta, multũ à sacramentis differunt antiquæ legis.* Illa *enim non causabant gratiam, sed eam solam per passionem* Christi *dandam esse figurabant,*

hæc uerò nostra, & continēt gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.

Non est ergo uerum, quòd sacramenta effecta potiùs sint, quàm causæ censendæ. Sed omne (inquit) id, quod imaginem alicuius gerit, eo cuius imaginem gerit, ut posterius, ita & illius, ut archetypi, effectus est. Quid ego hîc audio? Externa ablutio, nónne imaginem gerit interioris emundationis? Et nónne exterior ablutio prior est, & emundatio interior est posterior? Quomodo ergo exterior ablutio esse potest effectus interioris emundationis? Falsum proinde est quòd Velsius uniuersaliter asserit, omne id quod imaginem alicuius gerit, posteriùs & effectum esse, eius cuius est imago, ut archetypi. Nā potest fieri imago siue signum (quòd in præsentiarum idem est) ut alicuius præteriti, ita & futuri, & quando fit aliquod signum alicuius futuri, id non habet archetypum, hoc est, principium à signato, quemadmodum iam de exteriori lotione, ad interiorem collata, intelligere promptum est & ostensum. Sic in ueteri testamento, circumcisio carnis, cordis circumcisionem significabat (teste Apostolo) & tamen in paruulis præcedebat cordis circumcisionem, cuius non potuit esse effectus, propterea quòd effectus nequeat esse prior sua causa. Quæ mox sequuntur apud Velsium præter propositum

adiecta sunt, imò nihil minus quàm ad proposi=tum faciunt. Nam *tractare illa* Philosophica, *de notionibus & rebus, hoc est, de obiectis earum, atq; uerbis, quibus notiones exprimimus, cognoscendiq; modò & significandi, quid quæso confert ad rationem sacramentorum ritè cognoscēdam?* Res *nobis est cum* Velsio, *non de significatione uerborum siue uocabulorum, sed de efficatia & uirtute sacramentorum, quæ sine uerbis perfici nequeunt, id quod etiam statim est declaratum, & probè intelligit* Velsius, *modò aures audiendi habeat, sed repetere eadē haud grauabimur, quo* Velsius *& ij, qui usq; grauiter auribus audiunt, uellicatione replicata, semel ea ritè perpendant.* Mox *enim dictum est, Sacramenta non significandi tantū, sed uel maximè sanctificandi gratia instituta, nimirū quæ efficiunt simul significatum ipsum, quod est effectus gratuitus, siue sanctificatio nostra.* De *hac sacramentorum efficacia, & hoc effectu, ut* Velsius *nullam mentionem facit, ita proculdubiò nihil nouit. Sed audi Christiane lector, sequentia ipsius uerba, & re ipsa comperies ea quæ dixi.*

Velsius. *Sed hoc quod dico, ut commodè ab omnibus intelligatur, uidetur aliquanto latiùs explicandum.* Tria *hæc se ordine consequi statuunt* Philosophi, *res, notiones, uerba, & ex re*

bus quidem ipsis, quasdem impreßiones in animum fieri, quas animi quidem patientis occasione παθήματα, *rerum autem efficientium* ὁμοιώματα, *appellant, notiones autem rerum in anima conceptas, cùm alteri sint communicandæ, suã quasi uim uoci imprimentes, uerba procudere, quæ* τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, *nominant.* Et *prius quidẽ illud ui naturæ fieri asserunt, posterius autẽ hoc,* κατὰ συνθήκην *& ex instituto.* Q*uãq; esse uidetur apud* Platonẽ *de posteriore hoc, quædã in* Cratylo *controuersia, cum quandã nominum natura esse rectitudinem adstruere conetur, sed quæ huius loci nõ est, cum ad rẽ præsentẽ nihil faciat.* Nobis *enim hoc loco satis est, si intelligamus quõ uerba, quæ effecta & symbola sunt animi affectionũ, & notionum earundẽ causæ dici poßint.* Atq; *id iam, & si solerti certè & industrio auditori, ex iã dictis perspicuum est: tamẽ ut omnibus apertißimè constet, pauca adhuc quædam subijcere uisum est.* Is *qui docet & discit, contraria quodammodo feruntur uia, ille nánque iuuandi alterius gratia, à prioribus ad posteriora se submittit, cùm de rebus notiones in animo concipiens, has uerbis quibusdam quasi circũscribens & cõprehendens exprimit, quæ ad aures discentis perferantur.* Q*uibus hic tanquam instrumento quodam commotus & quasi excitatus ad notio-*

Liber Perher. & Boe. comm. super eundẽ.

notiones, quarum hæc erant symbola, erigitur & à notionibus ad res ipsas ascendit, quod certè fieri non potest, nisi is qui docet, ea utatur lingua, quæ & discenti cognita est. Eodem igitur modo, & non alio, uisibilē formā ac typū inuisibilis gratiæ, causam esse,, intelligere oportet cū alioqui effectus quidā magis et ἀιτιατον, quam uera efficiens causa sit censenda, quod ex his Dionysii Areopagitæ uerbis manifestè patet. quæ ad uerbum de Græco conuersa, licet minus fortasse politè, hic subijciam. Ingrediamur (inquit) à causatis ad causas, in sacra hac nostra synaxi, et decorā intelligibiliū Iesu lucē præferēte, intueamur contemplationē, quæ archetyporum beatæ pulchritudinis ex se splendorem manifestè eiaculatur. Hæc uerba explicans Græcus scholastes inquit. A causatis ad causas, id est, ab ijs quæ sensibiliter peraguntur, ad inuisibilia et mystica, quæ eorum, quæ sub sensum cadunt, causæ sunt & archetypa. Causata autem dicuntur, quæ aliundè, ut quóquo modo sint, obtinēt. Aut à causatis ad causas, id est, à sensibilib9 symbolis, ad ea quæ intellectu pcipiūtur, et intelligētiæ ui pollēt. aut certè à typis ad imaginē, et ab hac ad ueritatē. Vmbra siqdē sunt, q̄ ueteris sūt testamēti, imago uerò, q̄ noui, ueritas aūt futurorū sta t9 Slotanus. Verba effecta sunt et symbola animi affectionū et notionū in pferēte et earūdē causæ

Eccles. Hierar. c. 3

dici

dici possunt in audiẽte. Quis enim nescit, uerba proferentis, esse causas animi affectionum & notionũ, in audiente & intelligente? Videtur Velsius ista hîc ea de causa dicere, ut persuadeat Sacramenta, quæ in actione cõsistunt, in recipiẽte Sacramentũ, tantùm notiones ex prima institutione producere, & qui ea uerba non intelligat, frustra sacramẽtum suscipere, quasi infans, aut surdus baptizari non poßit. Vel q̃a in isto interrogatorio, loquitur de adorãdo Eucharistiæ sacramento, quod à cõsecratione perdurat ac pmanet reseruatũ quousq; sumatur, idipsum pernegare contendit, quasi consecratio præter significationẽ ex institutione prima, nihil opetur ex institutione Christi. Quod Velsius, qui tantũ uidetur legisse Hæreticos, minimè intelligit. Quod si tãta diligentia legisset Catholicorũ lucubrationes, quanta Hæreticorum scripta, tantoq; cum affectu, fortaßis rectiùs sentiret.

Quod deinde ait. Eodem modo, & non alio, uisibilẽ formam ac typũ, inuisibilis gratiæ, causam esse intelligere oportere, &c. fatetur uisibilem formã ac typum, esse causam inuisibilis gratiæ, & eandem formam, esse effectum. Sed quomodo hæc simul cõstare possunt, si intelligit eã esse causam & effectum respectu eiusdem? Sin uerò intelligat referendo ad diuersa, nihil nouũ dicit. Sed quomodo hæc applicabit ad Sacramẽta?

Quod

Quod deinde ex capite.1. Eccles. Hierarchiæ *Dionysii Areopagitæ adducit, ibidem non inuenitur, Nihil enim ibi offendi, quod eũ sensum habeat. Sed cap.3.parte.3.iuxta interpretationẽ Ambrosii Camaldulensis ordinis, ita legitur. Hæc igitur ad ipsas aditorum ualuas, honestissimè picta, rudibus adhuc respicienda linquentes (neq; enim altiora capiunt) iuxta sacratissimæ synaxis nostræ rationem, ex causalibus ingrediamur ad causas, atque intelligibilium (illustrante Iesu) decoram prorsus intelligentiam intueamur, ex qua, primitiuorum exemplariũ; beatissima emicat pulchritudo. Vbi scholastes Stapulensis.* Ex *causalibus, ex effectis, ipsisq; causatis. Et iterum Ab effectibus ipsis, ad causas progrediendum est, & ab exterioribus signis, (quæ causalia sunt, quod propter aliud ordinantur) introgrediendum est ad ipsas causas, spiritualia scilicet sensa, quorum gratia sunt hæc signa sensibilia hactenus ille. Hic audis quanam ratione spiritualia sensa, dicantur causæ, & exteriora signa dicantur causalia effecta siue causata, nimirum quod propter aliud ordinantur, nẽpè propter spiritualia.*

Sed quid nam aliud potest ex his colligi, quã quod à cognitione effectuũ siue causatorũ, nonnunquam procedendum sit, ad cognitionem causarum? Quod etiã ipse philosophorũ princeps

Aristo-

Aristoteles in exordio physices docuit, dicens ex certioribus nobis, procedendum esse ad certiora naturæ. Sed & ipse sacratissim⁹ pater Dio*nysius primo capite, non* Ecclesiasticæ, *sed cœlestis* Hierarchiæ, *eandem ferè habet sententiam, dicens* Deum *simulachris sub sensum cadentibus, mentes illas cœlestes, in sacris illis libris descripsisse, ut nos & rebus sensum mouētibus, ad eas quæ animo ac ratione cernuntur, & signis, quæ efficta sunt, ad summam cœlestium* Hierar*chiam simplicitatem, perducat. Similia quoq; habet* Apostolus *in epist. ad* Ro. c. 1. *ubi dicit, inuisibilia* Dei *p ea quæ facta sunt intellecta cōspici. Sed nūquid horū cognitio, cōcernit sacramēta?*

Velsius. *Ex his arbitror satis esse perspicuū, quo genere uisibiles has formas ac typos, causas statuere oporteat, quoq; loco habere, nō eo certè, ut malè asserunt* Sophistæ, *ut his rebus externis atq; corporibus nos subijciamus, ab ipsis salutem quærentes,* Hugonem *non satis piè, nec circumspectè loquentem, absurdæ suæ sententiæ cōprobatorem, in medum adducētes, qui inquit.*

Hug. lib. 1. de Sacra. par. 9. c. 5. Q*uandoquidem nos* Deum *dereliquimus p creaturas, uoluit* Deus *ut nos creaturis subijciamus, quaten⁹ homo dum sensibilibus rebus, quæ infra ipsum sunt, ex præcepto creatoris reuerendo se subijcit, ex hac humilitate & obediētia,* Deo *magis placeat, et apud* Deū *mereatur, cuius p̄cepto*

salu-

salutẽ quærit in infrioribus, se, & si nõ ab illis, sed per illa Deo. Slotanus. Quod Velsi⁹ hoc loco dicit Sophistas (p. quos Catholicos designat) malè asserere, & Hugonem uirum ut doctissimũ ita pariter & sanctissimum, non satis piè, nec circumspctè loquutum, more suo facit, quum ipse sit sophisticissimus, & non solùm impiè & incircumspectè loquatur: uerumetiam insyncere, & falsò citet uerba patrum. Nam ea uerba quæ huc contra nos producit Velsius, ex uenerabili Hugone, in loco ab eo citato, nempe lib. 1. de Sacra. cap. 5. prorsus nõ habentur, sed cap. 3. hæc habentur eiusdem uerba. Cùm enim dixisset, triplici ex causa sacramenta esse instituta, nimirũ propter humiliationẽ, eruditionẽ, et exercitationẽ, illico subiungit propter humiliationẽ, quidẽ, ut dũ homo rationalis creatura, in sensibilib⁹ elemẽtis, quæ natura infra ipsum cõdita fuerũt, ex præcepto creatoris sui subijcitur, ex hac ipsa sua humiliatiõe, creatori suo recõciliari mereatur. Deinde post aliquãta, postq̃ dixisset hoiem p cõcupiscẽtiã abstractũ, à deo supiori suo fuisse auersũ, et præcipitatũ ac ad infriora cõuersum, et illis se subiecisse, q̃ bona sua fecerat mox subijcit dicẽs: Iusta igitur recõpẽsatione, q̃ suo superiori p obediẽtiã, subiectus esse noluit p cõcupiscẽtiã suo se infriori subiecit, ut iã ipsum inter seipsum Deũ, mediũ inueniat diuisionis nõ

mediato-

mediatorem reconciliationis &c. Et statim. Iustum ergo est, ut homo qui priùs Deum superbiendo deserens, se terrenis per concupiscentiam subdidit, nunc per humilitatẽ Deum requirens, ut pleniùs affectũ suæ deuotionis insinuet, eisdẽ se propter præceptum Dei, per obedientiam inclinet. Sicut enim perniciosa fuit elatio, superiori nolle subijci sic laudabilis & fructuosa deuotio est, propter superiorẽ etiam inferioribus inclinari. Et quemadmodum damnabilis fuit superbia, præsentem despicere, sic laudabilis humilitas est, absentem quærere, & perseruanti amore usque ad inuentionem ab inquisitione non cessare, ut sit & deuotio in humilitate, & humilitas in deuotione. Nemo siquidem est, qui nesciat, hominem rationalem, mutis & insensibilibus elementis, cõditione superiorem existere, & tamẽ cum ibidem homo in his salutem quærere iubetur, ad experiendam obedientiæ ipsius uirtutẽ, quid aliud quàm suo inferiori, superior subijcitur? Hinc est quod infidelium oculi, qui uisibilia sola uident, sacramenta salutis uenerari despiciunt, quia in eis tantùm quod foris est contemplabile in specie uisibili uidẽtes, inuisibilẽ uirtutẽ intus, & fructũ obediẽtiæ nõ agnoscũt. Nõ enim sciunt, quòd fideles salutẽ ex ipsis elementis nõ quærunt, etiam si in istis quæritur, sed ex illo quæritur in istis, à quo iubentur quærere

& cre-

& credunt se percipere in istis. Non enim ista tribuũt, quod tribuitur per ista, sed ille per ista salutẽ præbet, qui in istis salutem quærere iubet. Hactenus ille ibidem. Sed & cap. 5. adducit pulchram & appositam similitudinem de medicina, qua Ezechias fuit curatus, ex qua quidẽ medicina, quoniã secundùm se sanitati cõtraria erat, nõ erat sanitas, ut apte mõstraretur, quoniam ex illa nõ erat, quod p illã erat. Vide (inqt) quid sacramenta Dei medicinæ sicut spiritales, quæ foris corporibus adhibentur per uisibilem speciem, sed intus animas sanant per inuisibilem uirtutem, quorum quidem institutio quantũ ad percipientem, dispensationis est, susceptio uerò quantum ad obedientẽ, necessitatis. Vis scire q̃ in istis uisibilibus speciebus, ad curãdos morbos spiritales, remedium Deus non sumit, sed solum Sacramentum constituit? Accipe Sacramentum de Sacramento. Aegrotauit Ezechias, & missus est ad eũ Esaias Propheta, qui ei mortẽ immentẽ prædiceret. Quo audito, terrore & dolore cõpunctus, lachrymas cum prece fudit, & misericordiam impetrauit. Remittitur continuò Esaias, ut quindecim annos uitæ illius adijciendos annunciet, & ad uirtutem sacramenti ampliùs commendãdam, uulneri eius curando, nouã nouo modo, medicinam præpararet. Apposita est medicina foris, ut uirt⁹ occulta intus operatur,

& nõ erat sanitas ex medicina, quoniam secundum se contraria sanitati erat medicina, ut apte monstraretur, quoniam ex illa nõ erat, quod per illam erat, magnum de sacramentis, sacramentum commendatum est. Aeger ergo est genus humanum, quod languet, & mens per iniquitatem, & foris per mortalitatem, ad quẽ sermo propheticus mittitur, ut ei mors imminens, non solum præsens, sed & futura annuncietur. Qui terrentur, confitentur, plorant, & orant, & misericordiam impetrant. Remittitur sermo propheticus, qui nos de longioris uitæ spacio indulto, certos efficiat, quia eadem nos scriptura, de æternæ uitæ promißione cõsolatur pœnitẽtes, quæ de ppetua mortis damnatione terret in peccato persistentes. Apponitur medicina curãdis ulceribus nostris, quæ cum ex sui qualitate, morbo contraria ostẽditur, in curatione ægroti, nõ medicinæ, sed medẽtis uirtus, euidentißime declaratur. Istæ medicinæ, ipsa sunt sacramenta, quæ dum foris nobis, per ministros sacræ dispensationis, corporaliter adhibentur, uulnera animarum nostrarum, inuisibiliter curantur, ut curati & sanati, ad ppetuæ uitæ repromißionem, pertingere poßimus. Quæ quidem uita quindecim annorum numero signata est, quæ & in præsenti per requiem mẽtis in septenario inchoatur, & in futuro per

mortalitatē carnis octonario perficitur. Quæ tamen quantum medicina ad suam naturam spectat, augere morbum habuit, non curare, quia terrena omnia quantum ad illorum qualitatem nostram infirmitatem pertinet, corruptionem animarum operari solent potius, quàm curationem, per quæ tamen Deus *nostram sanitatem perficit, quid aliud q̃ suæ uirtutis potentiam euidenter ostendit, cùm in eodem nostrum procurat remedium, à quo infirmitatis & corruptionis traximus morbum?* Nam *utiq; istis adscribitur, quod per ista nobis administratur.* Neque *in illis uisibilem, ita ueneremur speciem, ut inuisibilem eis subijcere ueritatem conuincamur. Hac consideratione diligenter intuentibus, manifestum fit, quantum uel illi debeāt, quòd foris in specie sacramētis uisibiliter cernitur, uel illi quod in uirtute sacramēti, intus inuisibiliter operatur.* Hactenus ille. *In cuius uerbis syncerè & fideliter recensendis, idcirco prolixiores fuimus, ut perspicuum fieret,* Velsium *nō uidisse* Hugonem, *cuius uerba tam insyncerè citat, contra nos. Quid igitur deinde dicit* Velsius? *O blasphemam (inquit) sententiam, & Antichristianæ impietatis plenam. Quid nugaris* Hugo? *Hæc ne tibi causa sensibilium rerum* Sacramentis *adhibitarum uidetur.* Deliras, *rectiùs hac de re pronunciauit, te ut antiquior,*

ita meritò & harum rerum & mysteriorũ peritior, Dionysius Areopagita. Vnde autem hoc didicisti, quod Deus uelit, ut nos creaturis, iisq; anima carẽtibus subijciamus? Nã quòd subditi esse debeam⁹ omni humanæ creaturæ propter Dominum, ordinatè, & ut recta ratio postulat, id Petrum docere uideo. Quòd uerò homo sensibilibus rebus, quæ infra ipsum sunt, ex præcepto creatoris reuerendo se subijcere debeat, ubi quæso in sacris literis legisti? aut quod mihi præceptum narras? Ego certè mihi contrarium ex sacris literis didicisse uideor, reprehẽdi nimirũ eos, qui à creatore ad creaturas conuersi, has colunt, his se subijciunt. Quam uerò humilitatem & obedientiam rationis expertem hîc prædicas, ex qua Deo magis placeat homo, & apud Deum mereatur? Sagarum mihi superstitionem adferre uideris. Vbi porro illud præceptum habetur, quo iubetur homo quærere salutem in inferioribus se. Nam ego Hieremiam dicentem audio. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Si igitur ne in paribus quidem & æqualibus ut confidamus uult, quanto minus ut in inferioribus nobis salutem quæramus, iubet. Slotanus. Non est blasphema Hugonis sententia, multúmque abhorret ab Antichristiana impietate, sed sacris literis est consentanea. Sed

1.Pet 2.

Rom.1.

Hier,17.

tu ca-

tu calumniator Velsi adfingis illi uerba, quæ ille non habet. Non ille, sed tu deliras, non ille, sed tu nugator quum sis, nugaris, & calumniam struis optimo uiro & doctissimo, cuius uerba à me citata uerissima sunt, & per Catholicam Ecclesiam approbata, donec uenires tu, & insipienter & calumniosè ea peruerteres, contráque ea exclamares. Quæris ubi in sacris literis legerit præceptũ, quòd homo sensibibus rebus, quæ infra ipsum sunt ex præcepto creatoris reuerendo se subijcere debeat? Et tu uis esse magister in Israël, & hæc ignoras? Euntes (inquit Christus discipulis suis) docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij Spiritus sancti. Nónne legisti apud Ioannem, quid Dominus dixerit ad Nicodemum? Nisi (inquit) quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Nónne aqua inanimata creatura est inferior homine? Et tamen si salutẽ consequi uelit, ex præcepto creatoris ei subijci debet homo. Quod autem ex Apostolorum principe Petro adducis, subditos nimirum nos esse debere, omni humanæ creaturæ, propter Deũ, nihil prorsus facit ad propositum. Nam Petrus ibi non loquitur de creaturis inanimatis, sed de creatura humana. Omni (inquit) humanæ creaturæ. Quod deinceps explicans. Siue regi (inquit) quasi præcellenti, siue ducibus tanquam Ioan. 3.

ab eo missis, ad uindictam malefactorum, laudē uerò bonorum. Quod autem à Paulo reprę-
Rom. 1. henduntur, qui à creatore ad creaturas conuersi, has colunt, his se subijciunt, rectissimè facit. Nam de illis loquitur, qui mutauerunt gloriā incorruptibilis Dei, in similitudinē imaginis corruptibilis hominis, & uolucrū & quadrupedum & serpentium, qui commutauerunt ueritatem Dei in mendaciū, & coluerūt & seruierunt creaturę potiùs q̄ creatori, quod haud quaq̄ faciunt Christiani, qui sese subijciūt Christianorum sacramētis. Vnde quoq; non sunt male-
Hier. 17. dicti, quia p hoc quod subijciunt se sacramētis Ecclesię nō dicuntur confidere in homine, neq; ponunt carnem, id est, hominem mortalem, aut rem aliam fragilem & periturā, brachium suū, id est fortitudinem suam, spem suam & refugiū suum, neq; à Domino recedit cor eorum, sed potius per Ecclesię sacramenta accedunt ad Dominum, & reconciliantur Deo. Non ergo sagarū superstitionem affert Hugo, sed Catholicam & sanam doctrinam. Velsius.

Sed inquiens, iniuriam me uerbis tuis facere. In sequentibus enim te ueluti castigationem quandam eius dicti adferre. Quam quęso audiamus. Et si non ab illis, sed per illa à Deo. O egregia castigatio. Hęc mihi etiam absurdio-
1. Tim. 2. rem reddere sententiam uidetur, cum id quod

Christi Iesu proprium est, qui ut unus est Deus, *& unicus est mediator* Dei *& hominum, irreuerenter infra nos positis creaturis attribuis.*
Slotanus. Reuera Velsi, *iniuriam magnam uerbis* Hugonis *facis, cùm asseris eum id quod Christi* Iesu *est proprium, irreuerenter infra nos positis creaturis attribuere.* Id *enim ex ipsius uerbis haudquaquam colligere poteris. Ita enim inquit cap.* 3. Non *enim sciunt (nimirum infideles) quòd fideles salutem, ex istis elementis non quærunt, etiam si in istis quæritur, sed ex illo, & ab illo, quæritur in istis, à quo iubentur quærere, & credunt se percipere in istis.* Non *enim ista tribuunt, quod tribuitur per ista, sed ille per ista salutem præbet, qui in istis salutem quærere iubet.* Hæc *ille.* Vnde *quæso hîc colgis* Hugonem *id quod Christi Iesu est propriũ, irreuerenter infra nos positis creaturis attribuere? Nónne apertis uerbis dicit, illum per illa salutem præbere, qui in istis salutem quærere iubet? Et quisnam est ille. Nónne Christus, autor & institutor sacramentorum* Noui *testamenti? Et quidem ille unicus mediator* DEI *& hominum, paßionem & mortem suam, qua nos redemit & patri reconciliauit, uerùntamen ut eius paßio & mors nobis posset accommodari, instituit* Sacramenta, *uirtutem ac efficatiam ex morte*

& paßione sua habentia, per quæ salutem consequeremur. Institutio *sacramentorum(inquit* Hugo *cap.5.) quantum ad* Deum *autorem, dispensationis est, quantùm uerò ad hominem obedientem, necesßitatis. Quoniam in potestate* Dei *est, præter ista hominem saluare, sed in potestate hominis non est, sine istis ad salutem peruenire.* Potuit *enim* Deus *hominem saluare, etiam si ista non instituisset, sed homo nullatenus saluari posset, si ista contemneret. Dicit enim scriptura.* Non *potest saluari, qui baptizatus non fuerit, qui hæc uel hæc non fecerit, saluari non potest, & confitemur quod uerum est.* Et *quia saluari non potest homo, qui caret his, sine quibus ab homine salus haberi non potest, homo sine his saluari non potest, sed* Deus *sine his saluare potest.* Homo *quippe sine his saluari posset, si sine his saluari, in potestate hominis esset, & si posset homo pro arbitrio suo, ista, quæ ad salutem obtinendam proposita sunt, relinquere, & secundùm suam electionem aliã uia (quod homini quia impoßibile est omino, propterea rectißimè dicitur) ad salutem peruenire. Quia homo sine his omnino saluari non potest.* Deus *autem sine his hominem, saluare potest, qui uirtutem suam & sanctificationem & salutem, quocũq; ipse uoluerit modo, homini largiri potest; Illo namq; spiritu quo decet hominem sine uerbo iusti-*

bo iustificare, etiam ualet si uoluerit sine sacramento, quia uirtus Dei *necessitate elementis non subditur, etiam si gratia* Dei *ex dispensatione per sacramentum donetur, &c.* Ex *quibus omnibus clarescit, quàm magnam iniuriam* Velsius *faciat* Hugoni, *cuius uerba non eo modo citat, quemadmodum in* Hugone *habentur, ut inde perspicuum fiat,* Velsium *eadem uerba non ex* Hugone, *sed ex alio quodã* Lutheranæ *factionis æmulo ac comprobatore descripsisse, aut si ex ipso* Hugone *desumpsit, destinata illius proditur malitia, qua piè & optimè dicta pessimè detorquet.* Deinde Velsius *declarare uolens, quam uim uisibiles formæ quæ in mysterijs adhibentur, ex instituto habeant, & quod institutum illud sit ex quo ea obtinent, & quomodo in nos illam uim exerant,* Augustini *quandã sententiam adducit, quæ ut rectè intellecta (inquit) aliquo modo uera est, ita perperàm, ut ferè à multis hodie intelligitur, non solùm grauis & perniciosi erroris, sed etiam horrendæ idololatriæ est occasio.* Est *autem hæc sententia.* Accedit *uerbum ad elementum, & fit sacramentum.* Hæc *uerba quomodo perperam intelligant,* Scholasticæ *& sententiariæ, opinatricis, non scientificæ theologiæ comprobatores & æmuli, priùs explicabo, deinde qua ratione secundùm rei ueritatem sint intelligen-*

da. Illi igitur res externas, sacramentorum materiam constituentes, formam eorundem, certa quædam determinata uerba, quomodocúmque pronunciata, siue cum attentione proferentis & audientium, siue absque ea, & uel ab ipso & auditoribus intellecta, uel non intellecta, imò quid dico, ne exaudita quidem, cùm in sacramento altaris ab ipsis appellato, pani & uino tantùm ea, quæ aures non habent, secretò insibilet, impium ratus, si quis hominum exaudiat, esse uoluit. In quo quanta impietas & abominatio consistat cùm cogito, totius horrore concutior, doleóque me toties, tàm horrendis abusibus (ne quid nunc dicam grauius) interfuisse, in posterum autem nunquam me interfuturum promitto. Nam quid horribilius, quam literam occidentem, uiuificantium sacramentorum formam constituere? Est autem omne uerbum seu sermo, cuiuscúmque etiam scripturæ loci, litera occidens ac inutilis, qui nòn spiritualiter intellectus, fide contemperatus, penitúsque unitus est ijs qui audiunt, ut & ex Euangelio Ioannis. ubi Christus crassos illos synagogæ Capernaumicæ auditores, qui literæ inhærebant, reprehendens inquit. Spiritus est qui uiuificat, caro, id est, carnalis ac literalis sensus, non prodest quicquam. Verba quæ ego loquor, spiritus sunt & uita. Sed sunt ex uobis quidam, qui

Ioan. 6.

non credunt. Et ex Pauli epistola ad Corinthios, ubi sic habetur. Litera enim occidit, spiritus autem uiuificat. Insuper autem & ad Hebræos, quem locum sic secundum Græcam ueritatem uertimus. At non profuit sermo auditionis illis non contemperatus, id est, penitus unitus ad eorum, quodammodo morem quæ temperatura, quam Græci κρᾶσιν uocant, unum fiunt, fide ijs qui audierant, locis exquisitè intellectis, & in unum collatis colligere promptum est. Sed hæc haud dubiè, aliáque his absurdiora, quæ omnem sagarum superstitionem exuperantia referre piget, ex magicis illis sunt adytis profecta, quorum omnium mysteriorum participem, futurum Antichristum Papam, & ex his puerum seruum Deum, nouam ipsius creaturam, conficto transsubstantiationis dogmate, producturum, omnémque numinis uenerationem, soluturum, longè antè prædixit Sybilla, cuius in præcedentibus etiam mentionem fecimus.

Slotanus. Si Aethiops potest mutare pellem suam, tu quoque Velsi calumniandi & Blasphemandi animum permutabis. Hæc enim conuitia & blasphemiæ, hominem Christianum haud quaquam decent, & admodum aliena sunt à bono uiro. Execranda sunt siquidem ista Christianorum auribus. Et

certè

certè te malitia plenum ostendis, qui nunquam desinis malitiæ uirus effundere, & tot probris & maledictis non solùm Ecclesiæ sacrosancta sacramenta, uerùm etiam totius Ecclesiæ principem Papam insectari. Si enim esse necesse est unũ totius Ecclesiæ (quæ & una est) moderatorẽ, quemadmodum non Cyprianus solùm, uerum etiã cæteri patres orthodoxi testãtur, nónne iniquum est eũm à quoquam huiuscemodi probris & maledictis affici? Sed ad rem. Dicis scolasticè & sententiariæ opinatricis, non scientificæ theologiæ comprobatores & æmulos, perperã intelligere uerba Augustini. Speciosa uerba, sed ex thesauro tui inuidiosi cordis deprompta. Porro quàm scientifica theologia, & quàm solidis demonstrationibus & argumẽtationibus tu utaris, & ex ijs quæ præcedunt, et quæ sequuntur, prudens & æquus lector, facilè intellexerit. Dicis nos res externas, materiam sacramentorum constituere, formam uerò eorundem, certa quædam & determinata uerba. Respondeo nos minimè constituere res externas, materiam sacramentorũ, aut determinata uerba, formã eorundem, sed uti rebus & uerbis, ex diuina institutione determinatis. Ad hæc quando in sacramentis ponimus materiam & formam metaphorica quasi locutione utimur, ad similitudinẽ rerum compositarum ex materia & forma, id

quod

quod & magis corporeum est & sensibile in sacramentis, appellantes materiam, id uerò quod subtilius ac spiritualius formam.

Deinde quod ais, nos constituere determinata uerba, quomodocunq; pronunciata, siue cum attentione proferentis & audientium, siue absq; ea, & uel ab ipso & auditoribus intellecta, & ne exaudita quidem, nihil nisi mera est calumnia: Ostende ubi hæc uel dicta uel scripta sint à nostris.

Quod uerò probationis loco adijcis, nos pani & uino tantùm ea, que aures non habent, secreto uerba insibilare, non multum abest à Corolostadij Sacramentarij blasphemia, qui deridens sacerdotes uerba consecrationis super panem pronunciantes, panis (inquit) non fit melior per hoc murmur & anhelâre sacerdotum, quis enim dedit potestatem hanc sacerdotibus? Quod impius ille Corolastadius appellat anhelationem & secretum murmur sacerdotum, Vel sius non minori insania, secretam uerborum insibilationem in panem & uinum, quæ aures nõ habent. Sed nos non dicimus per illam insufflationem, anhelationem, murmurationem & insibilitationem (uti ridendo sacra mysteria dicunt hæretici) panem fieri meliorem, aut panem & uinum aures debere habere ut audiant, sed constanter affirmamus & religiosè cõfitemur, substantiam

ſtantiam panis in corpus Chriſti conuerti, & uinum in eius ſanguinem, quando ſacerdos ſecundùm inſtitutionem Chriſti profert uerba conſecratoria, quibus Deus diuina ſua uirtute adſit, & ſubſtantiam panis & uini mutat in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti.

Iam uerò quis ferat, quod totus horrore concuteris, doléſque te toties hiſſe ſacroſanctis myſterijs (tu horrendos ſacrilego ore abuſus uocas) interfuiſſe, & in poſterum te nunquam interfuturum promittis? O te infelicem hominem, & omni lachrymarum in fonte plangendum, qui hæc dicens, non intelligis te damnare quod antea ſalutariter, ſi non ficto animo, comprobaſti, téque ipſum præuaricatorem conſtituere, qui ea quæ priùs adſtruxiſti, nunc mutata in deterius uoluntate, deſtruis & improbas. Quòd quæſo quid aliud eſt, quàm dolore te benè ſenſiſſe atque feciſſe? promittereq́; te nunquam benè in poſterum acturum?

Quod præterea pro confirmatione impietatum tuarum affirmas, nihil horribilius, quàm literam occidentem, uiuificantium ſacramentorum formam conſtituere, tantùm abeſt à uerò quantùm Velſius à ueritate. Non enim ſunt formæ ſacramentorum litera occidẽs, ſed uiuificantis ſpiritus inſtrumenta & media. Sed eſt omne uerbũ ſeu ſermo(inqs(cuiuſcumq́;

etiam

etiam scripturæ loci, litera occidens ac inutilis, qui non spiritualiter intellectus, fide contemperatus; penitusq; unitus est ijs, qui audiunt. Sed non intelligis Velsi, quid intelligat Apostolus *per literam occidentem.* Vnde *non mirum est, te hic & in sequentibus perperàm & sinistrè applicare uerba* Apostoli. Nā teste *sancto* Augustino, *doctrina illa, qua mandatum accipimus, continēter recteq; uiuendi, litera est occidens, nisi adsit uiuificans spiritus. Sic enim magis accipiendum est, quemadmodum dictum est, quoniam legis litera, quæ docet non esse peccandum, si spiritus uiuificans desit, occidit, sciri enim facit peccatum potiùs, quàm caueri, & ideo magis augeri, quàm minui, quia malæ concupiscentiæ, etiam præuaricatio legis accedit.* Porrò *Theophylactus ita exponit.* Lex *(inquit) illa uetustior, si quem deprehendat, uel rebus in minimis delinquentē, non secus afficit morte, quam ligna sabbato legentem affecerit: Spiritus autem sanctus, uel si mille hominem facinoribus obstrictum exceperit, baptismi lauachro, & iustum reddit, & peccato uiuificat mortuum.* Denique *idcirco quóque litera occidere, & spiritus uiuificare dicitur, quòd orta* Euangelij *luce, lex uetus ad literam cæremonialiter seruata, mortifera sit atque blasphemá, uenturum significans Christū, quem*

Aug. de spi. & lit. c. 4 & 5. 1. Cor. 5.

quem iam ueniſſe credimus. Spiritus autem, id eſt, ſpiritualis & myſticus legis intellectus, à ſpiritu ſancto reuelatus, uiuificat, eò quod nobis ſalutem noſtram Chriſtum demonſtrat. Quod autem adfers ex cap, 6. Ioan. Spiritus eſt qui uiuificat, caro non prodeſt quicquam, quomodo intelligendum ſit non poteſt eſſe obſcurum, ſi quis contextum uerborum Ioannis Euangeliſtæ *diligenter inſpiciat. Siquidem (ut Cyp. uerbis utamur) orta fuerat aliquando, ſicut in* Euangelio Ioãnis *legitur de nouitate uerbi huius quæſtio, & ad doctrinam myſterij huius, obſtupuerant auditores cùm diceret* Dominus, *Niſi manducaueritis &c. Quod quidam, quia non credebãt, nec poterãt intelligere, abierunt retro, quia horrendum eis & nephariũ uidebatur, ueſci carne humana, exiſtimantes hoc eo modo dici, ut carnem eius, uel elixam, uel aſſam ſectamq́;, edere docerentur. cùm illius perſonæ caro, ſi in fruſta partiretur, non omni humano generi poſſet ſufficere, qua ſemel conſumpta, uideretur interijſſe religio, cui nequaquam ulteriùs uictima ſupereſſet. Sed in cogitationibus huiuſmodi, caro & ſanguis non prodeſt quicquam, quia (ſicut magiſter expoſuit) uerba hæc ſpiritus & uita ſunt, nec carnalis ſenſus ad intellectum, tantæ profunditatis penetrat, niſi fides accedat. Adſtipulatur* Auguſtinus Tractatu 27. *in* Ioan*nem, &*

Ioan. 6.

In ſerm. de cœna dom.

nem, & alij. Si quis itaq; hoc modo uerba Domi*ni de manducatione carnis filij hominis intelligere uoluerit, hic profectò sequeretur literam occidentem. Si quis uerò eadem uerba* Domini *acceperit, de uera quidem manducatione carnis eius secundùm substantiam corporalẽ uerè praesentis in* Eucharistia, *non tamen sub forma propria & uisibili carnis, sed sub speciebus panis facienda, is non sequitur literam occidentem, sed spiritum uiuificantem.*

Deniq; ex Epistola Pauli *ad* Hebraeos, *ubi nostra uulgata aeditio sic habet. Sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex ijs quae audierunt.* Erasmus *autem ita transtulit. At non profuit illis audijsse sermonem, quòd is non esset cum fide coniunctus ijs, qui audierãt.* Velsius *(ut ipse inquit) secundùm* Graecam *ueritatem ita uertit. At nõ profuit sermo auditionis illis nõ contemperatus id est, penitus unitus, ad eorũ quodã modo morem quae temperatura, quam Graeci* κρᾶσιν *uocant, unum fiant, fide ijs qui audierant. Sed* Theophylactus *eundem locũ exponens ita inquit. Graecè uerò admixti legitur. Non enim conuenientes dixit, sed non admixti. Et egregiè quidem, ut arctißimã patefaceret unitatem. Haec ille. Et certè* Paulus *uerbis illis nihil aliud uult insinuare, quã nihil nobis prodesse, quòd nobis quoq; denunciata sunt*

bona futura, quemadmodum Iudæis sub figura terræ promißionis, nisi & fidem promißis adhibeamus, deponamúsque animi omnem pusillitatem & diffidentiam. Sicut enim illis nihil cõtulit sermo auditus absq; fide, ita quoq; nihil nobis proderit, nisi fidẽ sermonibus diuinis adhibuerimus, uel nisi omnino ab illis. quibus nihil profuit sermo auditus propter incredulitatẽ suã, fuerimus separati. Ita *enim interpres.* Theophylacti *uertit.* Non *admixtus fidei uerborum, ex his q̃ audierunt, quod exponens* Theophylactus *ait.* Id *est, nil prorsus his, qui sermonẽ audierunt, cõiuncti uel congruẽtes, sed ab his omnino diuulsi.* Græce *uerò admixti legitur. &c.* Porro *hæc oĩa, quid faciunt cõtra diuina nostra mysteria, & eorum legitimũ usum?* Quis *nostrûm unquam docuit sacramenta dãda incredulis, & infidelibus?* Nónne *ea fidelibus & iam credẽtibus, administrãda docemus?* Nisi *enim priùs conceperint fidẽ ex auditu uerbi, ut nõ proderit illis sermo auditus, ita neq;* Sacramenta *fidei accipere possunt ad salutẽ.* Cæterũ *benè habet quod* Velsius *(qui paulò antè conabatur ostendere sacramenta non causare gratiam) hoc loco eadẽ dicit esse uiuificãtia.* Viuificantiũ *inquit sacramẽtorum.* Et *qua quæso alia ratione poterunt sacramẽta esse uiuificãtia, q̃ q, gratiam uiuificãtẽ conferunt ac causant?* Sola *enim gratia est, qua anima pec-*

ma peccatrix,p peccatū mortua,q̄a gratia ſpo-liata,denuo reuiuiſcit,et Deo per amicitiā cōiū gitur. Sed de his hactenus, ad reliqua progrediamur. Velſius. *Verū his dimiſsis,ad propoſitū reuerſi,quō ſuperiꝰ poſita Auguſtini uerba, rectè intelligi queāt,breuiter explicemus,& ſic quod ſermoni de myſterijs adhuc deeſt,adijciētes,ipſum abſoluamus. Si igitur ſic Auguſtini accipiamꝰ uerba,ad elementū,id eſt,formas ac typos uiſibiles,accedere uerbū,ſpiritualiter & ut oportet intellectū,fideq; contēperatū,ac penitus unitū ijs,q̄ audiunt,& inuiſibilis gratiæ participes fieri quærunt,& fieri ſacramentū,id eſt,ea quæ diximus elementa, hac demum ratione efficatia fieri,ut inuiſibilē gratiā cuius ſunt ſymbola, in ſe comprehendentia,in animum,qui eius particeps fieri debet,tranſmittere & quaſi transfundere queant,rectè nimirum & ſalutariter,quid dicat intellexerimus,& plenā iam myſterij naturam cognouerimus. Sed tamē exquiſitiùs aliquandò eam, Dionyſii Areopagitæ diuiſionem ſequendo, qui uerbum quóque ipſum, quod ore profertur,inter externa connumerat,pceperimus,ſi ad oïa ea quæ externè geruntur & in ſenſum incurrunt,animi etiam oculos & aures,& omnino internū ſenſum intentū & attentū habēdū eſſe,cognouerimus,quēadmodū & in uocibus mētem præſentē ac minimè peregrinātē habere*

oportet eum qui quæ dicuntur præcepturus est, ut sic demum poßimus, quæ externis ijs quasi circumscripta & conclusa latent, & ueluti abdita sunt, inuisibilis gratiæ dona, explicata & tanquam eruta, fidei ui animo nostro, ad quem propriè pertinent, inserta & contemperata penitus complecti, externis ijs, officio suo iam functis, ad ea, quæ ipsis cognata sunt se recipientibus, ibiq; quam à natura obtinent uim deinceps exercentibus. Atque in his quidem mysterij, quod sacramentum latinis dicitur, natura ac substantia consistit.

Slotanus. Antea dixerat *scholasticæ theologiæ æmulos & comprobatores, perperàm intellexisse hæc Augustini uerba, multáque illis adfinxerat falsa, nunc (ut ipse uult) explicat, qua ratione secundùm rei ueritatem sint intelligẽda, quasi nemo hactenus ante ipsum* Au*gustini uerba intellexerit. Sed operæpretium uidetur, ut sanctißimi & doctißimi patris uerba, integrè & syncerè adscribamus omnia.* Itaq; *tractatu.* 80*.in* Ioannem *ita scribit.* Iam *uos mũdi estis, propter uerbum quod locutus sum uobis.* Quare *non ait, mundi estis propter baptismum, quo loti estis, sed ait propter uerbũ quod locutus sum uobis? nisi quia & in aqua uerbum mũdat?* Detrahe *uerbum, & quid est aqua, nisi aqua?* Accedit *uerbum ad elementum, & fit sacra-*

sacramentum, etiam ipsum tanquam uisibile uerbum. Nam & *hoc utiq; dixerat, quando pedes discipulis lauit, qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus.* Vnde *ista tanta uirtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente uerbo?* Non *quia dicitur, sed quia creditur.* Nam & *in ipso uerbo, aliud est sonus transiens, aliud uirtus manens.* Hoc *est uerbum fidei quod prædicamus ait* Apostolus: Quia *si cõfessus fueris in ore tuo, quia* Dominus *est* Iesus, & *credideris in corde tuo, quia* Deus *suscitauit illũ à mortuis, saluus eris, corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confeßio fit ad salutem.* Vnde *in* Actibus Apostolorum *legimus:* Fide *mundans corda eorum.* Et *in* Epist. *sua* B. Petrus. *Sic & uos (inquit) baptisma saluos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio, hoc est, uerbum fidei quod prædicamus, quo sine dubio ut mundare poßit, consecratur & baptismus.* Christus *quippe nobiscum uitis, cum patre agricola dilexit* Ecclesiã, & *seipsum tradidit pro ea.* Lege Apostolum, & *uide quid adiũgat.* Vt *eam sanctificaret (inquit) mundans eam lauacbro aquæ in uerbo.* Mundatio *igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur, in uerbo.* Hactenus *ille.* Ex *cuius uerbis perspicuũ fit,* S. Augustinum *apertißimis uerbis, ipsi uer*

Rom. 10.
Act. 13.
1. Pet 3.
Ephes. 5.

bo (quod accedit ad elementum ut fiat sacramẽ-tum)tantam uirtutem tribuisse, non quia dicitur, sed qa creditur, et quod hoc faciente uerbo, quod creditur, tantæ uirtutis efficitur aqua, ut corpus tangat, & cor abluat. Nam *hoc uerbo, sine dubio, ut mundare poßit, consecratur & baptismus.*

Oportet ergo adultos credere, uerbumq; in eis esse fidei contemperatum ac eis penitus per fidẽ unitum, modò inuisibilis gratiæ participes fieri uelint, & efficaciam sacramentorũ cõsequi. Quis enim hoc ignorat? Et nónne hoc Augustinus lõgè clariùs & expreßiùs docet, q̃ ipse Velsius? Quid neceßũ erat ergo, tantã ignoratiã nostris adscribere, quasi nemo antea clarißima & apertißima uerba Augustini intelligere potuerit, nisi acceßisset insyncerus scholiastes Velsi⁹? Cæterũ rectè adultos diximus debere credere, utiq; propter paruulos, qui per semetipsos non ualent credere, de quibus ibidẽ, ita loquitur Augustinus. Hoc uerbum fidei, tantum ualet in Ecclesia Dei, ut per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamuis nóndum ualentem corde credere ad iustitiam & ore cõfiteri ad salutem. Totum hoc fit per uerbum, de quo dominus ait. Iam uos mundi estis propter uerbum, quod locutus sum uobis. Hactenus ille.

Vesius. Nunc ad interrogatorium reuersi, quæ ibidē sequantur uideamus. Quid pane & uino significetur, omnibus est notū. Slotanus. Verùm est, sed panis & uini substantia, non remanet peracta consecratione, sed transit & mutatur in substantiam corporis & sanguinis Domini. Velsius. Per uerbum autem cœleste, quod minimè cœleste, sed potiùs terrenum, carnale, quod ore profertur, & litera est occidens, intelligāt, & id ex superioribus iā constat, quod idē & de consecratione intelligendum fuerit. Slotanus. Ex superioribus quóque constat, qua ratione uerbum cœleste, meritò appellandum sit. Velsius.

Cæterùm ueram carnem, & uerum sanguinē Christi, quid dicant, nec id ambiguū est, & certè idem nos quod ipsi, hic concipimus, eam uidelicet carnē, quā nobis homo factus, ex purißima uirgine Maria aßumpsit, & in qua in terris uersatus, nobis rectè & secundùm Deum uiuendi exemplar extitit, in qua item passus pro nostris peccatis, mortuus & sepultus est, ac resurrexit, in cœlos ascendit, & sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, ut & nos eius paßionis participes redditi, ac morti & sepulturæ ipsius cōformati, ad resurrectionem etiam pertineamus, cōuersationemq; nostram in cœlis habeamus. Similiter autē & eū sanguinē, q̄ in ara crucis pro

multis effusus est, in remißionem peccatorum, nec alium hic intelligimus, ut his sic nunc distin ctis, ne quæ nos homonymia hic turbet, hæc sit quæ proponitur interrogatio. Slotanus. Sicut Velsius est uersipellis. ita in respondendo uarius. Dicit se idem animo concipere, quod nos, nimirùm ueram carnem, quam ex uirgine Maria assumpsit, nec alium intelligere sanguinem, quã eum, quem in ara crucis fudit pro multis in remißionem peccatorũ. At quare apertis uerbis non fatetur, eandem carnem, eundemq; sanguinem, uerè, realiter & substantialiter in sacramento Eucharistiæ existere? Velsius. An credam in sacro altaris mysterio, panem & uinum, relicta sua natura ac substantia, conuerti & transsubstantiari, in ueràm carnẽ & uerum san guinem Christi, ui uerbi cœlestis, ab ipsis quidem appellati; sed minimè cœlestis, cùm sint pani & uino insibilata, ab ipso sæpius (si modò unquam) insibilante, nec intellecta, nec atten ta, certa quædam & determinata uerba, consecrationis tempore proferenda. Slotanus. Si rectè credere uelis fateri te oportet in Sacro Altaris mysterio, panem & uinum ui uerbi cœlestis, cùm accedit consecratio, in ueram carnem, & in uerum sanguinẽ Christi conuerti, & trãs substantiari. Quod autem negas uerbum cœleste, cùm sint pani & uino insibilata, blasphemum

mum eſt, ſuperiusq; ad hoc reſpondimus. Quòd *uerò affirmas eadem uerba ab ipſo inſibilante, nec intellecta, nec attenta, calumnia eſt.*

Velſius. Hic *quid ſentiam, ex ſuperioribus iam patet, quòd nimirùm pane & uino, integrè ſeruando Chriſti inſtituto, & quæ apud* Matt.26.
Paulum *eſt, traditione, Chriſti caro & ſanguis* 1.Cor.11.
uerus eiusq; cum omnibus meritis & gratia cõmunicatio, ineffabili quodam modò circumſcripta & quaſi comprehenſa, fidei & ſanctæ contemplationis ac meditationis ui eruta, explicataq;, uerè req; ipſa animo credentium, cuius per ſe ſunt cibus & potus, reuerenter pane illo & uino aſſumendo, & edendo ac bibendo, percipiuntur, ſymbolis ipſis ſuo officio, quod ex Chriſti inſtituto illis acceſſerat, perfunctis, ad natura ipſis deputatos locos ſeſe recipientibus, ibiq; quam naturalem obtinent uim exerentibus. Quid *breuius, quid clarius dici poterat?*

Slotanus. Dixiſti *nimis prolixè, & admodũ multa quæ ad rem non pertinent, & quæ non parũ obſcuritatis habent, & tamen non uereris dicere, quid breuius, quid clarius dici poterat?* Dicis *quidem apertè, licet falſò, panem & uinum manere à conſecratione. Sed cur ad principale quod quærebatur non reſpondes apertè & clarè.* Exiſtimo *te claram & manifeſtam ſubterfugere reſponſionem, ut callida hac tergiuerſatio*

ne tua declines inuidiam eorum, qui te rectè sen tire autumant. Velſius. Nunc quæ in propoſito interrogatorio ſequũtur, ſuperuacanea ſunt, niſi quod tantundem adhuc ad ſuperiora adijciendum uidetur, quanquam ex ſuperioribus id intelligi queat, me uiuam & uiuificam Chriſti carnem, itemq́; ſanguinem intelligere, in quo uita coſiſtit, & uiuificandi interioris hominis uis, cum diuinitate Chriſti, hypoſtatica unione coniunctam. Slotanus. Tibi quidem Velſi ſuperuanea uidentur, quæ in propoſito interrogatorio ſequuntur, qui nec apertè quid ſentias confiteris, ſimplicioribus quibúſque, tuis tectis & obſcuris uerbis imponens, qui iſtis tuis ſpecioſis uerbis credunt te ueritatem corporis Chriſti in Eucharistiæ ſacramento aſſerere, cùm reuera neges, quemadmodum ex alijs tuis ſcriptis in cõfutatiõe Apologiæ tuæ demõſtrauimus. Si enim rectè & uerè credis quod facta cõſecratione, etiã ante ſumptionẽ, & deinceps ſub externis ſpeciebꝰ, uiua & uiuificatrix caro, et ſanguis Chriſti, cum ſua diuinitate hypoſtatica unione coniũcta, uerè, realiter, & ſubſtãtialiter exiſtãt in Euchariſtiæ ſacramento, cur non apertis uerbis confiteris? Aut ſi non credis, quemadmodum reuera non credis, cur non dicis te hoc negare? Nónne hoc modo, & breuiùs, & clariùs reſpondiſſes?

Sed

Sed dicis. Nónne ſatis breuiter & diſertè reſpondi? Nónne dixi idem nos hîc concipere, quod uos? eam uidelicet carnem, quam nobis homo factus, ex puriſſima uirgine Maria aſſumpſit, & cæt. ut & nos eius paſsionis participes redditi, ac morti ac ſepulturæ ipſius conformati, ad reſurrectionem etiam pertineamus conuerſationémque noſtram in cœlis habeamus? Similiter autem & eum ſanguinem, qui in ara crucis effuſus eſt, nec alium nos hîc intelligere? Nónne dixi, Chriſti carnem & ſanguinem uerum, eiúſque cum omnibus meritis & gratia communicantem, ineffabili quodammodo circumſcriptam & quaſi comprehenſam, fidei & ſanctæ contemplationis ac meditationis ui erutam, explicatámque, uerè réque ipſa, animo credentium, cuius per ſe ſunt cibus & potus, reuerenter pane illo & uino aſſumendo, & edendo ac bibendo, percipi? Sed quoúſque ſimplicioribus quibusq; tuis præſtigijs impones? Quis non crederet tibi à nobis fieri iniuriam, quod te ſacramẽtarium dicimus? Sed benè habet, quod ſatis temetipſum aperis & multa præbes certiſſima indicia, te nõ credere ueritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, quãtumuis aſtutè illud coneris celare, cõfutatione Apologiæ tuæ, recenſui quõ R.D. præpoſitus Bonnenſis oſtẽderit, tibi, quod in lib. tuo de hominis beatitudini

titudini-

titudinibus, in materia Eucharistiæ totus sis Caluinianus, quod etiam ex istis tuis uerbis cõprobari potest. Caluinus siquidem in institutione sua cap. 12. de Cœna Domini, dicit primo loco quærendum fuisse, quomodo Christi corpus, ut pro nobis traditum est, nostrum fieret, quomodo sanguis, ut pro nobis effusus est, noster fieret. Id uerò est totum Christum crucifixum poßidere. ac omnium eius bonorum participem fieri. Et cùm quæsisset, quomodo corpus (ita enim loquitur) à nobis uoretur, respondet in hæc uerba. Cogitemus primùm, spirituale quiddam esse sacramentũ, quo Dominus non uentres nostros, sed animas pascere uoluit. Ac Christum in eo quæramus, non nostro corpori, nec ut sensibus carnis nostris, comprehendi potest, sed sic, ut anima uelut præsentem sibi datum & exhibitum agnoscat. Denique ipsum spiritualiter obtinere, satis habeamus, sic enim in uitam ipsum obtinebimus, quod ipsum est percepisse, quicquid ex sacramento fructus percipi potest. Hanc cogitationem ubi quis animo præsumpserit ac meditatus fuerit, facilè intelliget, quomodo Christi corpus in sacramento nobis offeratur. Ibidem quoque dicit credendo manducari Christi carnem, eamq; manducationem fructum esse fidei, & ex fide consequi. Nos fide complecti Christum, non eminus apparentem, sed se nobis communi-

municantem, Si oculis (inquit) animisq; in cœlum euehimur, ut Christum illic in regni sui gloria quæramus, ita sub panis symbolo, pascemur eius corpore, sub uini symbolo distinctè eius sanguine potabimur, ut demum toto ipso perfruamur. Nam tametsi carnem suam à nobis sustulit, & corpore in cœlum ascendit, ad dexteram tamen patris sedet, hoc est, in potentia & maiestate & gloria patris regnat. Hoc regnum nec ullis locorum spacijs limitatum, nec ullis dimensionibus circumscriptum, quin Christus uirtutem suam, ubicunque placuerit, in cœlo & terra exerat, quin se præsentem potentia & uirtute exhibeat, quin suis semper adsit, in ijs uiuat, eos sustineat, confirmet, uegetet, conseruet, non secus ac si corpori adesset. Quin deniq; suo ipsius corpore eos pascat, cuius communionem, spiritus sui uirtute, in eos transfundit. Secundùm hanc rationem, corpus & sanguis Christi, in sacramento nobis exhibetur. Ea, inquam, est corporis præsentia, quã sacramẽti ratio postulat. Hactenus illa. Caluinus uult spirituale quiddam esse sacramentum, quo Dominus non uentres, sed animas nostras pascere uoluit. Velsius uerò animi per se esse cibum & potum. Est quidem animæ cibus & potus, uim suam transfundens in animam, atque eam à contagijs & spurcitijs carnis mira effi-

ra efficacia purificans. Nihilominus *tamen etiã corporaliter, id est secundùm ueritatem substantiamq; ueram corporis & sanguinis Christi sumitur ab anima, non tamen manducationis carnalis more subdit animam, sed modo penitus spirituali, replens eam gratia, & donis suorum charismatum.* Nisi *enim secundùm ueritatẽ substantiæ carnem eius manducaremus, non intermimaretur nobis dominus, uitæ perpetuæ priuationem dicens.* Nisi *manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguimem, non habebitis uitam in uobis.* Est *etiam uerus animæ*
Ioan, 6, *cibus, iuxta domini sententiam dicentis. Caro mea uerè est cibus.*] Est *ergo spiritualis cibus, in quo tamen corporalitér & secundùm ueritatem corporalis substantiæ, caro* Christi *sumitur, animam dignè manducantis replens charismatum muneribus, & nihilominus corpus ipsius ad incorruptionis gloriam & immortalitatem suo tempore percipiendam præparans.* Ipsa *autem caro* Christi *in* Eucharistia, *non alit corpus nostrum (non enim ut alij cibi, ad naturalis uitæ subsidium deseruit) nisi alimonia quadam spirituali, qua etiam dignè manducantium corpora uegetat & sanctificat, & effrenes nostræ carnis concupiscentias, & irrationales cupiditates, iram, gulam, libidinem, & eiuscemodi paßiones & uitia, transfusione suæ*

uirtutis

uirtutis quodammodo in corpora nostra sedat, mitigat, & comprimit in nobis, ut non præualeat in nobis lex membrorum, neque dominetur & regnet peccatum in nostro mortali corpore

Caluinus non aliam in Eucharistia *corporis Christi præsentiam admittit, quam ut anima uelut præsentem sibi Christum agnoscat datum & exhibitum.* Existimat *corpus Christi, non substantialiter adesse & dispensari in* Euchari*stia, sed Christum sese exhibere præsentem uirtute & potentia. nósque fide complecti Christũ:* Denique *non substantiam seu uerum & uiuificũ corpus Christi, sed beneficia quæ nobis in suo corpore pstitit.* At Velsius *in* Eucharistiæ *sacramento ueretur ac horret præsentiã realẽ dominici corporis & sanguinis in* Eucharistia *confiteri, ac in ueritate manducari & bibi, sed cõcipit carnem Christi, & eiusdem sanguinem intelligit (nõ idem inquit, quod ipsi hic concipimus, eã uidelicet carnem, &c. nec alium intelligimus) deinde latenter & subdolè subindicat, corporis & sanguinis Christi perceptionem, nihil aliud esse, quàm Christi cum omnibus meritis & gratia communicationem, ineffabili quodam modo circumscriptam & quasi comprehensam, fidei & sanctæ contemplationis ac meditationis ui, erutam, explicatamq;.* Et *libro de hominis*

beatitũdi-

beatitudinibus circa beatitudinem 4. Beati *qui esuriunt & sitiunt iustitiam &c. cùm etiam per iustitiā Christū fuisset interpretatus, quòd uerè nostra sit iustitia, subiecit in hæc uerba. Qui toto affectu Christum, quæque in Christo (qui carnem pro nobis assumpsit & mortuus est) nobis donata & oblata sunt, amplectitur, & ipsius se uitæ & morti, conformare conatur, hunc ego & iustitiam (per quam Christum intelligit) esurire, & fame hac impellente, ad panē illum uitæ, Christum dominum, qui nostra est iustitia uenire, ac proinde saturādum, ut non esuriat amplius, dixerim, si minus in hac uita (in qua futurorum & perfectorum inchoatio quædam est, certè in futura, ubi completum illud pascha in regno* Dei, *cum Christo comedemus.* Et *post pauca.* Ita *arbitror (inquit) qui fide sanguinē Christi pro nobis effusum hauriunt, in eorum corda, cum eo spiritussancti gratiam & uim diffundi, ut eo, quo & apostoli, musto*
Act.1. *expleti, cum* Dauide *dicere queat.* Et *calix meus*
Psal.22. *inebrians, quàm præclarus est?* Ha*ctenus ibidē.* Q*uibus uerbis satis apertè indicat, illū māducare Christum in* Eu*charistiæ sacrosancto sacramento, qui toto affectu Christum, & quæ per eum nobis donata & oblata sunt, amplectitur, & ipsius se uitæ & morti confirmare conatur, illumq; bibere sanguinem Christi, qui fide eundē*

pro nobis effusum haurit. Sed ualeat Velsius cũ suis deliramentis, nos cum uniuersa Catholica & Apostolica Ecclesia, firmiter & indubitanter credamus, in sacro Altaris mysterio, facta consecratione, uiuam & uiuificatricem carnem & sanguinem Christi, cum sua diuinitate hypostatica unione cõiunctam, uere, realiter & substantialiter existere, uereq́;, realiter & substantialiter sumi.

Decimoquintò, An credat non solùm dignè, sed etiam indignè, fide minùs solida, & impura conscientia communicantes, verum Christi sanguinem & carnem percipere.



Non est hæc quæstio (uti Velsius uult) ex earũ numero, quas Paulus stultas et ineruditas uocat, & respui iubet, ut quæ pugnas pariant. Quanquam si pugnas pariant, hoc est eorum ex parte, qui obstinata pertinacia credere nolunt ueritati. Et Paulus nõ tàm respui iubet, quàm ut credamus. Nam ex uerbis Pauli apertè colligimus, indignè, fide minùs solida, & impura conscientia communicantes, uerum Christi sanguinem & car- 2 Tim 2

nem percipere. Qui manducat (inquit) & 1 Cor. 11 bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. *Ecce ut indigni & mali ac peccatores, ueritatem corporis & sanguinis Christi reipsa percipiant, licet indignè & ad iudiciũ. Si enim peccatores & indigni, ueritatem* Dominici *corporis non acciperent, nõ dixisset* Paulus *eum reum esse corporis & sanguinis* Domini, *qui indignè manducat & bibit, eundem iudicium sibi manducare & bibere, quòd non dijudicet corpus* Domini. *Si enim tanquã squalore sordidi uasis, Christus nauseabundus abscederet, aut corpus eius ilico euanesceret, & simpliciter communis esset panis, non incideret in iudicium, qui nullum acciperet sacramentum.* Boni *itaq; & mali, hoc est, digni & indigni, quùm accipiunt sacramentum* Eucharistiæ, *idem substantia sacramentum sumunt, nimirum uerum Christi corpus & sanguinem ex æquo mali & boni, sed boni ad uitam, mali uerò ad iudicium.* Vnde *canit* Eccle*sia, colũna & firmamentũ ueritatis. Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, uitæ, uel interitus.* Nónne *Iudas indignus erat perceptione corporis & sanguinis* Domini? Et *tamen is una cum alijs Apostolis nouißimæ cœnæ interfuit, corpus & sanguinem* Dominicum *(secundùm sententiam omnium ferme sanctorum*

 patrum

patrum sacræ Scripturæ consentaneam) una cum Apostolis accepit, licet sibi in iudicium ac condẽnationem. Boni ergo & mali, quum Eucharistiam accipiunt, idem substantia sacramentum sumunt, in utrisq; essentialiter est corpus Christi, sed in malis non est efficaciter per gratiã, bonis pariter & malis, uerum Christi corpus & sanguis datur, utrisq; uere datur & mali perinde ac boni in os admittunt, licet mali ad iudicium.

Porro error iste non credentium ueritatẽ corporis & sanguinis Christi à malis & indignis re uera accipi, non est nouus, sed antiquus; utpote qui fuerit ante tempora Magistri sententiarum. Sic enim iste (inquit) lib. 4. dist. 9. Hæc uerba & alia, ubi de spirituali manducatione agitur. Quidam obtuso corde legentes, erroris caligine inuoluti sunt, adeo ut præsumpserint dicere, corpus & sanguinem Christi, à bonis tantùm sumi, & non à malis. Sed indubitanter tenendum est, à bonis sumi, non modo sacramentaliter, sed & spiritualiter. A malis uerò tantùm sacramentaliter, id est, sub sacramento, scilicet sub specie uisibili, carnem CHRSTI *de uirgne sumptam, & sanguinem pro nobis fusum sumi, sed non mysticam, quæ tãtùm bonorũ est. Quod deinceps probat autoritatib⁹ sanctorũ patrũ Gregorij & Augustini, q̃bus*

aperte ostenditur, etiam à malis, uerùm Christi corpus & sanguinem sumi, sed sacramentaliter, non spiritualiter.

Cæterum licet abusus sit maximus, indignè fide minus solida, & impura conscientia, Eucharistiam accipere, nihilominnus tamen, cùm credimus, etiam ab indignis & peccatoribus, uerum & uiuificum Christi corpus & sanguinem sumi, licet in eorum pernitiem & condemnationem, memores esse debemus monitionis paulinæ, ut priùs probemus nosmetipsos, ne dum indignè sumimus, ad iudicium nobis sumamus: sicq; ex hoc interrogotorio, colligitur usus benè communicandi. Vnde constat esse falsum, quæ Velsius affirmat, ex altero scilicet illorum, quod in interrogatorio ponitur, nullum usum colligi posse, sed tantummodo abusum malè communicandi, & erroreū dogma transsubstantiationis constituendi. Sed dogma de Transsubstantiatione, non esse erroneum, sed consentaneum ac conforme sacrosanctis scripturis & orthodoxæ ac Catholicæ doctrinæ, abundè à nobis superiùs commonstratum est.

Decimosextò. An credat veram carnem, & verum sanguinem, à cōsecratione facta, sub speciebus externis, quādiu saluæ, & ad sumendum idoneæ

idoneæ perseuerauerint, permanere. An verò credat Eucharistiã, quæ in vsus infirmorum, & aliorũ Christi fidelium, reigiose demum sumẽda asseruatur, symbolicum tantum panem, non etiam verè & realiter, corpus & sanguinem Christi esse:



Omplectitur hæc interrogatio duas præcipuè partes, quarum una quæritur, an uera caro & uerus sanguis Christi, à consecratione facta; sub speciebus externis, quamdiu saluæ, & ad sumendum idoneæ perseuerauerint, permaneant. Et quidem quod uera caro & uerus sanguis Christi, à consecratione facta, permaneat sub externis speciebus, etiam ante sumptionem, superiùs copiosè satis explicatum est.

Permanent autem eousq; uera caro, & uerus sanguis Christi à consecratione facta, sub externis speciebus, quamdiu saluæ & sumendum idoneæ perseuerant, etiam si non sumantur, quẽadmodum circa interrogatorium decimum quartum fusius demonstrauimus. Diuina enim uirtute per consecrationem hostiæ, sacrum corpus Christi sub speciebus panis tamdiu cõtinetur,

atq; manet, quamdiu illæ manent in sua dispositione naturali, in qua panē affecerunt, eundēq; afficerent, si admirabilis illa conuersio per consecrationem in eo facta non esset, siue quamdiu sub illis speciebus maneret & cōseruaretur substantia formaq; substātialis panis, si adhuc ibidē adesset. Cū uerò prædictæ panis species, per demutationem in ipsis factam, decidunt à sua natiua & propria conditione, eo quidem modo, quòd sub illis ampliùs non maneret, forma panis substantifica, si nulla fuisset in eo priùs facta per consecrationem conuersio, tunc etiam illic desinit esse corpus Christi. Deinde secundo quæritur. An credat Eucharistiam, quæ in usum infirmorum, & aliorum Christi fidelium, religiosè demum sumenda asseruatur, symbolicam tantum panem, non etiam uerè & realiter corpus & sanguinem Christi esse Eucharistiam in usus infirmorum, & aliorum Christi fidelium religiosè demum sumendam asseruari, superiùs planum fecimus, ubi etiam demonstrauimus, eandem peractā consecratione, uerè & realiter corp⁹ & sanguinē Christi esse, ut symbolicus tātum panis, nequaquam dici possit. Cæterum quod Velsius Eucharistiam, symbolicum uocet panem, in confutatione Apologiæ eius, sufficienter nos credimus comprobasse.

DE VENERATIONE & adoratione Christi in Eucharistia.

Decimoseptimò, An credat Christũ in Eucharistia, verè & realiter præsentem, adorandum esse, cùm manibus sacerdotũ eleuatur, ostẽditur, & porrigitur.



Vũ in hoc benedictissimo Eucharistiæ sacramẽto, totus & perfectus Dñs noster Iesus Christus cõtineatur, uerus homo, & uerus Deus, nõ solũ ab omnibus uenerãdus, sed & piè colẽdus & adorandus est. Si enim credimus uerũ & uiuificũ corpus Christi, substantialiter in Eucharistia contineri, & diuinitas à corpore uel humanitate semel assumpta, separari haud quaq̃ potest, dubium esse nequit, quin sit adorandum. Hoc enim dictat & docet omnes homines ratio naturalis, ut Deũ adorent, ubicumq; illius præsentiã aduertunt, quẽadmodũ oẽs sanctos fecisse ab initio mundi, sacra scriptura abũdè testatur. Quod si uerũ est, cur dubitabimus adorare præsentẽ in Eucharistia, in qua tàm uerè præsens est, quam fuit uerè præsens in præsepio, & in cruce? & in qua eum

uerè præsentem uidemus, fidei multo certioribus, quàm corporalibus oculis? Sed quomodo inquis? per uerba Christi ritè prolata certus esse poteris, Christum in sacramento uerè præsentem esse. Quare tutò poteris eum sub sacramento adorare. Non *quidē adorando externam speciem panis & uini, sed Christum sub eisdem speciebus, nec nudam humanitatem uel carnem Christi, sed carnem Christi, uerbo coniunctam.* Tendit *enim adoratio in archetipum Christum, qui uerè est* Deus *adorandus.* Non *hæret in uisibili creatura, sed penetrat ad ipsum Christum.* Etenim *quoniam* Deus *suam specie in* Euchari*stia non existit, dirigitur ipsius adorantis gestus & externus habitus in illa uisibilia propter id quod continetur in mysterio, non ut in illis uisibilibus hæreat adoratio, sed ut per illorum significationē tendat in diuinā substantiā, sub illis præsentem, quæ significatur à uisibilibus in mysterio contineri.* Non *ergo quod est hostiæ uisibile adoratur, sed quia indicat contentum, rectè dirigitur adoratio, ut id quod adoratiōe dignū est adoretur.* Itaq; *quum* Deū *qui in cœlis est nemo prohibeat adorare, quis uetabit nos adorarare* Deum, *quē certißimè credimus in* Euchari*stia præsentē?* Præterea *Christus dixit* Ioan. 5. Pater *nō iudicat quemquā, sed omne iudiciū dedit filio, ut omnes honorificēt filium, sicut hono*

rificant

rificāt patrem. Qui non honorificāt filium, nō honorificant patrē qui misit illū. Pater (inquit) *omne iudicium dedit filio, ut omnes honorificēt filium, sicut honorificant patrē.* At quomodo *honorificant patrem? Quia credentes eum uerum esse Deum, cultū adorationis ei impendūt.* Honorificent ergo etiā filium Dei, uere & realiter in Eucharistia præsentem, cultum adorationis ei impendendo, alioquin non honorificabunt patrem. Adde quòd cultus & adoratio Christi in sacramento Eucharistiæ, ad primum præceptum pertinet. *Dominum Deum tuū adorabis, & illi soli seruies* Deut. 6. Matth. 4. Iam Christus in sacramento Eucharistiæ, est dominus Deus tuus, ergo eum ibidem præsentem adorabis. Quicunq; ergo sanctum illud corpus diuinitati hypostaticè unitum in Eucharistia adorat, uerè & piè facit atque adorat, & satisfacit primo præcepto iam adducto. Sed & Christus ipse quū in terris ageret, exhibitam sibi adorationem nō prohibuit, nec repudiauit. Siquidē beati illi Magi procidentes adorauerunt eum. Matth. 2. Et leprosus ueniens adorabat eum. Matt. 8. Et undecim discipuli abierunt in Galilæam, ubi constituerat illis Iesus, & uidentes eum adorauerunt, Matth. ult. Cœcus natus & à Christo illuminatus, procidit & adoraui eum. Ioan. 9. Et Christus se ipsum à chananæa non per-

misit adorari solum, sed & ipsius fidem magnopere extulit, Matt. 15. Cùm itaque hij non solùm non culpentur, aut arceantur à Christo, sed benignè sint admißi, & eorum gesta ab Euangelistis tàm sedulo sint conscripta, tanquam digna diuinitatis ipsius testimonia, quis culpare aut prohibere audeat, pios hosce Christi adoratores in Eucharistia? S. Paulus in epi. ad Heb. c. 1. Et cùm iterū (inquit) introducit primogenitum in orbem terræ dicit. Et adorēt eum oēs Angeli Dei. Quę totus adorat angelorum chorus, quur homines non adorent. Idem quoq; Paulus qui tā diligenter monuit populum, ne ad sumptionē cibi tàm incōparabilis, indigni accederēt, denuncians ultionem diuinā ijs qui id præsumerent, satis indicasse uidetur, quàm honorificam huius sacramenti rationē haberent, & quo cultu perciperēt. Si non est adorandus Christus in Eucharistia, sed adoratores eius idolatriam cōmittunt, ut aduersarij uolunt, qui aut symbolicum panem appellant, aut extra usum, corpus Domini ibi esse pernegant, non dubium est, quin Ecclesia Catholica, per multos annorum centenarios, idololatra fuerit, & à Deo in tantis erroribus derelicta, & maiores nostros omnes esse damnatos. Sed hoc stare non potest cū pollicitatione Christi, q se nobiscū futurū asseruit oībus, diebus usq; cōsummationem seculi

Psal. 96.

1. Cor. 11.

quiq; missurũ spiritũ ueritatis se recipit, q̃ suggereret nobis oĩa quæcũq; pridẽ ipse tradidisset. Quomodo aũt uerũ esset spiritũ sanctũ oẽm ueritatẽ nobis aperuisse, si nos errore tã pnitioso ac pestifero, tãtò tẽpore passus est hallucinari? Aut quomodo potest cõsistere pollicitatio Christi dicẽtis? Ecce ego uobiscũ, et c. si hoc toto tẽpore fuisset nobiscũ, & deplorandã istã cæcitatẽ & omnium lachrymis prosequendam, ab Ecclesiæ filijs nõ effugasset? Quamobrẽ si nihil aliud prorsus esset, per hoc solùm possent erudiri, uerum atq; integrum Christum esse in hoc sacramento, atq; ibidẽ adorandũ, in quo per tot annorũ curricula, nemine patrũ prohibẽte, Christiani semp Christũ adorarũt. Ecclesia ergo Dei, populo suo corpus Christi ostẽdit, ac præbet adorandũ, ut animos torpẽtes ad deuotionẽ excitet. Sed & de thesauro corporis Christi exultãs, circũfert lõgis processionibus etiã extra sacras ædes. Hostiã illam salutarẽ, simul uidelicet repræsentans, itineris Christi historiã. qui dum quæreret salutem nostram in medio populi uersatus est, & uniuersam Iudæam circumambulauit, docens et ægrotos sanans, discipulis comitantibus. Quamobrem & sanctorum reliquias, et imagines eorum, qui uestigia eius sequuti sunt. simul circũfert, significãs illos, nũc cũ ipso regnare et triũphare in cœlis. Quæ cũ ita sint, lõgè absunt ab idololatria q̃

Chri-

Christum in hoc sacramento pio cultu adorant, pro quo non pœnam, sed æternam retributionis gloriam adipiscentur à domino. Si enim non perdet mercedem suam, qui uel calicem aquæ frigidæ dederit uni ex minimis Christi, etiamsi duntaxat dedetit in nomine discipuli, ut ipse dominus dixit in Euangelio, *quomodo perdere possent mercedem, qui honorem impendunt, non uni ex minimis* Christi, *sed ipsi Christo filio* Dei *unigenito? idq; faciunt, nõ in nomine alicuius discipulorum eius, sed in nomine ipsius de quo Apostolus ait, quod sit super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.* Vnde *consequitur aduersarios nostros (qui recusant genua sua flectere, quando sacramentum hoc, uel in altari eleuatur à sacerdote, uel ab eo deportatur per plateas ad infirmos, uel publicè circumfertur, in processionibus, uel reseruatur in* Ecclesiis) *peiores, superbiores, & magis esse rebelles ac impios, in* Christum *dominum ac* Deum *nostrum, quã sint*
2.Reg.6. *omnes alij terrestres ac inferni, qui in nomine* Iesu *genua sua flectunt.* Cæterum *nos uenerationis & cultus nostri, uetus & insigne habemus exemplum à* Rege Dauid, *qui saltauit ante arcã* Domini, *gloriosum existimans arcam* Domini *sui, obsequio suo honorare, cũ tamen in* Eucharistiæ *sacramento* Christus *multo eminentius sit*
(uti

(uti declaratum est) quàm fuerit olim in illa arca, ut meritò excellentiori obsequio & cultu eminentiori ibidem sit colendus.

Adoramus ergo uerbum, quod ex patre natum, in nostra figura apparuit, tanquam Deum *secundum naturam (ut* Cyrillus *ait) quum duorum in unitatem concursus, nihil habeat, quod satis sit ad obscurãdum, ita ut propter solius humanitatis suspitionẽ offendamur.* Natura *enim uerbi, quæ humanitatem suscepit, non est nuda humanitas, sed potius sua gloria assumptam superans, seruatur in incorrupta diuinæ celsitudinis permanentia. Hæc sentientes discipuli adorando dicebant:* Verè Dei *filius es, quamuis incedentem uidentes, & in nostra carne.* Etenim *super summas procellas ambulabat mirè ut* Deus. *Et post pauca.* Qui *autem mulierem alloquebatur, unus & solus erat dominus noster Iesus* Christus, *ex adorante humanitate & adorabili deitate uerè in se habens, ut sit & nominetur* Deus *simul & homo. Et paucis interpositis.* *Vnus* Dominus, *una fides, unum baptisma, sicut scriptum est.* Igitur *quemadmodum est una fides, quæ in* Christum, *& unum uerè beptisma, quamuis baptizemus & credamus in patrem & filium & spiritum sanctum, secundum eundem opinor modũ & rationem, etiam una adoratio est patris, & incarnati filij & spiritussancti.*

In lib. de fide recta ad Theodosium.

Eph:4.

Nullo

Nullo modo enim propterea unigenitus exclu-detur, ut minus à nobis & sanctis angelis ado-rari poßit, quamuis factus sit caro & habita-rit in nobis appellatusq; sit primogenitus in multis fratribus, alioqui quomodo in illum cre-damus, indignum uideri? Nam non dicerent o-pinor, qui rectè sapere uolunt, quod in solum credamus uerbum natum ex Deo patre, despo-liantes illud carne. Neque iterum illud dicere præteribimus, dictum est enim. Non enim tan-quam in unum nobis similem, neque etiam in hominem fides, sed in Deum tēdit naturalem & uerum in persona Christi. Quod si adhuc di-xerint ac obijecerint aduersarij, Christum non esse in Eucharistia ut adoretur, sed ut à fide-libus manducetur. Christum non dixisse, cir-cumferte, ostendite, adorate, sed comedite. Respondebimus primo, argumentum per lo-cum ab autoritate negatiuè, non ualere, nec es-se bonam argumentationem, quæ fit ex puris negatiuis. Non dixit Christus circumferte, ideo non est circumferendum, nec dixit ostendite, ideo non est, ostendendum, nec dixit reseruate, ideo non est reseruandum, sed Christus (in-quiunt) dedit corpus suum ad edendum. Sed quando dedit, & quibus uerbis? Certè non alio in loco, nec alijs uerbis, quam quibus apud discipulos usus est in Cœna. Et tunc

nónne oſtendit Apoſtolis ſuis quibus dedit? Profectò. Nónne potiùs credendum eſt ipſi facto CHRISTI, *quo ſic ipſe fecit, nimirùm oſtendens corpus ſuum ſub ſpecie panis diſcipulis ſuis, quàm negotiuæ propoſitioni aduerſariorũ?* Porro *ſi nihil aliud eſſet, quàm fruſtulum panis, non uideo cur debeat oſtentari. Sed quum ibi ſit uerùm corpus* CHRISTI, *munus planè ampliſſimum & auguſtiſſimum, quod pro monumento ſui nobis dedit, cur non meretur oſtentari & circumferri, cum omni quantum fieri poteſt celebritate, quatenus populus magis ac magis excitetur, ad huius doni uenerationem, ardentiusq; ad fidem & amorem donantis inflammetur. Sed negant fortè reſeruationem à Chriſto iuberi.* Num *propterea non eſt exiſtimandum laudabile inſtitutum eſſe, ut pro his qui repentinis fortè morbis corripiuntur, hoc ſacramentum in promptu habeatur, ne ſine hoc ſaluberrimo uiatico diſcedant.* Deinde etiam *hoc modo reſpondemus,* CHRISTVM *quidem ad hoc non fuiſſe incarnatum ac natum in mundum, ut hic adoraretur in mortali corpore, ſed ut conſpueretur, crederetur crucifigeretur, & pro noſtris peccatis ſatisfaceret, nihilominus tñ non culpãtur, ſed laudantur qui eum adorauerũt.* Vt *donemus ergo Chriſtum nõ dixiſſe, adorate, ſed mãdu*

cate

cate, adorationem tamen non interdixit. Imperator *ueniens ob pregnantes causas* Coloniam, *nõ idcirco uenit ut honoretur, & tñ idcirco nõ consequitur eum non esse eo honore afficiendũ, quem constat dicere* Imperatorem. *Imò qui eundem illi denegarent, ignominia essent afficiendi & supplicio.* Deniq; *& hoc dicimus, hostias consecratas & reseruatas, etiam in cibum, & ad usum sumendi reseruari, & per hoc nihil fieri aduersus ullam scripturam, neque posse ex ulla scriptura probari, corpus* Domini *desinere ibi esse ac euanescere, nisi statim sumatur.*

Porro de ueneratione ac adoratione Christi in diuinißimo ac augustißimo Eucharistiæ *Sacramento, apertißima habemus patrum testimonia & exempla.* Dionysius *Areopagita c.3. parte 3.* Ecclesiasticæ Hierarchiæ, *in hæc uerba orationem fundit ad sacrosanctũ* Eucharistiæ *mysteriũ.* Sed ô *diuinum penitus sanctúmq; mysteriũ, obducta tibi significantium operimenta signorum dignanter aperiens, nobis palã atque apertè lucesse, nostrosq; spirituales oculos, singulari & aperto tuæ lucis fulgore imple.* Sanctißimus Alexander Papa *& martyr.* Nihil *(inquit) in sacrificijs, maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, hæc omnes præcellit, quæ pura conscientia domino offerenda est, & pura mente sumenda.* Et

Dionysius

Alexãder.

sicut

ſicut potior eſt cæteris, ita potiùs excoli & uenerari debet.

Gregorius Nazianzenus *oratione 9. in funere ſororis ſuæ* Gorgoniæ*, cultum adorandi* Euchariſtiam *oſtendit tempore ſuo uſitatum fuiſſe exemplo ſororis ſuæ dicens. Laborabat ſoror corporis ægritudine, & admodum malè affecta erat, morbo conſuetò ac planè peregrino: nam ſubito ſanguis feruebat & ebulliebat, moxq́; ſiſtebatur, poſtea torpedo & ſtupor ſequebatur incredibilis, mentisq́; ac membrorum ſolutio, idque non longo accidebat interuallo, ſed nonnunquam frequenter eueniebat, ita, ut malum illud nequaquam humanum eſſe putaretur, nec medicorum proderant artes, tametſi magna diligentia morbum illum curare ſtuderent, non ſolùm ſinguli, ſed uniuerſi etiam in unum collecti.* Sed nec parentum *lachrymæ, opem aliquam afferebant, licet multis multotiens profuiſſent, neque uulgi preces (quas populus uniuerſus, pro ſalute illius effundebat) ſiquidem ad omnium ſalutem pertinebat, ut illa ſaluaretur, quemadmodum calamitas contra erat communis, ſi ægritudine malè afficeretur. Quid igitur anima faciebat magna, & maximis digna? & quódnam aduerſus infirmitatem remedium habebat?* Iam enim oc*cultum proditur. Quum iam de omnibus alijs* Greg. Nazian.

Kk deſpe-

desperasset, ad omnium confugit medicum, noctisq; captata solitudine, cum illi morbus paruas cõcessisset inducias, ante altare cũ fide procubuit, ac illum quẽ venerabatur, magna voce ac omni inuocauit conamine, *eiq; miracula cuncta quæ olim fecerat, in memoriam reduxit (nam & uetusta & noua callebat) tandem impudentia quadam pia & pulchra impudens facta, illam imitabatur, quæ ob tactum fimbriæ Christi, à fluxu sanguinis est sanata.* Et quidnam fecit? *Super altare caput reclinat, ac cum simili clamore & lachrymarum profluuio, instar illius, quæ olim pedes Christi rigauit, opem implorat, & non antea se cessaturam est comminata, quàm sanitatẽ fuisset adepta.* Inde totũ corpus, *pharmaco illo suo perunxit, etsi alicubi manus, ex uenerando corporis & sanguinis Christi subexẽplari q̃d recondiderat, proh miraculũ discessit, quum confestim de corporis salute facta est certa, tàm anima, quàm corpore ac mente releuata, mercedem spei sumens, id quod sperauerat, animæq; sanitate, corporis etiam bonam ualetudinem nacta.* Hæc quidem magna *sunt, & nequaquam conficta.* Hæc ille. Amb, *in primæ* Epist. *ad* Corinth. *ca. undecimũ circa illa uerba.* Probet autẽ, &c. Deuoto *(inquit) animo & cũ timore accedendũ ad cõmunionem docet, ut sciat mens reuerentiam se debere ei, ad cuius*

corpus

corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet iudicare, *quia* Dominus *est cuius in mysterio sanguinem potat,* &c.

Idem Amb. lib. 3. de spiritusancto cap. 12. *Adorauit (inquit) Christum Maria, & ideo præ nuncia resurrectionis ad Apostolos destinatur, soluens hæreditarium nexũ, & fœminei generis immane delictũ. Hoc enim operatus est in mysterio Dñs, ut ubi supabundauerat delictũ, supabũdaret & gratia. Meritoq; ad uiros fœmina destinatur, ut quæ culpã uiro prima nunciauerat, prima Dñi gratiã nunciaret. Adorauerunt & Apostoli. Et ideo qa detulerũt fidei testimoniũ, acceperunt fidei magisterium. Adorauerunt & angeli, de quibus scriptũ est. Et adorent eũ oẽs angeli eius.* Adorãt autẽ nõ solum diuinitatẽ eius, sed etiã scabellũ pedũ eius, *quia scriptum est.* Et *adorate scabellũ pedũ eius, quoniã sanctum est. Aut si negant, quia in Christo etiã incarnationis adorãda mysteria sint, in qbus uelut uestigia quædã diuinitatis expressa, & uias quasdã uerbi cœlestis aduertim⁹, legãt qa et Apostoli adorabãt eũ in carnis gloria resurgentẽ. Et post pauca. Ne forte (inqt) propositũ aliquos pterfugere uideatur exẽplũ, qua ratione ad incarnationis Dñicæ sacramẽtũ spectare uideatur quod ait ppheta, adorate scabellũ pedũ eius, cõsideremus. Non enim ex usu hominum æstimare* Psal. 98.

debemus ſcabellum. Neque enim corporalis De-us, aut non immenſus, ut tanquam fulcrum pedibus eius ſcabellum ſubiectum putemus. Neque adorandum quicquam præter Deum legimus, quia ſcriptum eſt. Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſeruies. Quomodo ergo aduerſus legem propheta præciperet, ſub lege nutritus, & eruditus in lege? Non mediocris igitur quæſtio, & ideo diligentiùs conſideremus, quid
Eſa,66. ſit ſcabellum. Legimus enim alibi. Cœlum mihi thronus, terra autem ſcabellum pedum meorum: ſed nec terra adoranda nobis, quia creatura Dei eſt. Videamus tamen, ne terram illam, dicat adorandam propheta, quam Dominus Ieſus in carnis aſſumptione ſuſcepit. Itaque per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro CHRISTI, quam hodie quoq; in myſterijs adoramus, & quã Apoſtoli in Domino Ieſu, vt ſuprà diximus, adorarunt. *Neque enim diuiſus eſt Chriſtus, ſed unus.* Neq; *cùm adoraretur tanquã Dei filius, natus ex uirgine negabatur. Hæc ille.* Hũc *ſequutus Aug. quum exponeret Pſalmum.21. & tractaret hunc uerſum. Mãducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, in conſpectu eius cadent omnes, qui deſcendunt in terram, ita ſcribit. Manducauerũt corpus humilitatis Domini ſui, etiam diuites terræ.* Nam ſicut pau-
peres

peres saturati sunt, vsque ad imitationẽ, sed tamen adorauerunt. Et in *Psal.98.circa illum uersum. Adorate scabellum pedem eius, quoniã sanctũ est, sic scribit. Videte fratres, qđ nos iubeat adorare. Alio loco scriptura dicit. Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Ergo *terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco, quod sit scabellum pedum* Dei? *Et quomodo adorabimus terram, cùm dicat apertè scriptura,* Dominum Deum *tuũ adorabis, & hic dicit, adorate scabellum pedum eius.* Exponẽs *autẽ mihi, quid sit scabellum pedũ eius dicit. Terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cœlum & terram. Rursum timeò non adorare scabellum pedẽ Domini mei, quia Psalmus mihi dicit. Adorate scabellum pedum eius. Quæro quid sit scabellum pedum eius, & dicit mihi scriptura. Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans conuerto me ad Christũ, quia ipsum quæro hîc, & inuenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terrã, quia caro de terra est, & de carne Mariæ, carnem accepit. Et quia in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnem nobis mãducandam ad salutem dedit*, nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adoraue-

Esa. 66.

Deüt: 6.

rit,inuentum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini,& non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus nõ adorando. *Hactenus ille. Chryſoſt. hom.24. prioris* Epiſtolæ *ad Corinthios. Chriſtus ſuã carnẽ dedit nobis,ut ea ſaturemur, quo nos in plurimũ ſui amorẽ allexit.* Ad eũ igitur *cũ feruore accedamus,& dilectione quã uehemẽtiſsima,ne grauius ſubeam⁹ ſuppliciũ.* Quãtò enim *maius beneficiũ accipim⁹, tãtò magis puniemur,quãdo eo indigni apparebim⁹.* Hoc *corpus in p̃ſepe reueriti ſunt Magi & uiri impij & barbari lõgo itinere cõfecto, cũ timore & tremore plurimo adorauerũt.* Imitemur *igitur ſaltẽ barbaros, nos q̃ cœlorũ ciues ſumus.* Ille *enim quũ id præſepe & tuguriũ tantum,neq; eorũ quicq̃, quæ tu nunc intueris,uiderẽt,ſumma acceſſerũt reuerẽtia & horrore.* Tu *uerò nõ in præſepe id, ſed in Altari,non mulierem quæ in ulnis teneat, ſed ſacerdotem præſentem & ſpiritum perabũdẽ ſup propoſito diffuſum ſacrificio uides.* Nec *ſimplex ut illi corpus intueris,ſed & eius potentiam,& omnẽ cognoſcis adminiſtrationem, & nihil eorum quæ per ipſum facta ſunt ignoras,& diligenter initiatus es in omnibus.* Excitemur *igitur horreſcamusq;,& maiorem quàm barbari illi præ nobis feramus pietatem,ut non ſimpliciter neq; frigidè accedentes,uehementiori igni*

ri igni caput obijciam?. Et *in* Homilia *de sancto* Philogonio. Rogo(*inquit*) *uos omnes obsecróq; ut summo studio summáq; cum alacritate uelitis adesse, sed priùs suam quisq; domum repurget, ut uideamus* Dominum *nostrum in cunis iacentem, ac fascijs inuolutum, horrendum ac stupendum spectaculum. Quid enim excusabimus, aut quam ueniam obtinebimus, si quum ipse nostri causa descenderit de cœlis, nos ad illum uel ex ædibus ire grauemur, quum alienigenæ barbariq; ex perside accurrant, ut illum uideant in præsepi iacentem, tu uerò ne breue quidem spacium emetiri sustines, ut hoc fœlici spectaculo perfruaris.* Nam *si cũ fide acceßissemus, procul dubio uidebimus illum in præsepi iacentem.* Siquidem *hæc mensa, uicem explet præsepis. Nam & hic ponitur corpus* Dominicum, *non quidem fascijs inuolutum, sicut tunc, sed undiquáque* Spiritu *sancto conuestitum. Qui mysterijs initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur.* Ac Magi *quidem, nihil aliud quàm adorarunt, tibi uerò si cum pura accesseris conscientia, permittemus ut sumas, & sumpto domum abeas.* Origenes Homil. 6. *in diuersos* Euangelij *locos. Quando sanctum cibum, illúdque incorruptum accipis epulum, quando uitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem* Domini, *tunc* Dñs *sub tectum tuum in-*

greditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc centurionem, & dicito, &c. Bernardus *in sermone de cœna* Domini. *Qui incipit. Panem angelorum, &c. Quid (inquit) facis homo indigne? Quid facis homo ingrate?* Adora deuotius, *& recole frequentius in Sacramento* Altaris, *salutem mundi pro te passam, uitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatam, &c.*

Eusebius Emissenus. *Quum reuerendum (inquit) altare, cibis satiandis ascendis, sacrum* Dei *tui corpus & sanguinem, fide respice* honora, *mirare, mente continge, cordis manu suscipe, maxime totum haustum interioris hominis assume.* Erasmus *(quem* Velsius *instauratorem* Theologici *studij affirmat) in* Epistola *ad fratres inferioris* Germaniæ, *in qua respondet* Epistolæ Apologeticæ, *ministrorum uerbi* Ecclesiæ Argentoratensis. *Quum doceãt (inquit) summam impietatem & idololatriam esse, adorare* Eucharistiam, *quod factum est ante ætatem* Augustini *&* Cypriani, *&, ut est credendũ, ab ipsis traditum* Apostolis, *nónne damnant totam* Ecclesiam? *Confugiant ipsi ad illam, nulli cognitã* Ecclesiã, *sed cuius titulo cuiq; liceret, quodlibet. Si quid tribuẽdum externis quoq; iudicijs, mihi tot patrum, tot Conciliorum, tot orbis* Christiani *consensus, pro oraculo est, maximè cùm & scripturæ stent pro nobis, Hæc ille.*

Deci-

Decimooctauò. An credat Eucharistiam asseruatam in ciborio seu pixide, aut deportatam, aut circũlatã adorare idololatriã esse, et an credat illos, qui in Germania & alibi hoc docere præsumpserunt, viros doctos & pios, & vberius ingenij, & veræ cognitionis donum accepisse. Cæterùm eos qui contrarium sentiunt, pro craßis & carnalibus habendos esse.



X superioribus euidens esse existimamus, Eucharistiam asseruatam aut deportatam aut circumlatam adorare, non idololatriam, sed omnibus Christi fidelibus esse præceptam illius adorationem Iesum Christum, uerum Deum, uerumq; hominem in se complectatur, præsentemq; habeat.

Vnde constat illos, qui in Germania & alibi docere præsumpserunt, Euchariſtiã adorari, esse idololatriã, uiros esse puerſißimè doctos, & planè impios, qui ingenij sui uim omnem, ad peruersionem Christi fidelium, & Catholicæ Religionis ac Orthodoxæ fidei labefactationẽ

exercuerunt, unde neq; ueræ cognitionis donū, sed spiritum erroris, uertiginis ac deceptionis, Deo permittente, acceperunt. Illos autē qui contrarium sentiunt, nō pro craßis & carnalibus, sed pro pijs & spiritualibus, pro Religiosis & Catholicis habendos esse. Porro quādo dicimus Eucharistiā asseruatam, esse adorandam, non dicimus panem (ut Velsius blasphemat) in ciborio seu pixide asseruatum aut circumlatum, adorandum, sed Iesum Christum filium Dei. Non enim ibi panis est, sed corpus Christi, diuinitati eiusdem hypostaticè unitum. Nam panis per uerba consecrationis à sacerdote prolata, conuertitur in uerum & uiuificum corpus Christi, ueri DEI & ueri hominis. Quando ergo adoramus Eucharistiam, non ipsam panis substantiam adoramus, quoniam post peractam consecrationem, nulla penitus superest, neque etiam species ipsas panis, quæ ibidem superstites sunt, adoramus, nam & illæ omnino creaturæ sunt, quibus non debetur adoratio, sed ipsum Christi corpus, diuinitati hypostatica unione coniunctum, & sub illis speciebus uerè contentum, suppliciter & Religiose adoramus. Nullam proinde committimus idololatriam, cùm falsißimum sit nos adorare panem.

Deniq; quū dicit Velsius ex Pōtifice Romano

quẽ sacrilego ore Antichristũ nõ ueretur appel lare) matrimonij, à Deo *in paradiso instituti, prohibitionem & adulterinum ac immundũ cælebatum prodijsse, & ciborũ itidẽ interdictionẽ quos creauit* Deus *ad sumendũ cum gratiarũ actione fidelibus, & adumbratum quoddam ieiunium quod nihil minus sit, quam ieiunium, aliasq; id genus superstitiones innumerabiles, declarat euidenter quid de illis sentiat. Nam uocat superstitiones.* Et *splendidè hic mentitur* Velsius. Nõ *enim prohibet matrimoniũ à* Deo *institutum, à sacra scriptura approbatum, & à* Christo *per sui præsentiam & miraculi exhibitionẽ, honoratum, sed arcet eos à matrimonio, qui uel per religionis ingressum ac cõtinentiæ uotũ uel per sacri ordinis susceptionẽ obligãt semetipsos ad perpetuum cælibatum.* Nouit *quidem eorum damnabilẽ esse perfidiã, qui nuptijs detrahunt, & thoro immaculato, ac nuptijs debita castitate celebratis culpã dicũt inesse, (quales olim fuerunt* Tatiani *hæretici, qui nuptias in uniuersum dãnabant & nulli hominũ generi eas esse licitas asserebãt, de quibus & alijs eiusdẽ farinæ hæreticis* Paulus *loquitur* 1. Timoth. 4.) *sed quẽadmodũ sit bonã esse castitatẽ cõiugalẽ, ita etiã didicit meliorem esse continentiam uidualem, & optimam perfectionem uirginalem, ut* Beda *docuit.* V*nde ad comprobandã omniũ electionẽ graduũ,*

discernendum tamen singulorum meritum, ex intemerato Mariæ uirginis utero nasci dignatus est Christ⁹, à prophetico Annæ uiduæ ore, mox natus benedicitur, à nuptiarum celebratoribus iã iuuenis inuitatur, & hos suæ præsentia uirtutis honorat. Porro quoniam non ignorat *scriptum esse.* Vouete & *reddite, iustè arcet eos à matrimonio, qui per proprij oris uotum sese ad perpetuam constrinxerunt continentiam, & sibi prorsus illicitam omnem fecerunt* Venerem. Quod *autem hũc cœlebatum quidam adulterent, non hoc fit cœlibatus uitio, sed hominũ*
1.Tim.4. *lasciuia & incontinentia.* Non *enim adulterinus & immundus sui natura est cœlibatus, (nam si adulterinus & immundus est, iam cœlibatus non est) sed cœlibatus professores plerúmque mundi sunt per carnis incontinentiam, propter quã* Deo *sunt reddituri rationẽ.* Nec *locũ habet in* Romano *pontifice dictũ* Pauli *de illis qui asserturi erãt abstinẽdũ esse à cibis, quos* Deus *creauit, ad percipiendũ cũ gratiarũ actione fidelibus.* Nam *beatißimus* Apostolus, *contra solos, qui postea erant uenturi, hæreticos agit, & peruersorum dogmatum autores & propagatores, quales præcipuè erant* Manichæi, Encraticæ Tatiani, Seueriani, & *cæteri huiusmodi hæreticorum pestes qui esum carnium & uini potum abominabilem esse asserebaut, & perpetuò*

petuò fugiendum, quod suapte natura, malæ essent carnes. & unum malum, & hoc pacto creaturas Dei *infamabant & execrabantur, cum tamen de omnibus* Dei *creaturis scriptum sit.* Vidit *Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona.* Vnde S. Hieronymus *contra* Iouinianum. Reprobat *(inquit)* Apostolus *eos, qui prohibebant nubere, & iubebant à cibis abstinere, sed* Martianum *designat, & cæteros hæreticos, qui abstinentiam inducunt perpetuam, ad destruenda & contemnenda & abominanda opera creatoris.* Nos *autem omnem creaturam laudamus, & maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, ieiuniaq; præferimus saturitati.* Et *à diebus* Ioānis Baptistæ *ieiunatoris & uirginis, regnum cœlorū uim patitur, hæc ille.* Cui *accedit* S. Augustinus *in lib. de fide ad* Petrū *c 39. firmißimè (inqt) tene, & nullatenus dubites, oēm creaturā* Dei *bonā esse, et nihil reijciendū quod cū gratiarū actione percipitur. &* Dei *seruos, qui carnibus & uino abstinent, non tanquàm immunda, quæ à* Deo *facta sunt, respuere, sed à fortiori cibo & potu, pro sola castigatione corporis abstinere.* Hæc *Augustinus.* Et *iterum* Hieronymus *ad Saluinam ait. Scimus ab* Apostolo *dictum:* Omnis *creatura* Dei *bona est, & nihil reijciendū, quod cum gratiarnm actioue percipitur. Sed idem loquitur.* Bonum *est nō manducare carnem, &* 1. Tim. 5.

non

non bibere uinum. Deniq; S. Bernardus sermo-
Rom. 3. ne.86. in Cant Cāt. prædicta Apostoli uerba de
hæreticis prohibētibus usum ciborū à Deo con-
ditorū tanquàm immundum, luculentißimè do-
cet intelligenda esse. Itaque quod populo Chri-
stiano certis diebus interdicitur esus carnium et
alij quidam cibi, non ideo fit quod credantur im
mundi, aut natura sua execrandi tanquam ma-
li, sed fit pro sola castigatione corporis, & pec
catorum satisfactione. Vnde Bernardus in loco
iam citato. Ego inquit interdum abstineo, sed ab
stinentia mea, satisfactio est pro peccatis, non
1. Cor. 9. superstitio pro impietate. Nū redarguimus Pau
Eph. 5. lum, quòd castigat corpus suum & in seruitutē
1. Tim. 4. redigit? Abstineo à uino, quia in uino luxuria
est, aut si infirmior, modico utor, iuxta Pauli
consilium. Abstinebo à carnibus, nédum nimis
nutriunt carnem, simul et carnis nutriant uitia.
Panem ipsum cum mensura studebo sumere ne
Ezech. 16. onerato uentre stare, adorandum tædeat, & ne
improperet etiam mihi propheta quia panem
meū comederim saturitate. Sed ne simplici qui-
dem aqua ingurgitare me assuescam, ne disten-
tio sanè uentris, usq; ad titillationem pertingat
libidinis, hæc ille.

Postremò quod Velsius appellat adumbratū
ieiuniū quoddam, quod nihil minus sit quàm ie-
iunium, quod ex eo prodijt, nihil contra ieiu-
nium

uium ipsum ab Ecclesia indictum facit. Nam li-cet fortè quidam superstitiosè ieiunent, alij uerò ieiunium potiùs simulent, quàm ieiunent ut ie-iunium eorum adumbratum quoddam ieiuni-um, & nihil minus, quàm uerum ieiunium, ho-minum fit uitio; neq; idcirco aut malum est ieiu-nium, aut inter superstitiones reijciendum, quod sanctum Euangelium, quod Prophetæ, quod A-postoli, denique sancti angeli prædicant & com mendant. Ipse utique Velsius sibi testis est, quod nulla ei pars sit cum eis, quibus tam impudenter repugnat. Sacra scriptura ubique commendat & inculcat ieiunium, & Velsius illud inter su-perstitiones numerat. Deus per prophetam Ioelem ait. Conuertimini ad me in toto corde ue Ioel. 1.
stro, in ieiunio, & fletu, & planctu, cùm ergo Velsius ieiuniũ tanquàm superstitionem deride-at, nónne conijcitur ipsum Deum blasphemare?

Decimononò, An credat olim Be rẽgariũ asserentem, panem & uinũ, quæ in altari ponuntur, & post cõse crationem, solummodo symbola, seu nudum sacramentũ esse, & non uerũ corpus & sanguinẽ Christi iure à tri bus œcumenicis concilijs Versellẽsi, Turonẽsi, & Romano damnatũ, &

ad palino-

ad palinodiam addaЀum fuiſſe, quæ habetur, de conſecratione diſt. 2. c. Ego Berengarius.



Vit hic Berengarius natione Gallus, Diaconus Eccleſiæ S. Mauritij Andeganenſis, dialecticis quibuſdam captiunculis prorſus deditus, p quas fallacem huius mundi gloriam, quàm plurimùm ambiebat, ſe conſecuturum ſperabat. Vnde factum eſt, ut in hanc inſaniam proruperit. Qua de cauſa motus Leo 9. tunc ſummus Eccleſiæ Catholicæ Pontifex, Vercellis Concilium congregauit, quo Berengarium aduocatum ac citatum, minimè tamen uenire uolentem, cum ſuis complicibus, niſi citiſsimè reſipiſceret, perpetuò dãnauit anathemate. Leo tamen paulò poſtmodũ interiecto tẽporis ſpacio moritur, et Berẽgarius in ſua obſtinatione perſiſtens, uenenũ ſuæ Hæreſis, per totas diffundit Gallias. Vnde Victor ſecundus, qui Leoni 9. ſucceſsit, Concilium Turonis, per Hildebrandum Eccleſiæ Romanæ Cardinalem, ac illius uice Concilo præſidentem, celebrauit. In quo per quoſdam eruditiſsimos uiros, & præcipuè per Lancfrancum Cantuarienſem Archiepiſcopum conuictus, ſed minimè emendatus eſt. Nam inde abiens, ueluti canis

Berengarius.

ad

ad uomitum rediјt. Quam ob causam Nicolaus secundus, qui uictori in Ecclesiæ administratione successit, Romæ Concilium centum, & quatuordecim Episcoporum congregat, in quo adsistens Berengarius, instante, & urgente Nicolao, & Alberico Diacono uiro doctißimo, aut emendatus, aut emendatum se pœnæ timore stimulans, palinodiam recantauit. Quæ recitatur in uolumine Decretorum, de Consec. Dist. 2. c. Ego Berengarius indignus Ecclesiæ Mauritij, Andeganensis Ecclesiæ diaconus, cognoscens ueram Catholicam & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam de qua hactenus infamatus sum, quæ adstruere conatur, panem & uinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, & non uerum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & non posse sensualiter, nisi in solo sacramento, manibus sacerdotū tractari uel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Cōsentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ sedi, & ore & corde profiteor de sacramentis Dominicæ mensæ, eandem fidem me tenere, quam Dominus & uenerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus, autoritate Euangēlica & Apostolica, tenenda tradidit, mihique firmauit, scilicet panem & uinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm sa


cramentum, sed etiam uerum corpus & sanguinem, Domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solum sacramẽtum, sed in ueritate manibus sacerdotum tractari, frangi, fidelium dentibus atteri, iurans per sanctam & homousion Trinitatem, & per sacrosancta Christi Euangelia. Eos qui contra hanc fidem uenerint, cum dogmatibus & consecratoribus suis, æterno anathemate dignos esse pronuncio. Quod si ego ipse aliquando, contra hoc aliquid sentire aut prædicare præsumpsero, canonum seueritati subiaceã. Lecto & plecto spõte subscripsi. Hanc confeßionẽ suæ fidei, de corpore et sanguine Dñi nostri Iesu Christi, coram cẽtum quatuordecim Episcopis factã, misit Papa Nicolaus per urbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & ad quæcunq; loca fama prauitatis peruenire antè potuit, ut Ecclesiæ quæ priùs doluerant de aduerso atq; peruerso, postea gaudeant de reuerso atq; cõuerso.

Porro Velsius putat non esse necesse, ut ad hoc interrogatorium quicquam respondeat, cum quæ eius de Eucharistiæ Sacramẽto sit sententia, apte constet, Berẽgarij res, sibi parũ esse notas, nec exquisitè quid is senserit sciat, nec scire laboret, cũ salus eius ex eo non pendeat, sed potiùs ut Christi institutũ & Apostolorũ traditionẽ & doctrinã hac de re perceptam habeat. Quare iure, an iniuria, is à tribus illis Concilijs

damnatus sit, ignorare se dicit, sed id iudici Deo *permittit, qui illũ huius causæ iudicẽ non fecit. Quod plánè nihil aliud eſt agere, quã tergiuersari, & ad inuidiam declinandam, subterfugere uelle apertam responsionem. Quæ autem* Velsii *de Sacramẽto sit sententia, ex superioribus liquet, itidem apertè constat quàm perceptam habeat Christi de hac re institutionem & Apostolorum traditionem ac doctrinam. Nam si illam probè teneret approbaretq́;, apertè non formidaret confiteri, iure* Berengarium, *à tribus illis* Concilijs *damnatum esse, & ad palinodiam addactum fuisse. Sed* Velsius *ignorare se dicit, iure an iniuria ab illis damnatus fuerit, idque iudicio* Deo *permittit, qui illum huius causæ iudicem non fecit, cùm tamen summa temeritate & extrema arrogantia, in unum* Ecclesiæ *Catholicæ oecumenicum* Episcopum, *cæterosq́;* Ecclesiæ *prælatos & ministros, temerè dijucandi sibi sumat censuram, quemadmodum & in superioribus claruit, & inferiùs patebit ampliùs.*

Vigesimo, An credat Matthiam & Laurentium Vorsbach, & Godfridum Hornecker, *quorum primus paruulorum baptismum improbat, secundus Laurẽtius CHRISTI*

viuificatricem carnem, diuinitati suæ coniunctam, in Eucharistia contineri pernegat tertius Horneck ker, Eucharistiam, quando in altare reponitur, seu deportatur, vitulum Bethauen proclamat, & simul omnes adorandum esse inficiantur, an credat hos iniuste carcere & vinculis constringi, & Inquisitioni obijci.



Ro huius interrogationis explicatione, cogimur gesta eorũ paucis conscribere, quorũ nomina designantur in interrogatorio. Fuit hic Coloniæ ciuis quidam Mathias Vörsbach nuncupatus, qui suspectus de horribilibus sectis, Anabaptistica & Zuuingliana, à Spectabili Senatu huius inclitæ Ciuitatis Coloniensis coniectus est in uincula, & postea, tam Apostolica, quàm ordinaria autoritate hæreticæ prauitatis Inquisitoribus prædecessoribus nostris, reuerendis uiris Tilmanno Smelingo Segebergensi tunc priori & præceptori meo, Hermanno Blanckfort Monosteriensi sacræ Theologiæ professoribus delatus.

Qui contra eum uia inquisitionis procedendo, ipsum ob suam manifestam rebellionem, articulis inquisitionis contra eum exhibitis, respondere pertinaciter recusantem, excommunicationis uinculo innodauerunt, & præterea ob inflexibilem illius contumaciam, articulos inquisitionis eiusmodi, ob iniunctam, sed recusatam responsionem, pro confessos habendos decreuerunt. Ipse autem quia interea ad plurimos annos, in huiusmodi excommunicationis sentētia, cum summo censurarum, & Ecclesiæ contemptu insorduit. Et cum interim Inquisitor ordinarius excessisset è uiuis, et Apostolicus, ob senilem debilitatem hac functione liberatus esset, nos (cum nobis etiam denunciatus fuisset, ad continuandum contra ipsum inquisitionis processum) ex officio nobis imposito uolentes gliscenti anabaptistico & sacramentario malo & contagioni occurrere, contra ipsum inquisitionis uia processimus, & exhibitis per officij nostri promotores articulis, eum sub obedientiæ debito multis modis ad respondendum ijsdem articulis per uerbum ueritatis, secundùm Christi & Apostolica præcepta (quæ unumquemq; iubent, testimonium præbere ueritati, & fidem suam quam corde credit, ore quoq; confiteri) requisiuimus, eundemq; id facere, ut hactenus semper proteruè et perniciose recusantem, rursus excommunicauimus,

mus, seruatisque seruandis, ob perdurantẽ eius, in non respondendo, contumaciam, prædictos articulos inquisitionis pro confeßis habendos instar prædecessorum nostrorum decreuimus, factisq; & exhibitis contra eũ, certis probationibus apud acta descriptis, clarè & pspicuè deprehendimus, quod ipse coram deputatis Senatus fuerit & sit, publicè & apertè confessus in uulgari. Ess sei war das als sin kint ongeuerlich ein iar alt gewest/ sei ess noch vngetaufft verblieben/vnd souiel des kindes tauff belangt/ die weill der glaub fur geschriebẽ stehet/ soll der glaub fur die tauff geben. *Hoc est, dicit esse uerum, quòd proles sua ad minus per annum, remanserit non baptizata, & quantum ad baptismum paruulorum attinet, quia fides præmittitur debere fidem precedere baptismum. Similiter quoque confessus sit, quod intra octo annos, neq; sacramentaliter confessus sit, neque sacram cõmunionem acceperit, quódque à communione alterius speciei abhorruerit:* Idcirco *prædictis alijsq; contra eum coram nobis deductis, & quantum opus est uerificatis, quod officij nostri erat præstitimus.*

Huius frater Laurentius Vorsbach *(cum secundùm laudabilem huius sanctæ & inclitæ* Ciuitatis Coloniensis *morem et consuetudinem,*

san-

ſanctiſsimum & diuiniſsimum Eucharistiæ Sacramentum, à Reuerendiſsimo in Christo patre & Domino Adolpho, S. Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, iã in Christo, defuncto, antecedẽte toto ei⁹ uenerabili Clero, comitãtibusq; eũ, eiuſdẽ ciuitatis prudentibus Conſulibus, ampliſſimoq; Senatu, & uniuerſo populo ad exorandã Dei clementiã, pro ſalute publica deferebatur) ipſi populo ſe immiſcens, & ad locum (eis quem idem ſanctiſsimum Sacramẽtum, per præfatum Reuerendiſsimum deuotè geſtabatur, de induſtria, ut quod animo tenebat, geſtu quoque toti populo declararet) conferens & recipiens, ipſi uenerabili Sacramento, neque caput aperuit, neq; ullum honorem exhibuit, ſed capite tecto erectus ſtans, uelut deſpiciens quod gerebatur, permanſit, ac pòſt paucos dies, quendam libellum ſupplicem, memoratis Conſulibus & Senatui exhibuit, & in eo inter alia adſtruxit, in uenerabili ſacramento, poſt conſecrationem, diuinitatem Chriſti cum corpore eius coniunctam non exiſtere, eáque de re dixit, grauem abominationem & idololatriam eſſe, Sacramentum Altaris adorare, in grauiſsimum Senatus, totiusq; populi huius urbis ſcandalum & offenſionem.

Porro inter alia ex prætacta eius ſupplicatione Senatui porrecta, nec non etiam reſponſio

nibus eius, ad articulos inquisitionis factis, compertur manifestè ipsum esse grauißimis erroribus cum uerbo Dei *pugnantibus, & à sanctis patribus uniuersalibúsque* Concilijs *sæpe damnatis miserè implicatum teneri, & inter alia quidem quod adserit, in uenerabili sacramento post consecrationem humanitati, seu corpori & sanguini* Christi, *diuinitatem eius coniunctã non esse, nec illic* Deum *personaliter, seu totum* Christum *præsentem existere, & ob id delationem uenerabilis sacramenti, idololatrico more, deportationum* Dei *dici, eiusdemq́; adorationẽ, idololatriam esse, seq́; ea de re, cùm ipsum uenerabile sacramentum per* Reuerendißimum Archiepiscopum *deferretur eidem nullam reuerentiam exhibuisse, ne à populo circumstante crederetur existimare, in parte sacramenti, quæ circumfertur esse* Deum, *sed magis hoc ipso indicaret,* Christum *in sacramento non esse adorãdum.* Christus *(inquit) apertè dixit.* Accipite *& commedite, hoc est corpus meum, & non hoc sum ego.* Item Christus *dixit, hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur uel frangetur.* Et *hic est sanguis meus noui testamẽti, qui pro mul multis effundetur.* Qu *m itaque impaßibilis diuinitas, nihil horum pati poßit, quemlibet bonum* Christianum *agnoscere, ac confiteri oportet, hoc sacramentum non esse* Deum. *Nam si solum*

ſolum corpus eſt Deus, *planè errare conuincor ſi autem deitas pro nobis in mortem data ac paſſa eſt, benè ſentire exiſtimabunt ſacerdotes noſtri. Sed cùm deitas nihil horum pati poßit, fateri charißimum oportet, ſacramentum non eſſe* Deum. Q*uod ſi non eſt* Deus, *diuinus ei non debetur honor, & multo minus adoratio*. Adhæc *quòd quando* Venerabile *ſacramentum ſub utraq; ſpecie non datur, ſed unà porrigitur et ſumitur, tunc ibi uerùm corpus & ſanguinem* Domini *noſtri* Ieſu *Chriſti, haud quaquam eſſe, dari, uel accipi.*

Godefridus Hornecker *tempore eiuſdem ſolennis proceßionis uenerabilis & diuinißimi ſacramenti Corporis Chriſti, præſente eodem* Archiepiſcopo *Colonieñ, eiuſdemq; uenerabili clero, nec non ſpectabilibus Conſilibus &* Senatu, *innumeraq; populi multitudine huius inclitæ & ſanctæ Ciuitatis Colonienſis, in compluribus publicis foris & plateis, eis quæ uenerabile Sacramentum, piè deferebatur, & religioſo cultu, ſecundùm ſanam doctrinam &* Eccleſiaſtica *inſtituta uenerabatur, de induſtria, ex uno in alium locum procurrens, ſeditioſa ac blaſphema uoce, ad auertendum populum ab eiuſcemodi ueneratione contra uenerabile ſacramentum proclamauit* Bethana Bethana. Et *cùm ea de cauſa authoritate amplißimi* Senatus. Vicecomiti *eſſet*

traditus, & inquisitoribus ut blasphemus & de hæresi uehementissimè suspectus fuisset delatus, inuentus est grauissimis erroribus & hæresibus infectus, multáque erronea, hæretica, blasphema & seditiosa sæpius scripsisse, dixisse pariter & fecisse. Et potissimũ quidẽ quod asseruit, se nõ credere hoc ipsum, quod deportatur ac circumfertur, quodq; in pixide aut domũcula recluditur, uenerabile ac diuinissimum Sacramentũ Eucharistiæ designans, esse Sacramentum, sed habendũ pro uitulo, q idololatrico cultu, colebatur in Bethel eiusdem cultum idololatriam esse, & propterea quod idololatriã eã, sustinere non potuisset, in diuersis locis (ut pmittitur, tẽpore deportationis eiusdẽ, alta et sonora uoce exclamasse, ut eiusmodi suis uerbis et clamoribus, numerosissimo populo tunc congregato, antecedẽti & sequenti inculcaret, ibi uerum corpus & sanguinem Dñi Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, minimè circumferri, sed esse idololatricum opus manuum hominum, quod aureus uitulus nuncuparetur, q in Bethell, uel Bethauen (ut iã memoratũ est) sub impijs populi Israelitici Regibus, olim adorabatur. Et hactenus de illis. Nunc operæpreciũ est cognoscere, quid Velsius de blasphemis, impijs, & deliris hominibus sentiat. Et primò quidẽ in responsione ad decimũ interrogatoriũ ita scribit. In epist. ad Reuerendissimũ, cum

quæ ad nostrã, imò & Christi ueritatis causam p̃tinerēt, ipsi proposuissemus atq; absoluissemus, uisum nobis fuit, ipsum quoq; monere de negotio, duorũ captiuorũ ciuiũ Coloniēsiũ, laicorũ q̄dē, sed quorũ ego uitã et mores, ut ad Christi p̃cepta, & dilectionis Dei proximi normã, p̃ humanæ fragilitatis cōditiōe, satis rectè institutos, à plurimis probari intelligerē, Laurētij nimirũ Vorsbach, & Godefridi Hornecker, in quo min⁹ rectè mihi p̃cedi uideretur hæc ibi, planè ea quæ scripsit ad Re. nõ ad Christi et ueritatis causam ptinēt, sed poti⁹ ad ueritatis subuersionē, et Christi ignominiã et blasphemiã. Deinde quales fuerint horũ captiuorũ mores qualisue uita, et quã rectè ad Christi præcepta, & dilectionis Dei & proximi normam, fuerit instituta, pius lector ex his quæ retulimus facilè conijciet.

Porro hoc loco dicit nos tertiũ ueteratoriæ addidisse, cuius causa sit ei penitus incognita cũ tantùm de duorum negotio Episcopo Coloniensi scripsisset. Sed cùm Matthias Vorsbach, à multo tempore, annisque aliquot ut ipse Velsius ait) Coloniæ captiuus detentus fuerit, quanquam sub hæc tempora Vicecomiti primùm traditus sit, cur non æque exploratum habuit, an de paruulorum baptismo aut ullo alio nostræ Religionis negotio, rectè nec sentiret quemadmodum aliorum duorum quorum

uitam & mores benè institutos à plurimis probari intelligeret nisi quia eiusdem cum illis fuerat sententiæ?

Sed differamus paululum, quæ hic contra nos scribit, de errore nostrorum circa baptisma paruulorum, & negotio Laurentij Vorsbach, ad Godefridum Hornecker ueniamus, ut cognoscant etiam cuncti qui hæc lecturi Velsii impietatem. Id breuiter dicam (inquit) credere me ipsum Papam, quiq; ab ipso sunt Episcopi & Sacerdotes, ipsi Hieroboam comparare uelle, qui metuens ne si ascenderet populus, ut faceret sacrificia in Domino domini in Hierusalem, reuerteretur regnum ad domum Dauid, & conuerteretur cor populi ad Dominum suum Roboã Regem Iuda, & sic ipse interficeretur, excogitato callido consilio, duos uitulos aureos fecit, & dixit populo. Nolite ultra ascendere in Hierusalem. Ecce dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti, quorum unum in Bethell, & alterũ in Dan. adorandum posuit, ac sic Israelem, sui cõmodi (ut ipsi quidem uidebatur, cum reuera ruinæ ipsius occasio esset) causa, in idololatriam pertraxit. eodem igitur modo, & Antichristũ Papam, cuius hac parte Hieroboam typus fuit, quemadmodum & Roboã, impius licet alioqui Rex hactenus quatenus de domo Dauid esset, & Rex Iuda, cuius nõ sine causa hic mẽtio fit, Christi,

sti, fecisse, ut ego quidem existimo, aut ipse indicare ea proclamatione uoluit, aut certè spiritus Dei *(qui per simplices & Deum timentes operari gaudet, & sæpenumero ut ex scripturis cognoscimus) oporatus est per ipsum. Sed ò bone* Deus, *quàm iniqua comparatione confert impius iste uelsius, summum* Dei *uiuentis sacerdotem, & Christi in terris uicarium, cæterosq; ouilis Christi* Episcopos *& sacerdotes, cum impio et sacrilego* Rege *cuius impietates, sacrilegia, et idololatria, nobis sacra scriptura describit.*

Ille auocabat populum à Deo *uero & uiuo, & cultu eius & pertraxit ad idololatriam, nimirum ad culturam uitulorum. Quod impium fuerit credere ac sentire de summo pontifice.* Episcopis *& sacerdotibus nostris, nisi forte si qui sunt, qui erant ex nobis, & non permanserunt nobiscum, sed abierunt retrorsum & ceciderunt. Facti* Apostatæ *& desertores manifesti, perfidi transfugæ, qui matri suæ nunc mouent bella atrocißima, inter quos ipse* Velsius *non postremum occupat locum, qui quemadmodum nõ ueretur dicere spiritum* Dei *(qui per simplices &* Deum *timentes operari gaudet) operatum esse per blasphemum istum* Hornecker, *ita adorandum* Eucharistiæ *sacramentũ, idôlum quoddam,* Deum Maosim, Deum *panaceum, appellitat & non unum, sed in eodẽ sæpius altari, duos commen-*

commentum esse Papam, & populum fidelem ad idololatriam horrendam pertraxisse. Et *Archiepiscopum Coloniensem ut hanc idololatriam sua præsentia confirmaret, idolum istud, in festo (ut uocăt Germanicè,* den Cöllnischen Gotts tracht*) circũferre uoluisse.* Deinde *impium istũ* Hornecker, *comparat uiro* Dei, *qui uenit de Iuda in sermone* Domini *in* Bethel, *ut quemadmodum* Hieroboam *stante super altare & thus iacente, exclamauit contra altare in sermone* Domini, *quæq; ei euentura essent prædixit, ita si quis dixerit (inquit) per huius proclamationem, quæ* Archiepiscopam *conterruit, ut animi eius uires & robur dissoluerentur, uoluisse* Deum, *tùm ipsum commonefacere, tùm ciuitatis* Coloniensis Senatum, *ut huiusmodi horrenda idololatria relicta, uerum* Deum *Christúmque eius in spiritu & ueritate colerent, quod nisi facerent ac resipiscerent, tùm ab hac crassa & externa idolomania, tũ ab illa etiã interna, quæ non huius solùm, sed & omnis in genere superstitionis, & abominabilium abusuum, fons est & origo, qua opinionis errore, multos sibi* Deos, *gloriam, honores, ciuilem potentiam, opes, uoluptatem, libidinem, uentrem, id genus reliqua, quos consectentur & colăt, & in quibus spẽ suam repositam habeant, fingunt ac architectantur, futurum ut iusto* Dei *indicio, nõ ita multò*

pòst,in magnã aliquã calamitatẽ incurrãt. &c.

Et quidem ut reuertantur omnes ab interna illa idolomania,omnibus pijs optandũ est,ne eiuscemodi homines huic internæ idolomaniæ dediti,in magnam aliquam calamitatẽ incurrãt,siue temporariam in hac uita,siue æternam post hãc uitam,nisi resipiscant,sed quod augustißimum & adorandum Eucharistiæ sacramentum,idôlum sit, & cultus ille quo colit illud Catholica Ecclesia idololatria sit,falsissimum esse, nemo ignorat,nisi qui Ecclesiæ desertor & oppugnator factus, ad castra rebellium & blasphemorũ confugit hæreticorum. nec est, quod Catholicæ Ecclesiæ morigeri filij, ullam metuant sibi ob hunc tã piũ cultũ calamitatẽ, sed potius metuãt sibi aduersarij,nisi resipiscant ob horrendas blasphemias in hoc sacramentũ eiaculatas, æternã calamitatẽ. Nõ enim est credibile,execrãdas blasphemias illas,Deũ impunitas relicturũ,ad quas meritò obstupescunt Catholici, ut non mirum sit, Archiepiscopum Coloniensem, ad phanatici hominis proclamationẽ inauditã,fuisse conterritũ,ita ut animi eius uires & robur dissoluerentur,non quod metueret sibi,sed quod zelo diuino commotus, absq; horrore animi sui execrandam & blasphemam uocem,audire non potuerit,imitatus in hoc præclarißimi & sanctißimi martiris & Episcopi Policarpi memorabile exem-

Lib.5. Eccles histo. c.19. & li. 4.c.15.

exemplum, qui si quid tale audisset, exclamasset statim & aures suas obturasset, ac sicut moris erat ei, dixisset Deus *in quæ me tempora reseruasti, ut hæc audiam?* Nónne *etiam ipsum continuò locum fugisset, in quo sedens uel stans, huiusmodi uerba audisset?* Denique *quod dicit, uerum* Deum, *Christumq; eius, in spiritu & ueritate colendum, nihil prorsus facit cõtra cultum hunc quem exhibet* Ecclesia *Catholica diuinissimo Sacramento, illic Christum* Deum *& hominem essentialiter & uerè præsentem adorando.* Nã *illa adoratio etiam in spiritu fit & ueritate, per synceram uidelicet fidem, quod illic præsens adsit uerus* Deus *& homo, quamuis in forma sua humana non percipiatur, sed tantùm creditur ueraciter adesse.* Neq; *adoramus in* Eu*christia carnem* Christi, *nobis apparentem modo sensibili, & secundùm dictionem membrorũ, aut diuinitate spoliatam (quoniam sic auocaremur à spiritu ad carnem) sed adoramus ueram carnem Christi, uerbo unitam, & in forma sensibili prorsus illic imperceptibilem, sed spiritu tantum comprehensibilem.* Quò *fit ut illa carnis Christi adoratio, uerè fiat in spiritu & ueritate, haud minus quàm eiusdem gloriosæ carnis, considentis ad dexteram patris pia & gloriosa fit adoratio.*

Iam uerò excutiamus, quibus rationibus Vel*sius*

stus comprobare contendat nos Antichristianos (ita enim loquitur) sophistas, non minùs grauiter, quàm Anabaptistas errare, quod uim & usum baptismi rectum, penitus ignoremus, eóque facere multos παραβαπτισας, & in manifesto Christianos, & in manifesto corpore tinctos, in occulto autem Christianos, prob dolor, & animo tinctos in spiritu non litera, quorum laus non ex hominibus, sed ex Deo est, paucissimos. Eámq; putat esse causam, cur Anabaptistarum error hoc tempore, & emerserit & uigeat. Vnde dicit nos huius erroris causam præcipuam, fontem & originem esse, nósque grauiùs Anabaptistis errare, quod conatur demonstrare ex Dionysio Areopagita, qui cap. 7. Ecclesiasticæ Hierarchiæ describit modum & ritum, quem Apostoli obseruandum statuerunt in baptizandis paruulis, nimirū ut naturales oblati paruuli parentes, puerum uni ex fidelibus traderent præclaro, diuinarum rerū magistro, sub quo iam puer sit, quasi sub patre diuino, sanctæq; salutis alumno. Vel ut Velsius refert, alicui diuinis initiatorum bono institutori puerū traderēt, & in explicatione addit, eum esse debere uirum omninò bonum, & uirtutibus Christiano homini conuenientibus conspicuum, non solùm diuinorum peritum, sed etiam ex ijs uitam propriam rectè instituentem quod fieri nequeat, Rom. 2.

queat, ut in alios quis transfundat, qui non prius in ipso fuerit, alió sque ad uitæ probitatem incitet, qui non se eius quasi exẽplar quodda͂ præbeat, ut dicere cum Paulo poßit. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Hunc itaque *præsul (inquit* Dionysius*) spondentem, puerum iuxta sanctam educaturum uitam, requirit ut abrenunciationẽ profiteatur, fidẽq; profiteatur, non (ut illi ridentes aiunt) aliu͂ pro alio imbuit sacris, neq; enim hoc ille ait, ego pro puero abrenu͂ciationes facio, aut fidei sacramẽta profiteor, sed ita puer renu͂ciat et profitetur, id est, spondeo pueru͂ inducturu͂, cùm ad sacra͂ intelligentiam uenerit, sedulis abhortationibus meis, ut abrenunciet cõtrarijs omnino, profiteatur q; & pergat, diuina quæ pollicetur.* Hactenus *ille.* Velsius *ista explicans, uult cu͂ hoc duce, naturales pueri parentes, uel certè eorum alterum si superstit ac præsens sit ac ualeat, adesse oportere, ut puer naturalis quodàmodo rationis usu, quem pater præstat (est enim hac quasi parte (ut inquit* Aristoteles, *infans diminutus imperfectus) destitutus esse non intelligatur:* Deinde Hierarcham *hominibus loquentem introducit ædificationem & exhortationem & cõsolationẽ, per linguam significanté, & omnibus præsentibus cognitum & patrium, minimè autẽ peregrinum & ignotum, ne & illi ipsi, & ipse illis sit*

Polit. li. 1. cap. 8.

lis sit barbarus, sermonem, & omnia miro ordine, quæ ad huius mysterij rationem pertinent, absoluentem. Et denique pueri pædagogum & spiritualem patrem, debere, tum commoda uerbi Dei institutione, tum uitæ exemplo agere, ut puer ad iustam ætatem progrediendo, contrarijs quidem, quæq; à Christi institutis ac præceptis abhorrēt, prorsus renunciet, profiteatur autem & factis exprimat, sacras sponsiones, quod quidem nisi bona fide omniq; diligentia fecerit, & ipsum grauissimū periurij crimen incurrere, sibiq; iram in die iræ colligere, & puero perditionis causam fieri.

Porro à nobis eligi & admitti dicito susceptores tales, inter quos uideas plurimos fœneratores, auaros, rapaces, simulachrorum cultores, conuiciatores, Christi nominis blasphematores periuros, ebriosos, gulosos, adulteros, scortatores, & ut ad eos ueniat, qui à nobis honestiores habētur, Simoniacos, sacrilegos, & id genus hominū colluuiem, qui oēs de facto excommunicati cum sint, talesq; cum quibus Paulus iubet, ut ne cibum quidē capiamus, multò minus Religionis nostræ mysterijs communicemus, quósq; negat regni Dei hæredes futuros. 1. Cor. 5. Gal. 5.

Patrem quoq; pueri naturalem, celebrando baptismatis mysterio interesse, ut puer aliquando audiuisse se meminit, uel in templo ipso,

eo ipso tempore, nefas apud nos haberi, cum nullius magis intersit, eius rei oculatum & auritum testem esse, quam ipsius, etsi qua fieri possit, omnino adesse debeat.

Deniq;, *inquit, quomodo non grauissimum, quod non communi & patrio sermone omnibus cognito, sed peregrino & alieno, plerumq; etiã ipsi sacerdoti nõ satis intellecto, qui qualis plurimum uita sit & moribus, cuiusq; in sacris eruditionis, quamq; in ea quæ agit attentus, quid attinet dicere? hanc quasi surdis fabulam agat, & & interdum per tria saltet, aliaq; multa scenicè magis ac* Histrionicè *quàm* Ecclesiasticè *&* Hierarchicè *gesticulatur?*

Horreant omnes (*inquit*) *quotquot hæc audiunt, horreãt* Antichristiani *sophistæ, cum omnium mysteriorum ac* Sacramentorum *profanatores, tum huius uel maximè. horũ opera factũ est, ut in nobis* Ezechielis *illud, locum habeat,*

Ezech. 16. *quod nimirum radix nostra & generatio, sit de terra* Chanaan, Pater *noster* Amorræus, *& mater nostra* Cethæa. Et *quando nati sumus in die ortus nostri, non sit præcisus umbilicus noster, & in aqua non simus loti in salutem, neq; sale saliti, nec inuoluti pannis. Nam quid quæso ex omnibus his, in quibus huius sacramenti substantia potissimùm consistit, faciunt?* Non *rectè dixi, dicere debebam quid non, quod cum omnibus his*

è diame-

è diametro pugnet, in quibus mysterij huius substantia potißimùm consistit, faciunt? Et iterum quum præmisisset, quales apud nos sint susceptores, ait. Quomodo quæso nõ rectè dicatur, quod pater noster sit Amorræus? Et cum in ea Ecclesia, ubi Antichristi tyrannis, & peruersa uigẽt dogmata, quæ Christi doctrinæ & præceptis sunt contraria, mysterium hoc omnibus tantùm non suis partibus adulteratum peragatur, quomodo non meritò & mater nostra Cethæa dicetur? Et iterum. Cui non, cum ita prophanari (inquit) uno conspurcari, primum nostræ religionis mysterium, primum ad uitam & salutem aditum et ingressum ab impudẽtißimis istis porcis & canibus uideat, præ doloris magnitudine lachrymarum fontes ex oculis prosiliant? Quis non cogitet uerißimè nobis dici posse, quod quã do nati sumus, in die ortus nostri non sit præcisus umbilicus noster, & in aqua non simus loti in salutem, nec sale saliti, nec pannis inuoluti, candidaq; illa, salutari iustitiæ ueste induti? Horreo dicere, dicere tamen me cogit Deus, cum in huiuscemodi appellatorum Christianorum multitudinem intueor, proditorum mihi ac Iudarũ, multitudinem uidere uideor, qui externè Christi nomen & insigne præ se ferentes, internè antiqui serpentis notam, impreßam gerunt, ipsiq; nomen dederunt, & in eius castris animo uersan-

tur. Et quomodo aliter fieri posset, sic (ut iam dictum est) affectis plurimum susceptoribus, sic sacerdote mystagogo ita obitis ipsis mysterijs sacris, ut præstigijs quibusdam, & illusionibus similiora, quàm nostræ Religionis consentaneis sacris. Vnde quæso tot impedimẽtis obiectis, Sacramentum uim suam exercere poßit? Hactenus Velsius, cuius uerba, licet non eo ordine quo ab eo scripta sunt, ipsa tamen uerba eius & sensum eorundem fideliter recitauimus. Quæ quidem omnia tàm horrenda auditu, blaspema & execranda ac detestanda uerba, non ut Velsius uult, cogit eum dicere Deus, sed Satanas potiùs, qui quum idcircò Satanas, id est, aduersariùs dicatur, quod de cœlo lapsus, Deo creatori suo aduersari non desinat, in eo scilicet quòd loquitur mendacium, ut decipiat creaturam ad faciendum secundum adulterium, ostendens se tanquam sit Deus, atque ita diabolus ipse pro Deo, tanquam adulter pro uiro legitimo suscipiatur: Quum itaque aduersarius sit Dei, persuasit Velsio ut aduersaretur Ecclesiæ Dei, & tàm horrendas blaspemas aduersus Dei & illius mysteriorum subuersionem euomeret. Sed ad rem ueniamus. Primò ergo dicendum, in quo huius mysterij siue Sacramenti substantia potißimùm consistat, ut cognoscat pius lector, non esse impedimenta,

que

quæ prohibeant Sacramento uim suam exercere, quæ Velsius nobis opponit, & falsissimum esse, in his ab eo enumeratis, Sacramenti substantiam potissimùm consistere. Itaque *Sacramenta duobus his potissimùm consistunt. uerbo uidelicet & elemento, tanquam partibus quibusdam substantialibus.* Ritus *autem quos* Ecclesia *ex Apostolorum traditione addit, tàm ad decorem honorémque ac solennitatem sacramenti, quàm ad denotandum & docendum nos, quid in sacramento agatur, adhibentur, sine quibus tamen uerum sacramentum consistere potest modò ibi sint uerbum & elementum, quæ potissimùm de substantia sunt sacramenti, non autem ritus superadditi.* Quia *tamen eiusmodi ritus diuinorum mysteriorum pleni sunt, & magna cum ratione à patribus instituti, nempe in excitationem fidei & charitatis, nequaquam contemnendi erunt, sed tanquã fulcimenta pietatis, diligentissimè ac acerrimè (nisi instans necessitas prohibeat) retinendi.* In *baptismo itaq; duo sunt, quæ potissimùm ad substantiam eius spectant, uerbum scilicet & elementum.* Verbum *est ipsa inuocatio* Trinitatis, *huic diuinæ promissioni innixa.* Qui *crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, quæ pagitur hisce uerbis à* Christo *traditis.* Ego *baptizo te, in noĩe* Patris, *&* Filij, *& spũssancti.*

Elementum autem, seu materiale externum huius sacramenti, est aqua. De necessitate igitur sacramenti baptismi, est uerbum, quod uocant formam huius sacramenti, quæ designat eius causam principalem, & minister, qui est causa instrumentalis, & usus materiæ, uidelicet ablutio in aqua, quæ designat principalem Sacramenti effectum. Quia sicut aqua corporis sordes abluit, ita per baptismum homo ab omni peccato spiritualiter mundatur, innouatur, & regeneratur, ut quod incorporale est, inuisibiliter abluatur. Vnde rectißime à Paulo, lauacbrum aquæ regenerationis et renouationis appellatur. Porro cætera omnia, quæ in ritu baptizandi obseruat Ecclesia, & in baptismo adhibet, & à primitiua & Apostolica Ecclesia non dubitatur accepisse, magis pertinent ad quandam solennitatem sacramenti, quam ad eius necessitatem aut substantiam, quia absq; eiusmodi ritibus & cæremonijs baptismus à ministro cum debita forma & materia collatus, uerus est baptismus quia omnia habuit, quæ potißimùm sunt de necessitate Sacramenti ac substantia eius.

His ita fundamẽti loco iactis, excutiamus singula. Cum itaq; non in his quæ Velsius enumerat, baptismi substantia consistat, sed potißimũ in uerbo & elemento & ministro, reliqua autẽ quæ adhibentur (quibus annumeranda sunt etiã illa,

illa, quae Velsius enumerat & asserit sed falsò, esse de substantia mysterij) non uideo qua ratione dicat nos esse profanatores huius Sacramenmenti, & causam praecipuam esse Anabaptistici erroris.

Sed non obseruatis (dicit) ritum ac modum, quem Apostoli statuerunt ac praescripserũt. Dionysius *uult susceptorem pueri, esse uirum omnino bonum, & diuinorum non solum peritum, sed etiam ex ijs uitam propriam instituentem rectè. Vos autem admittitis, fornicatores, adulteros, auaros, & eiusmodi generis homines, de facto excommunicatos.*

Nihil *esse periculi si in ijs rebus, in quibus potissimùm substantia Sacramenti non consistit, quaedam uarientur, aut non ita integrè obseruẽtur, modò quilibet cõformet se in administratione Sacramentorum, consuetudini* Ecclesiae, *in qua uiuit, uel hinc liquet, quòd Apostoli institutionem* Christi *& praeceptum de baptizãdis hominibus in nomine patris & filij & spiritussancti, aliquanto tempore non obseruarunt, baptizaetes eos duntaxat in nomine* Iesu. Olim *etiam pueris baptizatis dabatur à* Pontifice *sacrosancta* Eucharistia, *quemadmodum ex* Dionysio *ibidem constat.* Nam *sic inquit.* Tradit *autẽ puero sancta mysteria* Põtifex, *ut nutriatur in ipsis &c. quod tamen hodie non obseruat* Ecclesia.

Deinde quod Velsius asserit Dionysium scribere susceptorem pueri, uirum esse debere omnino bonum, & uirtutibus Christiano homini cõuenientibus conspicuum, quanquam hoc ualde optandum sit, & omnibus aduigilandũ sit ut talem pueris suis asciscant fidei pædagogum, tñ Dionysius non tam facit mentionem bonitatis, quàm eruditionis. Sic enim, inquit. Vt naturales oblati paruuli parentes, puerum uni ex fidelibus tradant, præclaro in diuinarum rerum magistro. Vnde uidetur Velsius hæc ex suo affixisse.

Sed susceptor (inquit) pueri, debet tũ commoda uerbi Dei institutione, tũ uitæ exẽplo ipsum puerũ instituere, quod nisi bona fide, omniq́; diligentia fecerit, grauißimũ periurij crimen incurrit, sibiq́; irã in die iræ colligit, & puero perditionis causa fit. De uitæ exemplo, quãuis meritò requiratur, sacerrimus pater nõ facit mentionẽ, sed est Velsii additamentũ. Deinde ubi paruuli hac tẽpestate enutriuntur inter Catholicos Christianos, præsumendũ est eos à suis parentibus satis diligẽter instrui, ut susceptoribus illa instruendi neceßitas, & periculum non immineat. Si tamen quocunque modo intelligerent, parẽtum ignauiam ac negligentiã, uel seductionẽ puero metuerent, pro uirili cõtendere debẽt ut in fide recta instituantur: Cũ enim susce-

ptor

ptor assumat sibi officiũ pædagogi, & unusquisq; obligetur ad debitã executionẽ officij quod accepit, nõ dubiũ quin ratio officij sui clamet eũ curam habere debere discipuli sui, cuius pædagogus est, maximè necessitas immineat, quẽadmodũ cùm baptizati inter infideles aut hæreticos commorantur. Vnde Augustinus. *Vos (inquit) ante omnia, tam uiros quã mulieres, qui filios in baptismate suscepistis moneo, ut uos cognoscatis fideiussores apud* Deum *extitisse pro illis, quos uisi estis de sacro fonte suscipere.*

Sed fieri nequit (inquit) ut in alios quis trãsfundat, quod non prius in ipso fuerit, aliosq; ad uitæ probitatem incitet qui nõ se eius quasi exemplar quoddam præbeat, ut dicere cum Paulo *possit.* Imitatores *mei estote, sicut & ego* Christi. Bonum *quidem esset, si uerbo & exemplo puerum fidei suæ commissum erudiret, sed tamẽ nihilominus, si pura & inculpata uita desit, transfundere potest fidei & morum doctrinam in illũ.* Quales *fuerint scribæ & pharisæi* Christus *apud* Matthæum *palàm facit.* Et *tamẽ cùm tales essent, doctrinam sanam transfundebant in auditores, ita ut* Christus *diceret de eis populo.* Quæ *dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere dicunt enim & non faciunt.* Itaque *ut mali doctores, ita etiam impuri susceptores, doctrinam fidei, quam habent,*

1. Cor. 11.

Matt. 23.

bent, transfundunt in alios non autem uitam bonam, quam non habent, quam etiam si haberent, nequaquam transfunderent, sed duntaxat doctrinam uitæ benè instituendæ: Vt autem ex auditu sanæ doctrinæ, uita rectè instituatur, nō sermo hominis, sed unctio facit spiritussancti. Nisi enim (ait. S. Grego.) spiritus, cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris.

It uerò quis nō rideat, quod auaros rapaces, simulachrorum cultores, conuiciatores, Christi nominis blasphematores, periuros, simoniacos, & id genus hominum colluuiem, de facto dicat omnes esse excommunicatos, non intelligens discrimen inter excommunicatos, qui publico Ecclesiæ iudicio, ab exteriori Ecclesiæ cōsortio, donec resipiscant, separantur, & penitus secluduntur & inter hos, quos certa ratione, uti mēbra licet mutilia, ab Ecclesiæ unione non repellimus. Nam excommnnicati, quamuis Ecclesiæ membris cohabitent, & secundùm exteriorem politiam, cum Ecclesiæ membris conuersentur, nemo tamen eos Ecclesiæ membra dixerit, quod secus est in Christianis, quamuis publicè peccantibus, ab Ecclesiæ tamen consortio nondum resecatis, scripturis id apertè docentibus.
1. Cor. 5. Paulus siquidem Corinthijs scribens, redarguit ac obiurgat eos, quòd audiretur inter eos fornicatio talis, qualis nec inter gentes. Et

mox apertum discrimen facit, inter fornicarios & sceleratos fratres, ac fornicarios ac sceleratos huius mundi, quòd illos uti membra contagiosa tolli ac segregari, & ut fermentum malitiæ ac nequitiæ, commixtum massæ, expurgari iubeat, donec resipuerint, quemadmodum ipse illic incæstum fratrem excommunicat, ad Sathanæ interitum carnis tradit, ut spiritus eius saluus fiat in die Domini. Non tolleret autem, nec segregaret, nisi eum intus in Ecclesia, fuisse fateretur. At fornicarios & sceleratos huius mundi, ibidem penitus foris esse dicit, & eos ad suum iudicium non pertinere. Quid enim mihi (inquit) de his qui foris sunt iudicare? Nónne de his, qui intus sunt, uos iudicatis. Nam eos qui foris sunt Deus iudicabit. Subdit ergo. Auferte malum ex uobisipsis. Sed & ex superioribus quæ & Ecclesia dicta sunt, liquet Christianos peccatores, carnaliter uiuentes, atqui adeò lethalibus criminibus contaminatos (modò tamen pacem integrâm, quantum, ad fidei ac doctrinæ professionem integram & sacramentorum participationem attinet, cum membris uiuis retineant) in Ecclesia esse & nequaquam per excōmunicationem ab ea separatos, cum Ecclesia contineat bonos & malos.

Porro si secundùm Paulum, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur, & talibus non Gal 5. 1. Cor 5.

debea-

debeamus commiſceri, nec cum huiuſmodi cibum ſumere, conſtat quid Velſio niſi reſipuerit ſperandum, & quantum ab omnibus uitandus ac cauendus ſit, qui tàm contumelioſus & maledicus eſt in omnes. Nam cum reliquis qui regnum Dei non poßidebunt, & quibuſcum cibum ſumere prohibemur, maledici ſunt & communicatores, & Chriſti nominis blaſphematores. Et certè quis alius eſt Chriſti nominis blaſphemator ſi non Velſius, qui Chriſti nomen in Eucharistia blaſphemat & eam appellat idôlum?

Deinde quod aſſerit patrem pueri naturalem, celebrando baptiſmatis myſterio intereſſe debere. hoc ex Dionyſio non colligitur. Sed ſanctus uir dicit parentes naturales paruuli oblati, puerum tradere conſueuiſſe, præclaro diuinarum rerum magiſtro, quem præſul requirebat quique pro puero ſpondebat, nulla prorſus facta mentione præſentiæ paternæ, ut manifeſtum ſit etiam hoc eſſe Velſii additamentum.

Deniq; neque hoc ex Dionyſio habemus, debere baptiſmatis myſterium patrio & cõmuni ſermone omnibus cognito celebrari, ſed à Velſio illi adſcribitur. Ipſe enim introducit Hierarcham hominibus loquentem, ædificationem, exhortationem & conſolationem per linguam ſignifica-

significantem & omnibus præsentibus, cognitũ & patrium sermonem. Quæ in Dionysio *nõ habentur*,. Et tamen *si haberentur, non continuò inde conficitur baptismatis sacramentum, patrio & omnibus cognito sermone celebrandum.* Nam *quia* Hierarcha *loquebatur omnibus præsentibus ædificationem, exhortationẽ, & consolationem necesse erat eũ loqui omnibus cognito sermone ut ab omnibus intelligeretur, & fortè exponebat populo, q̃d in exhibitione huius mysterij ageretur, id quod in administratione* Sa*cramentorũ faciendum, canonibus* Cõcilij *prouintialis* Coloniensis, *anno* 36. *celebrati decretum est, in hæc uerba. Quia in Sacramentis aliud uidetur, aliud agitur, instruendus est populus in cuiuslibet exhibitione, quid in eiusce modi religioso arcano (id enim sacramentum sonat) agatur. Cum enim in sacramentis istis, per signa quædam sensibilia, infundatur insensibilis gratia, congruens externis signis, excitanda est fidelium fides & deuotio in* Deum *ut credentes, ac diuinum mysterium intelligentes, ad* Dei *ac saluatoris nostri* Iesu Christi *participandam gratiam accedant. Quod fiet, cum parochus sub administratione cuiuslibet sacramenti, sacra concione populum, breuiter admonuerit, quid in ea re agatur, hactenus ibi.*

Non est ergo quod Velsius dicat omnes horrere debere qui hæc audiunt: Non enim sumus huius Sacramēti profanatores, sed religiosi cultores: Nam omnia diligentißimè & exactißime obseruamus, in administratione huius sacramenti, non solùm ea in quibus potißimum substātia huius mysterij consistit, uerumetiam quæ ex Apostolorum traditione obseruat Ecclesia. Non uigent in nostra Ecclesia Anthichristi tyrannis neq; peruersa dogmata, quæ Christi præceptis & doctrinæ sint contraria, & mysterium hoc omnibus suis partibus, non adulteratum, sed integrum & absolutum peragitur.

Ezech.36. Non est proinde nostrorū opera factum, ut in nobis Ezechielis illud locum habeat, quod nimirùm radix nostra & generatio, sit de terra Chanaan &c. Et quando nati sumus in die ortus nostri, non sit præcisus umbilicus noster, & in aqua non simus loti in salutem &c. Nam si hoc intelligamus de illa aqua, quā Dominus per eundem Prophetam alio loco promisit dicens.

Ezech.16. Effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquinamentis uestris, & ab uniuersis idôlis mundabo uos. Hoc enim cum dictū sit de aqua lauacbri salutaris in baptismo nō est nostrorum opera factum ut in nobis illud Ezechielis locum habeat, cùm apud nos baptismi mysterium, omnibus suis partibus absolutū

&

& perfectum peragatur. Et *quanquam deceret atque conueniret, huius Sacramenti ministros, & puerorum susceptores esse uiros bonos, pios & doctos, uerũtamen ministrorũ malitia haudquaquam obesse potest ipsi sacramento, quò minùs sacramẽtum uim suam exercere poßit.* Nam *ipsum sacramentum à bonis & malis ministris datur, sicut & sumitur, nec melior est baptismus qui per meliorem datur, nec minus bonus, qui per minùs bonum datur, nec malus qui per malum datur, nec maius munus datur in baptismo dato à bono, nec minus in baptismo dato à malo, sed æquale.* Quia *non est munus hominis, sed* Dei, *fuerunt olim* Corinthij *in eo errore ut putarent sacramentum baptismatis, aliquid uirtutis habere ex meritis ministri.* Vnde *baptizatus ab uno, prætulit se baptizato ab alio, prout unus ministrorum excellentior uel sanctior uidebatur alio.* Quilibet *enim nominauit se ab illo, à quo fuerat baptizatus, unde & contentiones erant inter eos, dum unusquísque eorum diceret.* Ego *quidem sum* Pauli, *ego autem* Apollo, *ego uerò* Cephe, *ego autem* Christi. 1.Cor.1.
Sed errauerũt, q̃a baptismus nõ habet efficatiã, nisi ex merito Christi, *tanquam è causa meritoria, q̃ tactu suæ mundißimæ carnis uim regeneratiuam contulit aquis.* Vnde *de latere* Christi *morientis, omnia sacramenta dicuntur fluxisse,*

quoniam uirtute dominicæ paßionis operantur Christus uerò ut Deus, *seu tota beatißima* Trinitas, *est causa effectiua & principalis uirtutis baptismi, quoniam solus* Deus *intus baptizat peccata abluendo, & gratiam infundendo, sine cuius infusione nemo iustificatur, nulliq; peccata dimittuntur.* Vnde Ioannes *bapti-*
Ioan.1. *sta dixit de Christo. Quia uidi spiritum descendentem, quasi columbam de cœlo, & mansit super eum.* Et *ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit. Super quem uideris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto.*

Matt 3. Et *alibi ait. Ipse uos baptizabit spiritusancto & igni* Rectè *ergo aduersus prædictum* Corinthiorum *errorem inuehitur dicens,* Diuisus
1,Cor,1, *est Christus?* Nunquid Paulus *crucifixus est pro nobis, aut in nomine* Pauli *baptizati estis?* Gratias *ago* Deo *meo, quod neminem uestrûm baptizaui, nisi Crispum & Caium, ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis.* Porro *in*
Rom.6. Epistola ad Romanos. *An ignoratis (inquit) quia quicúnque baptizati sumus? in Christo Iesu in morte ipsius baptizati sumus, ostendens nimirum quomodo Christus baptizet.* Dicimur *enim hac ratione in Christo baptizari, non solùm quod Christi institutione baptizamur, ue-*

rumeti-

rumetiam quia baptizamur ipsius operatione, qui uerè baptizat & in spiritusancto. Dicimur *autem in morte ipsius baptizari: quia baptismus à Christi morte uirtutem habet, & ipsius mors, animarum nostrarum purificationem operatur, quia dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo* Cùm itaq; *Christus sit qui baptizet, baptismus talis est (ait* Augustinus) *qualis ille, in cuius potestate datur non qualis est ille, per cuius ministerium datur.* Vnde *si inter bonos ministros, cùm sit alius alio melior, non est melior baptismus, qui per meliórem datur, nullo modo malus est qui etiam per malum datur, quia idem baptismus datur, & ideo per ministros dispares,* Dei *munus est æquale, quia non illorum sed eius est.* Et Item *cùm baptizat malus illud quod datum est, unum est, non impar propter impares ministros, sed par & æquale, propter hoc hic est qui baptizat.* Item *ego dico, & nos dicimus omnes, quia iustos oportet esse per quos baptizatur, iustos oportet esse, tanti iudicis ministros. Sint ministri iusti si uolunt. Si autem noluerint esse iusti qui sedent in cathedra* Mosi, *securum me facit magister meus scilicet Christus, de quo spiritussanctus dicit, hic est qui baptizat.* Item Quos *baptizauit Iudas, Christus baptizauit,*

Act. 1.
In. 4. dist. 5. De cons. dist. 4.
Matt. 23.

Si quos ergo baptizauit ebriosus, homicida, adulter, si Christi erat baptismus, Christus baptizauit. Non timeo adulterum, nec ebriosum, nec homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, hic est qui baptizat. Item homicida dedit baptismum Christi, quod Sacramentum tàm sanctum est, ut nec homicida ministrante polluatur. Ex his *perspicuè cernitur baptismum uerum à bonis & malis dari, & ipsum tamen æquè sanctum esse, & munus eius æquale, siue à bonis, siue à malis quis baptizetur, quia ministri ministerium tantum habent, non potestatem baptismi.* Potestatem *enim sibi retinuit.* Quod *nouit* Ioannes, *cum uidit columbam descendentem super Christum.* Quid *nouerat* Ioannes *baptista?* Dominum. Quid *non nouerat? potestatem dominici baptismi, in nullum hominem à* Domino *transituram, sed mysterium planè transiturum. Potestatem à* Domino *in neminem, sed ministerium in bonos & malos.* Non *exhorreat columba ministerium malorum, respiciat potestatem* Domini. Quid *facit tibi minister malus, ubi bonus est* Dominus? Neq; *enim qui plātat, neq; qui*
1, Cor, 3, *rigat est aliquid, sed qui incrementū dat* Deus. Si *superbus fuerit minister, cum diabolo computatur, sed non contaminatur donum quod per illum fluit, purum est per lapideū canalem trāsit*

aqua ad areolas, in canali lapideo nil generatur, sed hortus fructus plurimos adfert: habet ergo nō modò boni, sed etiā mali ministeriū baptizādi, sed neuter potestatē baptismi. Ministeriū enim dedit Christus seruis, sed potestatē sibi retinuit. Cyp. in ser. de baptismo Christi principio plura de hac re habet. Ex *quib⁹ omnibus perspicuū esse arbitror, malitiā ministrorū, in baptismi mysterio ac administratione eiusdē, impedimento esse non posse, quò minùs sacramentum effectum suum consequatur.* Non *ergo, ut flagitijs nostris patrocinium quæramus, mendacißimè in ore habemus, (quemadmodū* Velsius *mendacißimè & impudētißimè garrit ac nugatur,) bonitatem & malitiam conditiones esse impertinentes (quanquam ego neminem adhuc legerim nostrorū q ita loquatur) ministerio, sed ut* Deo *nostro* Iesu *Christo, potestatē quā sibi retinuit, integrā illibatamq; adstruamus, & nō tribuam⁹ ministro, quod meritò tribuitur soli* Deo, *q æquè p malos, uti per bonos, sacramentū cū effectu suo largitur. Cōferunt enim etiā si mali existāt, nihilo secius uerùm sacramentū. Ipsi enim ideo ministri huius sacramenti sunt, non quia boni (alloqui omnes boni ex officio essent ministri huius sacramēti, quod constat esse falsum, cū ad propriū officiū sacerdotis pertineat baptizare, etiā si malus sit, sec⁹ aūt est in necessitate, in qua &*

& laicus, imò & mulier ministros se exhibere possunt sacramenti baptismi, quia nõ iudicatur homo q baptizat, sed spiritus Dei, *qui subministrat gratiã* Sacramẽti, *licet etiã paganus sit qui baptizet, sed q a ministri q b⁹ accidit, q; sint boni. Porro est aliud dicere bonitatẽ & malitiã, cõditiones impertinẽtes esse ministerio, & aliud dicere bonitatẽ & malitiã, cõditiones impertinẽtes esse ministro, quia siue boni siue mali sint ministri sacramẽti, æqualiter tñ cõfertur effectus sacramenti per eorum ministerium, quia* Christus *est qui baptizat. Sunt tamen conditiones impertinentes ministro qui si rectè legittimè, & ad animæ suæ salutem, ministerio sui uti uelit, oportet eum esse bonum. Si non sit bonus, ipse cum diabolo computatur & peccat, sed tamen non contaminatur donum* Christi, *sed quod per illum fluit purum est. Nihil obest ministri malitia, ubi bonus est* Dominus, *uti dictum est. Sed quid ais (inquit* Velsius) *bone uir, itáne bonitas & malitia, conditiones sunt, impertinẽtes ministerio?* Distinctè *loquamur, et uidebis errorẽ tuũ.* Interrogo *igitur, an bonitas et malitia ministri nõ quaten⁹ aliud qppiã, sed quaten⁹ minister est, & secũdũ ipsum minnisteriũ spectata, cõditiones sint impertinẽtes ministerio?* Respõdeo *hoc modo consideratã bonitatẽ & malitiam ministri conditiones impertinentes esse ministerio,*

ministerio, cùm ministerij affectus æquè succedat, malus sit minister an bonus.

Vt(inquit Velsius) qd uelim similitudine clarius intelligas, pinde interrogo ac si de cultro, quod secandi est instrumētū pcūctarer, an bonitas & malitia cultri, quatenus culter est, & secādi instrumentū (sunt autē hæ, acumē & obtusitas, nam qui acutus est, rectéq; secare ualet, bonum cultrū dicimus, qui autem obtusus est, maléq; secat, malum, & si prorsus secare nequeat, ne cultrum quidem omnino appellandum censemus) conditiones sint impertinentes cultri officio? Nam ex auro, aut argento, aut ebore, aut ligno capulum confectū habeat, hic minimè me latet, eum non hoc ipso per se & quatenus cultrum, sed per accidens meliorem deteriorém ue censeri. Respōdeo magnū esse discrimē inter cultrum, & baptismi ministrum. Nam minister Sacramenti instrumentaliter quidem agit, sed est instrumentum animatum & rationale, liberum habēs arbitriū, quo uel ad bonū uel ad malū declinat. Præter hoc instrumētale agēs, principale agēs in baptizādo est Deus p autoritatē, & ipse Christ⁹, cuius meritū opatur in baptismo, & ex plenitudine diuinæ bonitatis & gratiæ Christi, baptizatus cōseqtur gratiā, nō aūt ex bonitate ministri, qui instrumentaliter duntaxat operatur, unde non refert ad Sacramenti rem uel

effectum percipiendum, utrum ipse bonus sit uel malus, gratiam habeat nec ne. Porro *culter est instrumentum prorsus inanimatũ, quod officio suo benè uti nequit, nisi has conditiones habeat, & ab alio moueatur.* Ideoq; *si benè secat, bonus censebitur culter, si minùs benè, minus bonus sin aũt nihil prorsus secare poßit, ne culter quidem omnino appellandus erit.* Per *ministrũ autem malum, Christus baptizat & gratiam confert quemadmodum dictum est.*

Hoc *tamen uerum est, oportere ministrum esse bonum modò benè uelit ministrare, hoc est, ad animæ suæ salutẽ.* Et *huc spectant ea quæ deinde* Velsius *citat ex* Euangelio. Debent *enim ministri esse sal terræ.* Quod *si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum ualet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quibus *uerbis Christus non pronunciat bonitatem & malitiã esse conditiones pertinentes ad ministeriũ, sed ad ministros, qui nisi boni sint uelut sal infatuatum, conculcandi sunt, eò quòd ultra nihil ualeant.* Debent *ergo esse lux mundi.* Non *potest ciuitas abscondi supra montem posita, neq; accendunt lucernã & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt,* Sic *luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est.* Denique *si*

Matt 5.

que si boni esse uoluerint, ea quæ beatitudinum doctrina continentur, exactißimè obseruare cu rabunt.

Ex *his (inquit* Velsius) *quis non animaduer- tit, id uerè dici posse ac statui, quod etiam* Dio *nysius* Areopagita *inquit*. Hunc *uniuersalem esse diuinarum rerum decorem & ordinem, ut primùm eorum particeps fiat, ipsisq; complea- tur sacer dux, quæ par ipsum diuinitùs, alijs sunt donanda, & sic alijs impartiatur*. Hic *ani- maduerte quæso pie lector quàm scientificæ, & quàm certißima demonstratione (uti iactitat)* Vel*sii rationes sint suffultæ*. Ea *enim quæ* Dio- *nysius scribit de participatione mysteriorum, hoc est, corporis & sanguinis* Domini, *confun dit* Vel*sius, & detorquet ad participationem bonitatis uitæ*. Dionysius *causam aßignat, cur* Pontifex *ipse priùs sacra sumit mysteria, quàm alijs tradat, quòd ille* Ecclesiasticæ *functionis sit congruentißimus ordo, ut priùs ipse præsul sumat hæc sanctißima* Sacramenta, *& priùs im pleatur diuinis illis donis, quæ p ipsum alijs sunt dispartienda, & sic deinde alijs tradat*. Ita *enim inqt*. Enimuero *participatio, cõmunionẽ præce dit, mysticamq; distributionẽ mysteriorũ sancta perceptio*. Est *enim hic diuinarum rerum decen tißimus ordo, ut priùs communicet, atque im- pleatur sanctus præsul ijs (quæ per illum distri-* Eccle. Hie rar. c. 3

buenda sunt cæteris) diuinis donis, et sic alijs tra dat. Sed quæ sequūtur eius uerba, Velsio patrocinari uidentur. Ita enim subijcit. Quo circa & ij, qui diuinis magisterijs (priusquam digna illis conuersatione capaces effecti sunt) abutuntur audacter, impuri atque à sacra lege extranei omnino censentur. Vt enim solis radijs, tenuiores limpidioresq; substantiæ primæ, in fluēti luce replentur, sicq; exuberantē lucem in subsequentes, soli uice transfundunt, ita non sine periculo, diuinis in rebus quibúsq; alijs se ducē præstare præsumit, qui non per omnia, euaserit simillimus Deo, & ab inspiratione iudicioq; diuino fuerit gubernator declaratus. Hæc ille. Sed nō patrocinantur Velsio. Nam sanctißimus pater illis uerbis illos culpat ac reprehēdit, eósque perperàm dicit agere, qui diuini magisterij officium, sibi insolenter arrogant, anteq̄ illius p conuersationem capaces sint & idonei, alijsq; sacra tradere præsumunt, cùm nec ipsi sancti sint, neque sacri, sed immundi, atq; à sacra Christi lege omnino abhorrentes atq; alieni. Quod deinceps apposita similitudine confirmās, dicit eos cū graui discrimine propriæ salutis agere, q̄ præsumunt in quibuscunq; rebus diuinis administrandis, se alijs præceptores et duces exhibere, qui non euaserint omnino, quantū humana fert infirmitas, Deo simillimi, quiq; interna reuelatione,

tione, indicioq́; exteriore diuinitus dato, nõ fuerint gubernatores aliorũ designati. Nemo enim (inqt Apostolus) sumit sibi honorẽ, sed q̃ uocatur à Deo tanq̃ Aaron. Et utinam hæc oẽs bene expenderent, qui diuini magisterij officiũ sibi insolẽter arrogant (qualis est præcipuè ipse Velsius, qui dicit se uocatum à Deo, cum tamẽ nullo indicio diuino, sit ad hoc declarat⁹) & qbuscũq; rebus diuinis ac sacris sese ingerũt administrandis, immundi & nõ sacri, et animaduerterent cũ quã graui piculo propriæ salutis id agãt. Grauiter enim delinquunt qui hoc temerè audẽt. Veruntamen si id tẽtauerint ac præsumpserint, uera quidẽ conficient mysteria, uerũq; administrabunt baptismatis Sacramentũ, quan q̃ ad iudiciũ & damnationẽ propriã eò quòd indignè dignissima tractẽt mysteria. Vnde rectè S. Iacobus monet, dicens. Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes, quoniam maius iudicium sumitis. Heb. 5. Iac. 3.

Deinde quæ sequũtur in Velsio, nimirũ q̃ minister Ecclesiæ sacerdos seu presbyter, debeat alijs ducatũ p̃bere, & ut hoc præstare poßit, in ipso reqri, ut & uiæ cognitione sit instructus ac minimè cæc⁹, insup, ut & san⁹ ac ualẽs sit, & ambulare poßit, ut habeat aĩm sanũ & robustũ, ut in uitæ ex Christi instituto et præceptis degẽdæ uia p̃eat, alteriq́; ducatũ præbeat, quẽadmodum Christus dixit. Nunq̃d potest cæcus cæcũ ducere

Nónne ambo in foueam cadunt eò ſpectant ut recté fungatur dux ac magiſter aliorum officio ſuo, ne uiæ ignoratio, tùm ipſi aberrandi ſit cauſa, tùm alterum ſeducendi.

Præterea quod præcedentibus adijcit, doctoris officio, Eccleſiæ miniſtrum fungi, & neminē eſſe poſſe doctorem, qui non priùs fuerit diſcipulus, omnino enim ipſum priùs nouiſſe oportere, quod alteri ſit traditurus, Nouiſſe autem, & ſcientia comprehendiſſe aliquem quippiam fieri non poſſe, niſi id ab alio didicerit, aut per ſe inuenerit, etiam ſi concedamus Velſio, quid faciet aduerſum nos? & quid ad præſentem materiam quam tractamus? Non enim magiſtri officium ac doctoris, ſed miniſtri Sacramenti & præcipuè baptiſmi excutimus.

Quod autem utroq; modo, ipſum priùs diſcipulum fuiſſe, & potiſsimùm in rebus ad religionē pertinentibus, probat, conatur oſtēdere, qui in Eccleſia doctoris munere functurus ſit, nihil contra nos facit, niſi quòd non caret ſuſpitione, quòd interni doctoris facit mentionem, & ut dicit, abſolutè, Chriſti diſcipulum fuiſſe oporteat, aut mediatè, aut immediatè, ut hoc prætextu uocationem ſuam, quam mendaciter prædicat, confirmet.

Luc. 24 Sed quod Chriſti diſcipulus eſſe nequeat (inquit) qui non (uno uerbo) omnibus mundi huius,

animo

animo renunciat, & baiulat crucem suã, & post Christum uenit, ab ipso ueritatis autore didicimus, quæ uerba carnaliter nimium accipiendo, & ineptis distinctionibus adhibitis eludendo, in suam aliorumq́; perniciem, perditißimi sophistæ adulterant. Mirum quod in re tàm manifesta, tàm prolixus Velsius est nugator. Quin profert in medium ineptas quas eludendo adhibemus distinctiones. Certò ego non ineptam adhibebo distinctionẽ, sed dicam in ueritate, quod ipse textus literæ clamat, Christum non ibi loq de discipulatu, qui consistit in administratione Sacramentorum, sed in imitatione uitæ, & discipulatum illum non tàm spectare ad doctrinæ magisterium, quam ad Christi doctrinæ obseruationem. Qui (inquit Christus) non baiulat crucem, & uenit post me (utique per imitationem uitæ) non potest meus esse discipulus. Deinde & hoc dico, istud non tantum dictum esse, ministris Ecclesiæ, aut Sacramentorum, sed omnibus in genere Christianis. Nam ad omnes pertinet illud Apostoli. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs. Quod prorsus aliud non est, quàm per arctam uiam incedere, quæ sola ad salutem perducit æternam. Quod si qui sunt ministri Ecclesiæ, qui per imitationem uitæ, Christi discipuli non sunt, & tamen dispensatores mysteriorum, Dei sunt,

Gal 5.
Matt. 7.

ſunt, nunq̄d idcirco myſteria uera p eos non diſpēſantur, præſertim cū in hoc ſacramēto, nō baptizet miniſter, niſi miniſterialiter et inſtrumētaliter, Chriſtꝰ aūt ſit, q̄ principaliter baptizat?

Porro quod nūc, adijcere operæpreciū arbitratur Velſius pugnare noſtrū dogma cum ijs, quæ apud Paulū habētur cap. 3. prioris epiſt. ad Timotheū, itémq; cap. primo ad Titū, ridiculū eſt: Suprà enim oſtenſum eſt à nobis, Paulū ibidē non de finire Epiſcopū, ſed deſcribere Epiſcopi cōditiones & qualitates, q̄bus ornatus eſſe debeat, modò ad ſalutē ſuā Epiſcopalia munia obire uelit, & populo ſibi ſubiecto ſatisfacere, cū tñ nihilominus Epiſcopus reuera ſit, etiā ſi iſtis præditus non ſit conditionibus, cū Iudas in ueritate fuerit Apoſtolus, qui tamen fur erat & latro, & ea quæ mittebātur portabat. Sed hic hominem omnia ſua demonſtratiuè & ſcientificè, ex indubitatis notionibus & principijs (ut in frōtiſpicio libri ſui falciſsimè pollicitus eſt) conficientē. Superiùs nánque circa interrogatorium quintum uoluit ſimpliciter & abſolutè, Paulū ibidem ponere Epiſcopi definitionem, hic autē fatetur eū Epiſcopi ac reliquorum Eccleſiæ miniſtrorum conditiones recēſere, quales nimirū eſſe debeant, ſecundùm idipſum nimirum, quod quilibet eorum eſt ac dicitur, & non per accidens, ut meritò definitiones quędā eſſe cenſeri-

poſsint,

possint, ut quibus ex ijs quæ ibi continẽtur, quid desit, secundũ hoc & malus iudicetur minister. Possunt autẽ & tot & talia esse, quæ in ipso desiderentur, ut ne minister quidẽ sit censendus, ut in cultri exemplo superiùs patuit. Sed ad hoc quoq; superiùs responsum est.

Quæ deinde adfert ex Paulo 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei, hic iã quæritur inter dispẽsatores, ut fidelis quis inueniatur. Et quæ habet in 1. Timoth. 4. hæc proponẽs fratribus, bonus eris minister Christi Iesu, enutritus uerbis fidei, & bonæ doctrinæ quã assecutus es, & cætera quæ ibidem sequuntur, ad finem epistolæ usq;, sed & quæ præcesserũt nihilominus, & quæ habet in posteriore ad eundẽ & etiam ad Titũ, omnia hæc eò spectant, ut quid in bono ministro Christi requiratur, & qualis esse debeat ostendat. Eòdẽ spectant uerba Christi apud Matthæum & Lucam docentis, quod sit ueri & fidelis ac prudẽtis serui, & dispensatoris, cui meritò id nomen tribuitur, officium, ut det suæ fidei commissis, oportuno tempore, conuenientẽ cibi mensuram. Item ea quæ citat ex epistola. 1. Clementis ad Iacobum fratrem Domini. Si enim salubriter suam ipsorum salutem, & subditorum suorũ utilitatem ministrare uolunt, necesse est eos eiuscemodi conditionibus esse præditos, cum tamen

Matt. 24. Luc. 21.

men nihilominus uerum conferant Sacramentum, etiam si mali existant. Nec *ualet, quod addit* Velsius. *Quod perinde est (inquit) ac si quis diceret, nihil ad rem facere, bonús ne ac peritus quis sit medicus, an uerò malus & indoctus.* Neque *enim ideo esse medicum, quia bonus & peritus sit, sed accidere illi quod talis sit.* Quare *nihilo secius sanare ipsum posse, etiam si malus & imperitus sit'.* Certè *multum ad rem facit, bonus ac peritus quis sit medicus, an uerò malus & indoctus.* Quia *bonus & peritus sanat, malus & indoctus minimè.* Sed *non est eadem ratio medici & ministri baptismi.* Nam *medicus per semetipsum agit ut agens principale licet utatur famulo sibi subseruiente in confectione medicinæ.* Sed *minister Sacramenti, duntaxat minister est, & ministerium suum tantum adhibet, agens autem principale est ipse* Christus, *de quo dictum est, hic est qui baptizat.* Huius *spiritus intus agit.* Porro *minister Sacramenti, non alio modo operationis huius spiritus minister est, quàm quod exterius baptizat proferendo uerbũ super elementum, & perfundendo hominem aqua, ut fiat* Deo *operante sacramentum.* Habemus *ergo hîc internum agens, sed non consimili ratione, qua natura dicitur morborum medica.* Plurimum *certè adiuuat medicum, si æger bonæ comple-*

xionis

xionis sit ac naturæ talémque minori negocio sanat, quemadmodum & infirmus non bonæ complexionis, plurimum remoratur medicum.

At in Sacramenti administratione, ministri malitia(quæ est quædam ægritudo animi) nullo modo impedire potest operationem Dei *interius operantis.*

Itaque cùm minister nihil agat, nisi quod effundat aquam, proferat uerba cæterasq; externas adhibeat cæremonias ac ritus, sed Christus intus baptizet, ministri malitia nihil obesse potest. Ad illa autem quæ intus peraguntur & in oculto, ut sit baptisma(ut Petrus *ait)non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem Iesu Christi à mortuis, non alio modo cooperatur minister, quàm ut instrumentum, exteriùs Sacramentum administrando, ad quod faciẽdum, eius improbitas, malaq; animi affectio nihil impedimenti adfert.*Habet *enim uirtutem à Christo nõ à ministro sicut semen iactum in terram, æqualiter fructificat, siue bonus sit qui seminat, siue malus.*Porro *cùm superiùs dictũ sit materiam & formam & ministrum esse de substantia huius Sacramenti, falsum esse constat, quod dicit* Velsius, *ea magis ad mysterij ac sacramenti substantiam facere, quæ intus peragi & in*

occulto oportet, cum illa magis ſpectent ad baptiſmi effectum.

Non leui ergo iniuria afficit nos Velſius, aſſerens Anabaptiſtici erroris, uel præcipuã cauſam nos eſſe, Nõ enim nos, ſed Martinus Lutherus anſam miſeris Anabaptiſtis dedit. Qui ridiculo quodam libello in piæ & Fœlicis recordationis Ioannem Cochlæum Theologum inuectus, barbaris ac execrandis Anabaptiſtis, grauiſsimi erroris occaſionem præſtitit, ubi ſcripſit, paruulos prorſus non eſſe baptizandos, ſi uerum ſit, eos in baptiſmo non credere, ne illudatur maieſtatis Sacramentum & uerbum, atq; ſophiſtas in hoc docere contraria, dum negant paruulo ineſſe fidẽ, & tamen ut baptizari poſſit, exigunt ab eo fidem, Ante hæc Lutheri uerba, ſecta Anabaptiſtarum nobis erat incognita, poſt uerò ſic exorti ſunt, ut nullis queant ſupplicijs aut mortibus abſterreri.

Hæc cũ occaſione Matthiæ Vorſbach utrinq; dicta ſint, nunc ad fratris eius Laurentij Vorſbach negociũ progrediamur, de quo Velſius ita ſcribit. Hic cum (quod & Theodoritus facit) dictum Chriſti urgeret. Hoc enim corpus meum (neq; enim ut Theodoritus inquit, Dominus accepto ſymbolo dixit, hoc eſt Deitas mea, ſed hoc eſt corpus meũ) indeq; inferre, ut maximè dum panis, aut reponitur, aut circumfertur, corpus

Primo dialogo Eraniſtæ.

Chri-

Christi ibi statuatur, non esse tamen adorandũ, quod ipse Christus. Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Isti scelerati Sophistæ usi apud hominem fraudum istarum & captionum inscium sophistica ratione, qua ducerent eum ad id, ut falsi quid aut improbabile dicere uideretur, ipsi tale quid impingunt, quasi in ea esset hæresi, quæ duas Christi naturas, in una hypostasi coniunctas, diuelleret ac distraheret, in qua minimè ipsum esse opinione credo. Cæterum Hæreticus aliquis nõ ex eo, quod sermone ac disputatione illaqueatur, est censendus, aut ex sermonis & disserendi imperitia, sed ex eo quod malè sentiat, & perniciosum errorem, qui cum uerbo Dei & ueritate pugnet, animo conceperit. Hactenus Velsius. *Non sumus (ut Sophista Velsius calumniatur) usi apud hunc hominem (quẽ Velsius dicit fraudum & captionum istarum inscium, quum tamen sibi tàm sapiens & doctus uideatur, ut in sacrarum literarum peritia & intelligentia neminem sibi æqualem existimet) sophistica ratione, quà duceremus eum ad id, ut falsi quid aut improbabile dicere uideretur, sed ex ꝓprij oris eius confeßione, & ex supplici libello eius quẽ Senatui porrexit, cognouimus eũ ut falsi q̃d aut imꝓbabile nõ solũ uideretur, sed reuera diceret. Vnde rectißimè uerißimeq; illi* Matth. 4.

impingim⁹, quòd ſit ea hæreſi, quæ duas Chriſti naturas, in una hypoſtaſi coniunctas diuellit ac diſtrahit, eò quòd in hoc Euchariſtiæ *Sacramẽto (quemadmodum ex ijs quæ ſuperiùs dicta ſunt, liquet) duntaxat credat corpus Chriſti eſſe, abſque diuinitate, atque hoc pacto uerum* CHRISTI *corpus, & ſanguinem, ab eius diuinitate ſeparet ac diuidat, quod tamen eſt impoßibile. In quo reuera ſentire comprobatur, cum* Neſtorio *damnatæ memoriæ* Hæretico, *qui etiam in hoc Sacramento, negabat diuinitatem hypoſtatica unione eſſe præſentem: Differt tamen nihilominus ab eodem in hoc, quia licet uterq; neget diuinitatem in Chriſti perſona humanitati hypoſtaticè coniunctam adeſſe in* Sacramento *admittunt tamen ibi adeſſe diuinitatem, ſed diuerſimodè. Quia* Neſtorius, *Chriſtum tantum hominem affirmauit, negando eum eſſe* Deum, Dei *præſentiam in eo aſſeruit, tanquam humanitati Chriſti inhabitantem. Vnde eum deiferum appellabat, quod* Deus *in eo ſpeciali quadam prærogatiua habitaret. Et, quia nihil ſublimius de Chriſto credere uoluit, non aliter quoq; confiteri potuit eũ eſſe præſentẽ in diuiniſſimo* Euchariſtiæ *Sacramẽto.* Laurentius *autẽ, licet credat Chriſtũ eſſe uerũ* Deum *& hominem, tñ in hoc ſacramento, diuinitatẽ ita ſeparat ab humanitate, ut aſſerat*

Neſtorius

ibi

ibi non adesse totũ Christum, nec pſonaliter ibi Deum existere. Admittere tamen uidetur ibi præsentem esse diuinitatem, non quidẽ humanitati hypostaticè coniunctã, sed quemadmodũ est in omnibus rebus. Nã quum urgeretur ab inquisitoribus, ad reddendã fidei suæ rationem, & ad respondendũ interrogatorijs sibi propositis, in responsione ad octauum Articulum adiecit etiã hæc. Se credere diuinitatẽ esse in hoc sacramento, eò quòd Deus sit in omnibus rebus, sed se non credere, ꝙ sit personaliter Deus, uel totus Christus. Ex qua responsione, quid aliud quæso colligas, q̃ ꝙ non alio modo Deus sit in hoc sacramento, quàm est in omnibus rebus, p essentiã, potentiam, & præsentiam, & non sit ibi personaliter Deus uel totus Christus? Sed quum iam superiùs, euidenter demonstratum sit in diuinißimo Eucharistiæ sacramento, uerum & uiuificũ corpus & sanguinẽ Christi existere, & declaratũ sufficienter sit, quomodo coniunctio diuinitatis & humanitatis in pſona Christi semel facta, sit inseparabilis & ppetua, demiror quid illi uenerit in mentẽ, ut quũ extra sacramẽtum credat Christum esse uerum Deũ & hominẽ & utrãq; naturam in Christo hypostatica unione coniunctam, sub speciebus autẽ sacramentalibus, asseerat esse duntaxat nudum corpus quod non habeat sibi coniunctam diuinitatem.

Sed non sic impie non sic, ubicunq; est corp⁹ Christi, ibi necessariò hypostaticè est ei coniuncta diuinitas. Vbicunq; est caro Christi, ibi diuinitas propter unionē. Vbicunq; est Christ⁹, est totus. Totus cœlo, & totus in altari, simul sedet ad dexterā patris, & manet sub specie Sacramēti, ut ait Innocentius 3. Miraris (inquit) *quod uerbū* Dei *iuxta sacramēti uirtutē, totum simul in diuersis locis existit, & non miraris quod uerbum hominis, iuxta uocis naturam, totum est simul in auribus diuersorū? Quid quæris naturam in Christi corpore, quum præter naturam sit ipse natus de uirgine?* Totus pro*inde Christus est in hoc sacramēto, uerus* Deus, *& uerus hmo, uerus fili⁹* Dei, *cui cœlestis & æternus pater testimoniū perhibuit dicēs.* Hic *est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Pater *de cœlis* Deus *uoluit audiri filium suum.. Sed ille priusquam pateretur in cœna nouissima accipiens panem, benedixit, fregit, & dedit discipulis suis dicēs, hoc est corpus meū, quod pro uobis tradetur, & calicē similiter dicens, hic est sanguis meus, q pro uobis effundetur.* Hic *filius* Dei *Christus* Iesus, *dixit esse corpus suum & sanguinem quem tradebat illis, & quare non audis eū? quare non credis dicenti?* Hoc *ipsum siquidem corpus, quod paulò post crucifixum est clauis perforatum, tradidit*

Lib 4. myst missæ cap. 27.

Matt 3. & 17.

eis ad comedendum, & hunc ipsum sanguinem, quē in paßione & cruce effudit abūdè, dedit eis ad bibendū. At quū Christus hæc loqueretur & daret discipulis suis, nōne tot⁹ erat Christus? nōne erat Deus uer⁹, & uerus homo? Et quū pēderet in cruce, & iā corpus (quod antea sub specie panis dederat discipulis suis) traditū esset, et iā sanguis (quē paulò ante sub specie uini eisdē discipulis suis porrexerat ad bibēdū) effunderetur, ac largitur è cauernis maceriæ, hoc est, ex uulneribus sacramētißimi illi⁹ corporis efflueret, nunqd diuinitas à corpore eius fuit separata? Absit. Nunqd desiit esse Deus? Haud quaq̄. Sed pmansit uerus Deus & homo, & diuinitas corpori eius inseparabiliter ac indiuisibiliter cōiuncta permāsit. Sed tale corpus, quale tūc habuit, quū pēderet in cruce, tradiderat discipulis in ultima Cœna (dixerat enim, hoc est corpus meum quod pro uobis tradetur, &c.) & cū hoc corpus quod pependit in cruce, habuerit cōiunctā sibi hypostatica unione diuinitatē, et nō fuerit aliud corpus, quod acceperunt Apostoli in Cœna, ab illo corpore quod pependit in cruce, necessariò consequitur, Apostolos in Cœna accepisse & sumpsisse Domini corpus, quod habebat sibi coniunctam diuinitatem, & consequenter totum Christum, & personaliter Deum qua acceperunt Christū, & cuius persona, diuina & hu-

mana natura tā indissolubili uinculo. coierunt, ut nunq̄ poßint abinuicē separari. Et quū post Christi resurrectionē ad immortalē uitā (Christus enim resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur) discipuli
Rom. 6. aliiq; Christiani usq; in hodiernum diem accipiunt in Eucharistia uerum & uiuificum corpus Christi, tale sumūt corpus, quale nunc habet, nimirū immortale & gloriosum. At quū à corpore Christi glorioso nō sit diuisa deitas, nō sit separata diuinitas, confiteri oportet quēlibet Catholicum Christianū, in Eucharistia sumi uerū & uiuificum corpus Christi, quod sibi hypostaticè habeat cōiunctam diuinitatē. Et certè quēadmodū antè à nobis dictū est, propter hāc duarū naturarum in una psona unionē, promiscuè dicuntur quæ Dei sunt de homine, & quæ hominis sunt, de Deo. Quare rectè S. Petrus quū con
Math. 16. fessus esset Christū dicēs. Tu es Christus, filius Dei uiui, ab eodē laudatus est, & confeßio eius approbata q, eam haberet non à semetipso, sed p reuelationē patris. Petrus cōfitetur Christū adhuc mortalē, esse filium Dei uiui, & tu eum iam immortalē in Sacramēto Eucharistiæ uerè præ
Luc 1. sentē, filium Dei negas? Sācta illa Elizabeth, dū uisitaretur à Maria uirgine, habēte iā in utero Iesum, exclamauit uoce magna, dicens. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus uē

tris

tris tui. Et *unde hoc mihi, ut ueniat mater* Domi*ni mei ad me?* Elizabet *Christū latentē adhuc in uirgine, uocat* Dominū *suū & tu eundē sub spe ciebus Sacramentalibus in* Eucharistia *delitescē tem,* Dominum *suū cōfiteri recusas.* Diuinus *ille* Dionysius Areopagyta *sancti* Pauli *discipulus* Eccles. *Hierarchiæ c.3. appellat* Eucharistiæ *Sacramentum augustißimum & diuinum, communionem diuinam diuinum penitus & sanctū, mysterium, diuinū synaxeos uenerandumq́; mysterium diuina munera sacrosancta & ueneranda mysteria diuinum panem, uenerabilia signa, per quæ* Christus *signatur & sumitur, hostiam salutarem, uenerandißima mysteria,* Sanctißimus *martyr* Ignatius *sanctißimi* Ioannis Euangelistæ & Apostoli *discipulus, in* Epist. *11. quæ est ad* Romanos, *appellat panem* Dei, *panem cœlestem, panem uitæ.* Panem *(inquit)* Dei *uolo, panem cœlestem, panem uitæ, qui est caro* Iesu Christi *filij* Dei *uiui, qui natus est in nouißimo ex semine* Dauid *et* Abrahæ, *& potum uolo sanguinem eius, qui est dilectio incorruptibilis, & uita æterna.* Et *epist.* 10 *quæ est ad* Ephesios, *dicit per accesßionem ad* Eucharistiam *expelli potestates* Sathanæ, *& panem* Eucharistiæ *esse medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi, sed uiuendi per* Iesum Christum *in* Deo
Iustinus martyr Apologia 2. *ad* Antonium

per orationem (inquit) illius uerbi, consecratũ hoc alimentũ (quo sanguis & carnes nostræ per immutationem enutriuntur) eiusdem incarnati Iesu *& carnem & sanguinem esse sumus edocti. Si ipsius incarnati* Iesu *caro est & sanguis. & à carne diuinitas non potest separari, necesse est sequi, ibidem adesse carnem* Christi *diuinitati coniunctam.* Irenæus *libro quarto capite quinquagesimoquarto* Christum *in* Eu*charistia, appellat fabricatoris mundi filium dicens.* Quomodo *constabit eis eum panem in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse domini sui & calicem sanguinis eius, si nõ ipsum fabricatoris mũdi filiũ dicant? id est, uerbum eius per quod lignũ fructificat, fluunt fontes, dat primum quidẽ fœnum, post deinde spicã, deinde plenum triticũ in spica.* Ecce *appellat corpus* Domini *sui ipsum filiũ fabricatoris mundi et uerbũ eius per quod lignum fructificat, uerbum utiq; erat in princi-*
Ioan 1. *pio & erat apud* Deũ, *&* Deus *erat. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Quod *uerbũ caro factũ est et habitauit in nobis & cũ relinquere uellet mũdũ & remeare ad patrem suũ per paßionẽ & mortẽ suã, reliquit semetipsum nobis præsentẽ in uenerabili* Eucha*ristiæ sacramento, quẽadmodũ sancta* Catholica *canit* Ecclesia *dicẽs.* Verbũ *supernũ prodiẽs, nec patris linquẽs dexterã, ad op⁹ suũ exiẽs uenit ad uitæ*

uitæ uesperã. In mortẽ à discipulo, suis tradẽdus æmulis pri⁹ in uitæ ferculo, se tradidit discipulis

Cyprianus *in sermone de cœna* Domini, *dicit panem & calicem, benedictione solenni consecratũ, ad totius hominis uitã salutemq́; proficere simulq́; medicamentũ, holocaustũ ad sanãdas, infirmitates, et purgandas iniquitates existere.* Et *li.* 1 *epist.* 2. *Cũ ad hoc(inqt) fiat* Eucharistia *ut posit accipiẽtibus esse tutela, quos tutos esse cõtra aduersariũ uolumus, munimẽto dominicæ saturitatis armamus.* Et *iterũ idoneus nõ popotest esse ad martyrium, qui ab* Ecclesia *nõ armatur ad prælium, & mẽs difficit quã nõ recepta* Eucharistia, *erigit & accendit.* Vbi *Euchariſtiã dicit accipiẽtibus esse tutelã & eosdẽ erigere & accẽdere.* Origenes *in leuiticum homil.* 9. *sanguinẽ uerbi nuncupat dicens. Si tu qui ad Christũ uenisti* Pontificẽ *uerũ, qui sanguine suo* Deũ *tibi propitiũ fecit, & reconciliauit te patri, non hæreas in sanguine carnis. sed disce potius sanguinẽ uerbi, & audi ipsum tibi dicentẽ, q́a hic sanguis meus est, qui pro uobis effundetur in remissionẽ peccatorũ nouit qui mysterijs imbutus est, & sanguinem uerbi* Dei. Et *homilia.* 13 *appellat sancta sanctorum.* Idem *facit* Isichius Leuit. *lib.* 6 *cap.* 22.

Iterũ Orige *hom.* 6. *in diuersos* Euãgelij *locos appellat cibũ sanctum incorruptũ epulũ, panẽ*

uitæ dicens. Quando sanctū cibum illudq; incor ruptū accipis epulū, quādo uitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc centurionem & dicito. Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum. Ecce his audis Dominum Iesum Christum ad te ingredi, quando sumis corpus & sanguinem Domini, ubi autem Dominus Iesus Christus ingredi tur, nunquid foras relinquit diuinitatem suam, nudum suum corpus introducens? Absit. Sed ingreditur ipse Dominus Deus & homo. Ambrosius in lib. de exitu fratris sui Satyri, appel lat diuinum fidelium Sacramentum. Et in lib. de benedict. Patriarcharum cap. 9. citans illa uer ba saluatoris Ioan, 6. hic est panis qui de cœlo descendit, ut si quis ex eo manducauerit, nō moriatur. Ne quis putaret (inquit) quia de hac mor te dicit, quæ per animæ & corporis secessionē uenit & iure dubitet, cùm sciat sanctos Apostolos hac morte esse defunctos, addidit. Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi, quis manducauerit ex hoc, uiuet inæternum, hoc est, non de temporali uita dixi suprà, nec de morte istius uitæ, qua etiam si quis mortuus fuerit, tamen si panem meum acceperit uiuet in æternum. Ille enim accipit, qui seipsum probat, qui autē

acci-

accipit, non moritur peccatoris morte, quia panis hic, remißio peccatorum est. Hic audis hunc *panem, esse remißionem peccatorum*. Et in 11. *cap. prioris epist. ad Corinth.* Eucharistiam di*cit esse medicinam spiritualem, quæ cum reuerentia degustata, purificet sibi douotum.* Et *paulò inferiùs dicit nos calicem sanguinis, ad tuitionem corporis & animæ nostræ percipere.* Chrysostomus homil, 45. in 6. ca. Ioan. Ab illa *(inquit) mensa tãquam leones ignem spirantes, surgamus, diabolo formidolosi.* Et iterum de *sanguine Christi loquens.* Hic *sanguis (inqt) facit, ut imago in nobis regia floreat, hic sanguis pulchritudinem atq; nobilitatem animæ, quam semper irrigat & nutrit, languescere non sinit, & animam nostram, ui quadam magna imbuit. hic mystic⁹ sanguis, dæmones procul pellit,* An*gelos, &* Angelorum Dominum *ad nos allicit.* Dæmones *enim cùm dominicum sanguinem in nobis uident, in fugam uertuntur,* Angeli *autẽ procurrunt, hic sanguis effusus, uniuersum abluit orbem terrarum.* Hic *nostrarum animarum salus est, hoc lauatur anima, hoc ornatur, hoc incenditur.* Hic *igne clariorem nostrã mentem reddit, & auro splendidiorem, huius sanguinis effusio, cœlum peruium fecit.* Admiranda *sanè* Ecclesiæ *mysteria, admirabile sacrarium.* Ex *paradiso fons scaturit, à quo sensibiles fluuij ema=*

emanarent. A mensa hac prodijt fons, qui p flu-uios spirituales diffundit. Si quis æstuat, ad hũc fontẽ se conferat & recreabitur. Mundat *squa-lorem & sordes, æstus mitigat, non solares, sed quos ignitæ sagittæ imprimunt &c.* Hilarius *in* Psal. 64. *circa illa uerba.* Parasti *cibum illorũ quoniam ita est præparatio eius.* Habemus *etiã (inquit) cibum paratum.* Et *quis hic cibus est? Ille sed à quo ad* Dei *cõsortium præparamur, per communionem sancti corporis, in communionem deinceps sancti corporis collocãdi.* Id *enim præsens psalmus significat dicens.* Parasti *cibũ illorum &c.* Quia *cibo illo quãuis in præsens saluemur, tamen in posterum præparamur.* Ecce *hîc audis per sumptionẽ cibi huius te ad* Dei *consortiũ præparari &c.* Augustinus *in serm. dom. primæ* Aduent. In *Christi corpore (inqt) uita nostra consistit, sicut ipse dixit.* Nisi *mãdu caueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis.* Sãctus Ephraem *in lib. quem scripsit contra eos, qui filij* Dei *naturã scrutari uolunt cap. 5 participa (inquit) immaculato corpore* Domini *tui, fide plenissima, certus quod agnũ ipsum integrè cõmedis.* Ignis *immortalis sunt mysteria Christi.* Et *iterũ.* Hoc *sanè excedit oẽm admirationẽ, omnẽ mentẽ, omnemq; sermonem, quod fecit nobis unigenitus filius Christus saluator noster.* Ignẽ

&

& spiritũ mãducandũ ac bibendũ præstitit nobis carne uestitis corp⁹, scilicet ac sanguinẽ suũ. Vbi audis te agnũ ipsũ (p quẽ Christũ intelligit. quẽ Ioãnes baptista prædicauit ac demõstrauit agnũ esse tollentẽ peccata mundi) integrè comedere, ut intelligas totũ Christũ suũ in hoc sacramẽto. Ibidẽ quoq; sanctus uir, appellat sancta reuerẽda, arcana sacratissimaq; mysteria, quæ quũ nõ capiat, nõ audet attingere, neq; si uoluerit, de his procaciter loq. Greg. Nissen⁹ in 2. parte panopliæ Euthymij, titulo. 21. appellat corpus dñi, diuinum corpus, & medicamentum, quod morte præstantius, & salutis nostræ causa est.

Quæ sanè nõ posset præstare caro Christi, nisi esset caro uerbi. Nã (ut dicit Theophilactus) ipsius caro est purgatiua, & uitã tribuẽs, sicut existẽs uerbi Dei caro. Gregori⁹ Emissenus uocat Eucharistiã sacrum Dei corpus dicens. Quũ re uerendũ altare, cibis satiãdus ascẽdis, sacrũ Dei tui corpus & sanguinẽ, fide respice, &c. Cyrillus in Ioannẽ. Dedit (inqt) pro uita omniũ suum corpus Dñs, & p illud rursus uitã in nobis immittit. Nã quum uiuificans Dei filius in carne habitauerit, ad suum bonum eam, id est, ad uitã reformauit, & totus (ut ita dicã) toti, ineffabili modo unionis cõiunctus, uiuificantẽ ipsam efficit, quia natura uiuificans est, propterea participãtes hæc caro uiuificat. Eijcit enim mortẽ ab eis,

Lib. 4. ca. 12.

eis, & meritum penitus expellit. Et *post aliquã ta.* Patet *(inquit) præparatam sanctis glorissimam uitam, sic à saluatore appellatam fuisse, ad quam per participationem uiuificantis car-*
Cap. 14. *nis certè perueniemus.* Et *iterum.* Non *possunt (inquit) cũ sanctificatione, beatæ uitæ fieri participes, qui per mysticam benedictionem* Iesum *non susceperunt.* Vita *enim secundùm naturam ille est, qui ex uiuo patre genitus est, sed nõ minùs corpus quoq; suum uiuificat.* Coniunctum *enim ineffabiliter est filio* Dei, *à quo uniuersa uiuificãtur.* Idcircò *corpus suũ dicitur, & unus cum eo est.* Nempe *post incarnationẽ unus est, & unus manet absq; diuisione ulla, præterquam quod* Dei *patris uerbum, & templum à uirgine sumptum, idem natura non sunt.* Non *enim est eiusdem substantiæ uerbo* Dei *homo assumptus, unus tamen cum illo est coniunctione ineffabili.* Quoniam *igitur saluatoris caro, uerbo* Dei*(quod naturaliter uita est) coniuncta, uiuifica effecta est, quando eam comedimus. tunc uitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ uita effecta est.* Hac *de causa in exuscitandis mortuis, non solummodo uerbo atq; imperio ut* Deus *utebatur, uerumetiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat, ut reipsa ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, uiuificam esse, atque fideles do-*

ceret suum, non alterius corpus esse Nā quando Synagogæ principis filiolam suscitabat, manum eius appræhendit, ut scribitur, & erexit dicens, puella surge ita ut deus & uerbo & carnis suæ tactu eam excitauit, unā ab uno se Christo, Deo uidelicet atq; homine operationem producens. Quando etiam in ciuitatem. Nam uocatā ingrediebatur, & efferebatur unigenitus matris filius iam mortuus, tetigit corpus eius dicens, Adolescens tibi dico surge. Non ergo uerbo solo semper (ut diximus) uerumetiam tactu mortuos excitabat, ut ostēderet corpus quoq; suū uiuificare posse. Quod si solo tactu suo corrupta redintegrātur, quomodo nō uiuemus, qui carnē illā & gustamus & mādücamus? Reformabit enim omnino ad immortalitatē suā participes sui et c. Et *in lib. de recta fide ad Theodosiū.* Dico (*inqt*) *quod lubricū sit & piculosum secare in duos, & seorsim cōstituere hominē & uerbū, quū dispēsatio. hoc non ferat, & diuina scriptura unū Christū clamet. Dico enim ego, neq; uerbū Dei absq; humanitate neq; etiā tēplum natū ex muliere nō unitū uerbo, Christū Iesum nominari. Nā humanitate secundū unionē dispensatiuā ineffabiliter cōiunctū Dei uerbū, Christus intelligitur, maxime quidē ultra humanitatē existēs quod natura Deus et Dei filius nō contempserit etiā propter homines in humilitate fieri, hæc ille. Cum itaque*

Math. 9.

Luc. 7.

corpus Christi sit in Eucharistia, et Christ⁹ ubique totus est, corpus habẽs diuinitati coniũctũ, necesse est eum in Eucharistia esse totum secundum utramq; naturam præsentem.

Porro uides q̃ sublimiter de isto sacrosancto Eucharistiæ sacramento patres sint loquuti. Quod utiq; nõ fecißẽt, si corp⁹ Christi absq; diuinitate ibidẽ præsens esse credidißẽt. Sed quoniã ueram & uiuificam, ac uiuificantẽ Christi carnẽ, diuinitati illi⁹ indiuisibiliter cõiunctã, reipsa præsentẽ esse cognouerũt & crediderũt, idcirco tã magnificè de Eucharistia sunt loquuti. Edocti enim uerbis Christi dicẽtis. Hoc est corpus meũ. Et hic est sanguis meus, tan q̃ discipuli dociles & creduli, fidẽ adhibẽt uerbis illius. Et uide q̃ magna et sublimia ipse Christ⁹ de hoc diuino Eucharistiæ pane loquatur. Pater (inq̃t) me⁹, dat uobis panem de cœlo uerum. Panis enim uerus est, qui qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo. Item. Ego sum panis uitæ. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi. Si quis mãducauerit ex hoc pane, uiuet in æternũ. Et panis quẽ ego dabo, caro mea est, pro mundi uita. Amẽ amen dico uobis, nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ, non habebitis uitã in uobis. Qui mãducat meã carnẽ, & bibit meũ sanguinẽ, habet uitã æter-

Ioan. 6.

æternã, & ego resuscitabo eũ in nouißimo die. Caro enim mea uerè est cibus,& sanguis meˀ uerè est potus. Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinẽ,in me manet et ego in illo. Et q̃ mãducat me,ipse uiuet propter me. Hic est panis q̃ de cœlo descendit. Qui manducat hunc panẽ,uiuet in æternũ. Ecce audis panẽ uitæ,qui dat uitã mundo,quõ q̃ eũ comederit,maneat in Christo,& Christus in illo,& q̃ nõ moriatur,sed uiuat in æternum,habẽdo uitã æternã,& q̃ resuscitabitur in nouißimo die. Quæ omnia nõ posset præstare sola caro absq; diuinitate sumpta, sed cùm sit caro uerbi,& filio Dei ineffabiliter coniuncta,hæc omnia operatur. Itẽ hic panis de cœlo descẽdit,sed de cœlis nõ descẽdit nisi filiˀ Dei, uerbũ patris,quod erat in principio apud Deũ, et Deus erat,sed caro factũ est et habitauit in nobis. Ioan 1. Porro quũ hic panis qui de cœlo descendit, nõ edatur,nisi in Eucharistiæ Sacramẽto,cõstat in Eucharistia sumi filiũ dei,q̃ de cœlo descẽdit, & incarnatˀ est,et in Eucharistia semetipsũ in cibũ & potũ sumẽdũ fidelibˀ dereliq̃t. Rectißimè ergo S. Aug. lib. 1. de pecca. mer. et remißiõe scribit. Optimè Punici Christiani, baptismũ ipsũ nihil aliud q̃ salutẽ,et sacramẽtũ corporis Christi, nihil aliud q̃ uitã uocant. Vnde nisi ex antiq̃ (ut existimo) et Apostolica traditiõe q̃ Ecclesiæ Christi insitũ tenẽt,præter baptismũ,et participatio

nẽ dominicæ mensæ, non solùm non ad regnum Dei, sed nec ad salutem & uitam æternam, posse quenquam hominum peruenire? Quod deinceps scripturis sacris demonstrat, primò de baptismi salute, & ad comprobandam Eucharistiæ uitam easdem adfert partim, quas ex 6. ca. Ioannis, paulò antè citauimus. Porro quũ perspicuum sit uerum & uiuificum corpus Christi ipsi diuinitati hypostaticè coniunctum, in adorando Eucharistiæ sacramento reuera præsens adesse & sumi, constat totum Christum personaliter Deum, ibi esse & sumi, cui omnis debeatur reuerentia, cui soli debetur adoratio, unà cum patre & spiritu sancto. Sed tempus est, ut ad argumenta eius respondeamus.

Pro quorum solutione, primò declarandum erit, quomodo Deus sit in omnibus rebus, quo cognito, absque ullo negocio refutabuntur illius argumenta. Nam ipse (uti diximus) non aliã diuinitatis præsentiam, uel coniunctionem tribuit corpori Christi in Eucharistia, quàm alijs creaturis. Sciendum est itaque quòd Deus est in omnibus rebus, tribuens eis esse, & uirtutem & operationem, quod est in omnibus per potentiam, in quãtum omnia eius potestati subduntur, & per præsentiam, in quantum omnia nuda & Heb. 4. *aperta sunt oculis eius, ut S. Paulus ait. Et denique per essentiam, in quantum adest omnibus ut*

causa

causa essendi, non quòd ipse sit de natura uel essentia rerũ creatarũ (non enim est in eis ut pars naturæ, uel essentiæ, neq; sicut accidens aliquod est in subiecto) sed quemadmodum agens adest ei in quod agit. Quemadmodum enim omne agens coniungitur ei, in quod absq; medio agit, & sua uirtute illud contingit, sic Deus *adest omnibus creaturis, quibus naturam largitur, & sua uirtute conseruat, ne ad nihilum redigantur.* Est *quoq;* Deus *ubiq;, hoc est, in omni loco, quia omnem locum replet, non quidem sicut corpora (quæ dicuntur replere locum, quia nõ compatiuntur secum alia corpora, in uno & eodem loco) sed quia in omnibus locis est per uirtutem siue potẽtiam suam.* Vnde *p hoc quod* Deus *est in loco, non repugnat alias quoque creaturas ibidem esse.* Incorporalia *siquidem & spiritualia, non sunt in loco contactu quantitatis dimensiuæ, quemadmodum corpora, sed contactu uirtutis.* Deus *ergo est in omni loco, quia in quolibet loco est, non secundùm partem sed secundùm seipsum.* Propter *hos itaque modos præsentiæ* Dei, *in omnibus reb⁹, dixit* S. Pau*lus* Atheniensibus. Deus *non longè est ab unoquoque nostrûm.* In *ipso enim uiuimus, mouemur, & sumus, sicut & quidam uestrorum poëtarum dixerunt.* Ipsius *enim & genus sumus.* I*pse quoq; dat omnibus uitam, inspirationem &* Act.17.

oĩa. Et Dñs p Hieremiam. Nũquid nõ cœlum et
Hier 23. terrã, ego impleo dicit Dñs? Et p sapientẽ quen
Sap. 8. dã de æterna sapientia dicitur. Attingit à fine,
usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suaui-
Sap. 1. ter. Et iterum. Spiritus Dñi repleuit orbem ter
rarum, & hoc quod cõtinet oĩa scientiam habet
Psal. 138. uocis. Et Psalmista ad Dominum. Quo ibo (inqt)
à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiã? Si ascẽde-
ro in cœlum tu illic es, si descẽdero ad infernum
ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & ha-
bitauero in extremis maris. Etenim illic manus
tua deducet me, & tenebit, me dextera tua. Vbi
Epist. 47. ad Dardanum. S. Augustinus. Quia substantialiter (inquit)
Deus est ubique diffusus. Sed sic est per cuncta
diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substan-
tia creatrix mundi, sine labore regens, & si-
ne onere continens mundum. Non tamen per
spacia locorum quasi mole diffusa, ita ut in di-
midio corpore mundi sit dimidius, & in alio
dimidio dimidius, atque ita per totum totus,
sed in solo cœlo totus, & in sola terra totus,
& in cœlo & in terra totus solus, & nullo con-
tentus loco, sed in ipso ubique totus. Ita pa-
ter, ita filius, ita spiritus sanctus, ita Trinitas
unus Deus. Hæc ille. Itaque non ignoramus,
Deum uel diuinitatem, modo iam exposito, es-
se in omnibus rebus, & ubique esse præsentem,
sed falsissimum esse dicimus, hoc modo dunta-
xat es-

xat esse præsentem, in sacratißimo Euchristiæ *Sacramento, ubi totus adest* Christus, *perfe-ctus* Deus, *& perfectus homo*. Perfectus *homo, quia cum tota humana natura, uidelicet, corpore anima, intellectu uel mente*. Perfectus *enim homo non esset, si uel anima carni, uel ipsi animæ mens humana deesset*. Perfectus Deus *quia est uerbum, quod erat in principio, & erat apud* Deum *&* DEVS *erat uerbum*. Et *uerbum caro factum est, in sacratißimo uidelicet utero intemeratæ uirginis* Mariæ, *in quo filius* Dei *assumpsit humanam naturam, nexu indissolubili ac fœdere sempiterno, ita ut neque per mortem Christi, facta sit ulla separatio uel diuisio diuinitatis uel à corpore uel ab anima, quemadmodum superiùs dictum est*. Quod *autem totus Christus reipsa substantialiter & essentialiter præsens sit in hoc sacramento arbitramur quoque sufficienter probatum esse in præcedentibus. Sed agé uideamus, quàm absurda sit hæc positio, & responde mihi Laurenti, qui tàm execrabilem & pestiferam hæresim, niteris defendere. Si* Deus *uel diuinitas est duntaxat in hoc Sacramento quemadmodum est in omnibus aliis rebus & locis in quo differet hoc Sacramentum ab aliis rebus, aut potiùs in quo excellit alias res omnes? Quid*

eminentiæ, dignitatis, aut prærogatiuæ conceditur illi super alias res, in quibus Deus est? Si nihil excellentiæ dignitatisq; obtinet præ alijs rebus, cur Christus priusquã institueret, se institurũ ac daturũ promisit, tanq̃ rem singularẽ prius inauditam, ad quam (qui non intelligebant
Ioan. 6
mysterium) scãdalizati sunt, & abierunt retro? Cur tanta diligentia præmissis & exhortationibus & præparatorijs (nã prius typicum agnum comederat, & Apostolorum pedes lauerat, & multa præloquutus fuerat) sacramentũ hoc instituit, & sumendum dedit? Cur iussit ut facerent in sui cõmemorationẽ? Cur uoluit celebrari usq; ad finem mundi. Cur Paulus docet probationẽ suijpsius esse præmittendã, & post exactã ac diligentẽ examinationẽ sumẽdum esse? Cur dicit eos qui indignè manducant, iudicium, id est, dãnationem manducare, quia nõ dijudicant aut discernũt corpus Dñi, ab alijs cibis cõmunibus? Sed dices. Ego multũ excellere credo hoc Sacramẽtum alias creaturas. Audio quidẽ, sed attende quid dicas. Quod enim dicis, non est uerum. Nõ enim corpori Christi in hoc sacramẽto, aliã tribuis præsentiam diuinitatis, quàm qua alijs adest rebus. Et quid quæso aliud est corpus Christi, seclusa diuinitate ac substãtia uerbi, q̃ nudũ corpus? Et in quo differt ab alijs corporibus? Est quidem formatũ uirtute spiritus sancti, in utero glo-

gloriosissimæ uirginis Mariæ, sed tamē si illi diuinitatē demas, quid habet aliud præter naturā corporum humanorum? Nā quicquid gratiarū et prærogatiuarū homo ille habuit, ratione uerbi æterni) à quo assumptus est in unitatē psonæ habuit. Quod si dixeris, Deum in homine esse p gratiā, & homines pios inhabitare. Nā Paulus dicit. Nescitis quia tēplum Dei estis, & spiritus Rom. 8. *Dei habitat in uobis. Vnde ecōtrariò de quibusdā idem dicit. Quisquis autem spiritum Christi non habet, hic nō est eius, respōdeo hoc nihil facere contra me. Nā iste modus præsentiæ diuinæ non cōprehenditur sub cōmuni illa ac uulgari, quo omnibus adest, sed est peculiaris siue singularis, quo solū adest iustus ac pijs hominibus.*

His præmissis argumenta huius hominis excutiamus: Christus (inquit) dixit. Hoc est corpus meū, & non dixit. Hoc sum ego, ergo non est ibi totus Christus. Quid ego audio? Christus dixit, hoc est corpus meum, ergo est ibi tantummodo corpus illius, eò q non dixerit, hoc sum ego. Nō est ergo ibi diuinitas Christi. Principio quāuis argumentum ab autoritate negatiuè ridiculum sit, & nihil apud dialecticos concludat non tamen est necesse nos ad has angustias cōfugere. Vt enim donemus Christum nō dixisse, hoc sum ego, dixit tamen, hoc est corpus meum, & p hæc uerba haud obscurè indicauit seipsum. ibi esse,

esse, & uerba illa tantundē ualere, ac si dixisset hoc sum ego. Cum enim esset homo perfectus, uerū habens corp⁹ & uerā animā, & De⁹ pfect⁹ in una hypostasi subsistēs uerus Deus & uerus hō, q̄ humanā naturā nexu ppetuo in una psona cōiūxit diuinæ, semetipsum utiq; illis suis discipulis dedit ad mādu cādū totū. Dicēdo ergo hoc est corp⁹ meū nō designauit tātūmodo corp⁹ suū seclusa diuinitate, sed corp⁹ suū uiuificū aſsūptū à uerbo æterno (quod ipse erat) à quo (postq̄ aſsūptū est) nūq̄ potuit separari. Friuolū est ergo et ridiculū, quod nugatur dicēs. Christ⁹ dixit. Hoc est corpus meū, & nō dixit hoc sum ego, proinde nō est ibi totus Christ⁹ secundū utrāq; naturam. Nā in istis Christi uerbis. Hoc est corp⁹ meū, nō demōstratur corp⁹ ipsi⁹ à diuinitate seiūctū, sed indiuulsum ab ea, et in unā Christi psonā unitū. Quāuis enī ibi corp⁹ solū noīatim exprimatur, naturali tñ cōsequētia, et animā secū trahit, qua sit uiuēs, & sanguinē quo integretur, & ipsam diuinitatē, sacro corpori indiuidua societate unitam. Est enim sacrosanctū illud Christi corpus, caro uerbi uiuifica. Quare adorās sanctiſsimum illud corpus Christi in Eucharistiæ sacramento, uerè & piè Deū adorat & cōsequēter cōplet illud p̄ceptū quo dicitur Dñm Deū tuū adorabis.

Quod aūt ex Theodoreto adducit Velsius p cōprobatiōe Laurētij, nō diſsimili ratiōe diſsoluitur

uitur. Christus enim non dixit inqt ille) hoc est deitas mea, sed, hoc est corp⁹ meũ, & rursus, hic est sanguis me⁹. Nõ legitur quidẽ ita dixisse, sed tñ suæ ibidẽ deitatis præsentiam non denegauit, qn poti⁹ affirmãdo corporis sui p̃sentiã, diuinitatis quoq; suæ p̃sentiam luculẽter insinuauit cùm (quẽadmodũ sæpi⁹ dictũ est) duæ istæ naturæ diuina uidelicet & humana in Christo hypostaticè cõiũctæ, sint penit⁹ inseparabiles, ita ut ubicũq; fuerit corpus Christi, necessariò adsit eidẽ diuinitas. Deinde *authoritatẽ* Theodoreti *tantã esse negam⁹ ut illius sentẽtia ueritati catholicæ præscribere posit. Nã et cõtra Catholicos Sãcti Cyrilli anathematismos scripsit, & in Cõcilio Cõstantinopolitano quinto à patribus, impia scripta illius, quæ contra rectã fidem exposita fuerunt & contra primã sanctam Synodum Ephesinam. anathematizata sunt. Qui tamen longè melius de transsubstantiatione panis in corpus Christi, & uini in eiusdẽ sanguinẽ sentit q̃ Velsi⁹, q eãdẽ negat. Nã dialogo primo inqt. Volebat eos, q sunt diuinorũ mysteriorũ participes, nõ attẽdere naturã eorũ, quæ uidẽtur, sed propter noĩm pmutationẽ, mutationi quæ fit ex gratia credere. Et dialogo 2. affirmat post inuocationẽ sacerdotis & sanctificationẽ mystica illa symbola q̃ Deo à sacerdotib⁹ offerũtur appellari corp⁹ & sanguinem Christi, nõ panẽ & uinum.*

Deinde

Deinde, & hoc modo fuerat argumentatus Laurẽtius Vorsbach. *Christus dixit.* Hoc est cor*pus meum, quod pro uobis tradetur uel frangi*tur. Et *hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur.* Sed *diuinitas est impaßibilis, quæ tradi frangi, uel effundi, neq; quicquã pati potest.* Cùm *ergo Christus corpus suum dixerit tradendum, frangendumq;, & sanguinem suum effundendum, consequitur in* Eucharistia *corpus eius esse absq; diuinitate, & cum corpus* Deus *non sit, non erit adorandum, aut si dixeritis, corpori adesse diuinitatem, fateamini oportet, deitatem esse passam.* Hæc *est sententia argumenti eius.* Ad *quod respondentes concedimus diuinitatem esse impaßibilẽ, sed nos nequaquam dicimus in paßione & morte Christi diuinitatem aliquid esse passam.* Nam(*ut* Damascenus *inquit lib.3.c. 26. orthod, fidei) ipsum* Dei *uerbũ omnia sustinuit carne, diuina eius sola natura impaßibili perdurante.* Nã *uno Christo, ex deitate et humanitate cõposito, in deitate et humanitate existente, patiẽte, hoc quidẽ paßibile ut natum erat pati, patiebatur, at non simul patiebatur, quod erat impoßibile.* Nam *anima paßibilis existens, inciso corpore, ipsa non incisa condolet & compatitur patienti.* At *diuinitas impaßibilis existens, non compatiebatur corpori.* Et *id sciendum, quod dicimus* Deum

corpore

corpore passum, diuinitatẽ autẽ carne passam, aut Deum *per carnem passum nequaquam.* Nã *quemadmodum sole arborem superillucẽte, si se curis incidat arborem, in incisus, & impaßibilis perseuerat sol, multò magis impaßibilis uerbi diuinitas secundùm hypostasin carni copulata carne patiente impaßibilis perseuerabit*. Et *quemadmodum si quis ignito ferro superinfundat aquam, quod quidem natum est pati, ab aqua (ignis dico) extinguitur, incolume uerò manet ferrum, non natum enim est ab aqua corrumpi.* Multo *magis carne passa, sola impaßibilis, diuinitas, paßionem non admittit, inseparabilis ab ipsa permanens, hæc ille.* Itaq; *paßionem* Christi, *haudquaquam diuinitati eius attribuimus, ueruntamen quoniam unio humanæ naturæ & diuinæ, facta est in persona & hypostasi, manente tamen destinctione naturarum, ut sed sit eadẽ persona & hypostasis diuinæ & humanæ naturæ salua tamen utriúsque naturæ, proprietate, ideo hypostasi uel supposito diuinæ naturæ attribuenda est paßio, non ratione diuinæ naturæ quæ est impaßibilis, sed ratione humanæ naturæ paßibilis assumptæ à uerbo æterno.*

Neq; *igitur fatemur diuinitatem esse passam, sed filium* Dei *esse passum, non secundùm diuinã naturam, quæ erat impaßibilis, sed secundùm*

humanam

humanam. Fatemur quoq; corpus non esse Deum, sed negamus corpus eius esse absq; diuinitate. quæ à corpore Christi nunquam fuit separata. Vnde rectè quoq; illi adorationis cultũ exhibemus, non quidẽ separatum à uerbo, sed ut ipsi uerbo indiuiduè inseparabiliterq; unitum. Nam in ipsis uerbis, hoc est corpus meum, nõ demonstratur post cõsecrationem corpus à diuininitate seiunctum, sed ab ea indiuulsum, & in unã u- Christi pſonã, quemadmodum paulò antè dictũ est. Quare adorans sacrosanctum illud corp⁹ in Eucharistia, uerè & piè Deum adorat, & complet mãdatum Dñi præcipientis. Dñm Deum tuum adorabis, et illi soli seruies. Non enim ipsum nudũ Christi corpus, sed corpus cõiunctũ deitati, nõ ipsam panis substantiã, quæ post pactã cõsecrationẽ nulla penit⁹ supest, q̃a mutata uel cõuersa est, in substantiã corporis Christi, nõ ipsas species panis, quæ uidentur (illæ enim creaturæ sunt, quæ adorari nõ debent, sed ipsum uerum et uiuificũ corpus Christi, diuinitati inseparabiliter unitum, quod sub illis speciebus uerè continetur, suppliciter & Religiosè adoramus.

Vigesimoprimò, An credat ciues huius vrbis, ab hoc die vsq; in tẽpus, quo primùm fidẽ susceperunt, qui Eucharistiã cùm eleuatur, reponitur

&

& deportatur, adorant, pro idololatris habendos esse.



On habendos eos pro idololatris, iam constare ex superioribus existimo. At Velsiũ credere eos pro idololatris habẽdos esse, & ex superioribus patet, & responsio eius hoc loco comprobat, qua affirmat, non quidem omnes huius urbis ciues, sed eos tantùm, qui eiusmodi idololatriam committunt aut commiserunt, pios diuinißimæ Eucharistiæ adoratores, idololatras appellãs, & eos qui recusant adorare (si tamen eiusmodi ciues habet Colonia) quum sint uerè impij, pios existimans.

DE COMMVNIONE alteriùs speciei.

V*igesimosecundò. An credat verum corpus & sanguinem Christi, atque adeò totum Christum, sub vna qualibet specie sacramenti contineri, ideóque cuilibet homini Christiano, non sacrificanti, sub una specie communicari.*

To-


Otum Christum in hoc Sacramento contineri, superius est ostensum, hic iam quæritur, num totus Christus, sub una qualibet specie Sacramenti cõtineatur, et idcirco cuilibet homini Christiano, non sacrificanti, satis sit sub una specie communicari. Porro certißimè tenendum est, sub utraq; specie Sacramenti, totum esse Christum, licet diuersimodè. Quod ut intelligi poßit, reuocanda sunt hic in memoriam, quæ circa interrogationem decimamquartam à nobis dicta sunt. Siquidem sub specie panis, est corpus Christi, ex ui sacramenti, sanguis autem ex reali concomitantia, quemadmodum superius in loco iam citato, dictũ est, de anima & diuinitate Christi. Sub specie uerò uini, est quidem sanguis Christi, ex ui sacramenti. corpus autem eius, ex reali cõcomitantia quemadmodum superius dictum est, de anima & diuinitate Christi. Et hæc quidem scholasticorum doctorum de naturali concomitantia sententia quàm uera sit ac rationabilis, facilè perpendet, qui nouerit Christum in corpore glorificato totum & integrum regnare, omni paßione superiorem, de quo sit absurdum
Rom. 6. ullã diuisionẽ fateri. Quũ enim (ut Paulus ait) Christus iam amplius non moriatur, nunquam sanguis eius à corpore iterum separatur, sed ubi

corpus, ibi & sanguis, ibi & integer ipse Christus est. Item *sanguis Christi nunquam potestre periri, absque illius uero & integro corpore.* Vbicunq; *enim fuerit sanguis Christi, ibi quoque necesse est illius uerum & integrum corpus adesse.* Nam *Christus suum sanguinem, quem in paßione sua semel pro nobis effudit, in resurrectione sua totum resumpsit, nunquam eum iterū fusurus, quia nunquam iterum moriturus.* Vbi *est ergo Christi sanguis uerus, ibi est etiam Christi uerum corpus.* Porro *si sub specie uini, solus sanguis maneret, toties sanguinem fundi oporteret, quoties uinum consecraretur, eô quod ui consecrationis, sanguis ibidem existens à corpore separaretur.* Itaq; *ut hāc absurditatem effugiamus, credere oportet in Sacramento* Eucha*ristiæ, sub specie panis totum Christum integrè contineri, & etiam sub specie uini.* Quum *ergo hæc ita se habeant, & corpus Christi non mortuum, sed uiuum sit & animatum & sanguine uegetatum (anima enim corpus exangue minimè uegetare potest) & sanguis Christi sine corpore eius non sit, an non rectè dicunt, qui affirmant, ibi comitari sanguinem, ubicúnque fuerit uiuum Christi corpus, & ubicunq; rursus sit sanguis, ibi comitari corpus?* Non est *ergo existimandum, sub altera specie corpus tā tum, sub altera autem sanguinem dudtaxat con*

timeri, cùm sub utraq; specie corpus & sanguis, imò Christus ipse sit totus, licet ad designandum nobis corpus, species panis, & ad designandum sanguinem, uini species instituta sit. Sunt enim corpus Christi & sanguis hic ceu duo primaria signata, & utrique suum signum adhibetur. Nam species panis, corporis ipsius signum est, species autem uini, signũ & sanguinis. Continetur tamen nihilominus totus CHRISTVS, *sub qualibet specie huius Sacramenti. Cùm itaque tantùm sub una specie uenerabilis sacramenti contineatur ac porrigatur quantum sub utráque, non solum laicis, sed etiam sacerdotibus non celebrantibus, sufficit ad corporis & animæ salutem communio alterius speciei. Nam qui accipit totum Christum sub specie panis tantùm gratiæ confertur ei uirtute sacramenti quantum ei qui sub utráque specie sumit. Non enim confertur gratia in hoc Sacramento, uirtute specierum aut signorum, sed signati.*

Non enim illæ species panis & uini, quæ exterius patent, animam uiuificant, sed inhabitans uita nimirũ diuinitas, uiuificat. Itaq; quum exceptis speciebus (quæ gratiam nequaquã conferre possunt æquè totum & integrum Christum sumat, qui unam speciem sumit. Sicuti qui utrámque, nihilo plus gratiæ uirtute sacramenti acci

cipit

accipit hic quàm ille. Nihil ergo gratiæ deperit laicis, sumentibus alteram speciem tantùm. Si autem uirtus & efficatia huius sacramenti dependeret, à speciebus illis uisibilibus, & non à rebus contentis sub illarum tegmine & operimento, iusta esset quærimonia laicorum, dolentium sibi alteram speciem esse ademptam. Nunc *autem hoc non est, sed res contentæ in hoc Sacramento, gratiam largiuntur, & ita uerè & integrè subsistunt, sub alterutra illarum specierum seorsum, sicut sub utraq; simul.* Efficatia *idẽ tidem & spiritualis fructus, proueniẽs ex sumptione sanctæ* Eucharistiæ *sub una specie solum, tantus profectò est, quantus ille, qui sumenti obuenit, ex sumptione eiusdem sacramenti sub utráq; specie, modo cætera omnia, ex suscipientium deuotione & dispositione, consimiliter se habeant, cùm & hîc & illic sumatur integrè Christus, bonorum omnium author, de cuius plenitudine fidelis anima secundùm sui dispositionem largiter suscipit diuinorum charismatum munera.*

Porro *ex hoc fundamento, non ualet argumentum aduersariorum dicentiũ.* Si *propterea una pars sacramẽti laicis tolli potest, quòd sub una tantum contineatur, quantum sub utráque, eadẽ autoritate & pars baptismi, & pars pœnitentiæ tolli potest.* Non *inquam hoc sequitur.*

Nã de baptiſmo & pœnitentia, non eſt ſimile. Neutrũ enim horum duas partes habet, in quarum utraq; tota res Sacramenti continetur, ſicut in hoc Sacramẽto Euchariſtiæ quod accipiẽs uel ſub ſpecie panis, uel ſub ſpecie uini, totũ Chriſtum ſumit utrobiq;. Nam qui ſpeciem alteram ſumit, tantum accipit commodi ac utilitatis, quãtum cõprehenditur ſub utraq; ſpecie & nihil magis ſub utraq; ſpecie ſuſcipit, q̃ ſub altera tantũ. Species enim ſigna duntaxat ſunt & non res, neque uirtutis quicquam adijciunt, quod in re ſignata (quæ eſt Chriſtus) non contineatur.

Sed dicunt. Chriſtus ſciebat ſub ſpecie panis, totũ & integrum ſeipſum contineri, et omnia accipi, ſciebat non carnẽ ſolam ſine ſanguine, ſed illã uiam & uiuificã, de qua Ioannes ait. Et uerbum caro factum eſt, totum inquam & integrũ Chriſtum ipſum ſub ſpecie panis contineri, & tñ nihilominus uinum inſtituit. Sed pro huius argumẽti ſolutione & pleniori huius materiæ declaratione, illud ſecundo loco in hoc Sacramẽto obſeruandũ eſt, Euchariſtiã nõ ſolùm eſſe Sacramentum, ſed etiam ſacrificium, unde interdũ de ea loquimur, ut eſt ſacramentum interdum autem ut eſt ſacrificium. Quod autem ſit ſacrificium paulò pòſt oſtendemus.

Loquẽdo ergo de hoc diuiniſsimo & ineffabili myſterio, ut eſt ſacramentũ ſicut à ſpecie panis

illud

illud ipsum sufficientißimè significatur, ita integra eius plenitudo & efficacia, sub eadem exhibetur fidelibus, & idcirco non requirit utramq; speciem. Quia Christi fidelibus tantùm præstatur ab illa sacrosancta carne, uerbo unita, sub unius panis specie, quantũ præstaretur sub utraq;.

Considerando autem idẽ augustißimũ sacramentum, ut est sacrificium, tunc refert oblationem illius agni immaculatati, pro mundi salute in ara crucis factam, & illius mundæ & salutaris hostiæ semel in cruce factæ, nobis reiterationem quandam repræsentat, & sic utrámque requirit speciem. Ita enim refert illam hostiam, ut in ara crucis oblata est. In qua in remißionem peccatorum nostrorum, uniuersus eius sanguis effusus est, & separatus à corpore. Quare alia illic corporis, alia sanguinis figura est, quamuis sub utráque totus integerq; Christus. Et cùm sacerdotum, non laici populi sit sacrificare & offerre illam hostiam, quæ semel in ara crucis pro nobis oblata est, ad eosdem quoque utriúsq; speciei usus necessariò pertinet, quando hoc faciunt, hostiam illam nobis referunt. Legitima enim exposcit ratio, ut sacerdotes celebrantes, utrámque sumant speciem, quia sacerdotes ut Ecclesiæ *ministri, in sacratißimo sacrificio & mysterio missæ, dominicam repræsentant paßionem, & cruentam illam in cruce ob-*

lationem, in qua sanguis Christi preciosus, à sacro eius corpore fuit separatus. Cùm itaq; Eucharistia sacrificium sit, sacrificia autem offerre Domino, sacerdotum esse cõstet, non laicorum, propterea sacerdotes in hoc sacramentum Christum offerre debent Deo patri, in memoriam uespertini sacrificij in ara crucis pro nobis oblati. Omnis nanq; Pontifex (inquit Paulus) ex
Heb.5. *hominibus (uidelicet laicis assumptus, pro hominibus constituitur in hijs quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Atqui Christus instituit corpus suum, ad consecrandũ, sumendum & offerendum in hoc sacramento sub*
Luc.22. *utráque specie per Apostolos, quos tùm sacerdotes ad id muneris cõnsecrauit, dicens. Hoc facite in meam commemorationem. Quum ergo sacerdos, qui offert sacrificium, & dispensat sacramentum populo eiusdem sacrificij priùs debeat esse particeps, ut docet Dionysius in lib. Eccles. Hierar. cap. 3. parte 3. in fine, quã ipsum populo dispenset. Est (inquit) hic rerum diuinarum decentißimus ordo, ut priùs communicet, atq; impleatur sanctus præsul ijs, quæ per illum distribuenda sunt cæteris diuinis donis & alijs tradat, & sumendo sacrificium, ipsius particeps efficiatur, iuxta illud Apostoli. Nónne qui edũt*
1. Cor. 10. *hostias, participes sunt altaris? Ex cuius autoritate desumpta est determinatio Concilij Tole*

tani

tani dicentis. Quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans, particeps esse dinoscitur?

Itaq; qui sacrificant, & participes sacrificij non sunt, rei sunt Dominici *sacramenti.* Vnde de Conf. dist. 2. Can. *Relatum habetur. Quicunque sacerdotum, deinceps diuino altario, sacrificium altaris oblaturus accesserit, & se à cõmunione suspenderit, ab ipsa qua se indecenter priuauit gratia communionis, anno uno repulsum se nouerit.* Nam *quale erit sacrificium, cuius nec ipse sacrificans, particeps. esse dinoscitur? Ergo modis omnibus tenendum est, ut quotiescunq; sacrificans, corpus & sanguinem* Domini *nostri* Iesu *Christi in altario immolat, toties perceptionis corporis & sanguis* Domini *nostri* Iesu *Christi, participem se præbeat.* Huic *consonat quòd* Gelasius Papa, *de* Conf, Dist. 2. Can. *Comperimus scribit dicens. Cõperimus autem quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant, qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceãtur, quia diuisio unius eiusdem mysterij, sine grandi sacrilegio non potest peruenire.* Itaq; *fatemur Christum non ignorasse, quin sub panis specie, totus integer sumeretur, & tamen nihilominus etiam speciem uini instituit, quia*

 sciebat

sciebat Eucharistiam habere rationem Sacramenti & etiam sacrificij. Vt ergo Sacramentum est, sufficit sumere à laicis & etiam sacerdotibus non celebrantibus sub specie panis tantū. Vt autem sacrificij rationem habet, in missæ sacrificio offertur à sacerdotibꝰ, quales erāt Apostoli in cœna, quibus Christus præcepit dicens. Hoc facite in meam commemorationē. Vnde sacerdotes celebrantes utránque sumere debent speciem, quia ut Ecclesiæ ministri in missa saluatoris nostri repræsentant passionem, in qua sanguis CHRISTI *ab eius corpore fuit separatus, ut dictum est. Deinde quum sacerdotes Eucharistiā offerant, sub utráq; specie, & eos oblationis suæ priùs oporteat esse participes, quàm illam populo administrent, æquum est, ut ipse Eucharistiam sub utráq; specie in sacrificio missæ accipiant. Concedimus itaque Christum hoc Sacramentum, sub utráque specie instituisse, sed negamus eum omnibus præcepisse, qui memoriam eius essent facturi, ut ipsum sub utráque specie acciperent, quemadmodum deinceps ostendemus. Cæterum quoniam Ecclesiæ aduersarij, qui sumunt utramq; huius sacramēti speciē, eandē adeò pertinaciter defendunt, ut communionē alterius speciei dicāt illicitam & utriúsq; speciei omnibus esse præceptam, iā adiuuante Christo daclarabimus, cōmu*

nionem

nionem utriúsq; speciei, nec omnibus esse manda tam, nec communionem alterius speciei esse illicitam, & non adeò institutioni Christi aduersari, ut ab initio Ecclesiæ & tempore Apostolo rum in Catholica Ecclesia fuerit in usu.

Quoniam si esset præcepta omnibus atque omnes obligaret atq; constringeret, hoc esset, uel ex usu Christi, uel ex eius præcepto, sed non ex usu Christi, neq; ex eius præcepto, proinde nec ex ui usus Christi, nec ex ui præceptorum eius, illicitum est populum communicare sub altera specie tantùm. Hoc siquidem demonstrato, perspicuum erit, non teneri populum Christianum diuina lege ad communionem Eucharistiæ sub utraq; specie. Et primo quidem demonstrandum erit usum Christi (qui in ultima cœna instituens hoc sacramentũ, usus est eo sub utraq; specie communicando Apostolos(& apostolorum, non habere uim legis, similiter distribuendi & dispẽsandi Eucharistiam sub utraq; specie. Non enim rectè infertur ex illo usu, sacerdotem nõ nisi sub utraq; specie, dare debere populo Eucharistiam, queadmodum illam dedit Christus, & omnes similiter debere communicare, quemadmodum communicauerunt Apostoli. Nam si ille usus Christi & Apostolorum, uim legis haberet, necessariò obligaremur ad omnia, in illo usu seruata. Quod constat esse falsum, nam

obligamur duntaxat ad quædam in usu illius distributionis seruata, & ad quædã, & non ad omnia, quemadmodum ostendemus. unde nec tenemur distribuendo Eucharistiam, *etiam hoc obseruare, ut uidelicet distribuamus* Eucharisti-
Non omnia quæ Christus fecit in cœna habent uim legis. *am sub utráque specie*. Porro ad declarandum, *quod non tenemur ad seruandum omnia, quæ in illo usu gesta sunt, percurramus primò summatim omnia quæ ibi gesta sunt.* Itaq; *cœna facta, surrexit Christus à cœna & posuit uesti-*
Ioan. 13. *menta sua, & cùm accepisset lintheum præcinxit se, deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum suorum, & extergere lintheo quo erat præcinctus.* Postquam *autem lauerat eorum pedes dixit.* Si *Ego laui pedes uestros* Dominus *& magister, & uos debetis*
Matth. 26. *alter alterius lauare pedes*. Exemplum enim de*di uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis.* Hæc Ioannes. *Matthæus autem exprimit numerum cœnantium cum Christo in illa cœna.* V*espere (inquit) facto, discumbebat*
Luc. 22. *cum duodecim discipulis suis. Cœnantibus autem eis accepit* Iesus *panẽ, & benedixit, ac fregit deditq; discipulis suis, & ait. Accipite & comedite &c.* Et *accipiens calicem postquàm cœnauit gratias egit, & dedit illis dicens,* Bibi*te ex hoc omnes &c.* Hic *habes* Christum *institutioni* Eucharistiæ *præmisisse pedum lotionẽ,*

& post

& post cœnam sacram corporis & sanguinis sui Eucharistiam tradidisse discipulis suis. Ecclesia *tamen non pransis, sed ieiunis eandem administrat.* Sed *& præter tempus cœnæ dominicæ, pedum quoque lotio non remansit, quæ tamen præcepta à* Domino, *magnum sacramentum dilectionis continet. Quia ergo non lotis pedibus, sed interdum ne manibus quidem, sacrosanctum* Domini *corpus accipimus, num propterea uanum sacramentum erit? Absit. Quid ita? Quia non externis rebus, sed fide excipitur diuina munificentia, nec tam spectat* DEVS *quid agatur, quam quis & qua mente, ad dona sua accedat.* Non *uult contemni aut negligi Sacramenta sua, nec tamen gratiam eorundem, uisibilium rerum mensura coercet? Quis baptizauit latronem in cruce?* Et *tamen dixit ei os ueritatis.* Ho*die mecum eris in paradiso. Quis tot agmina martyrum, tot milites* CHRISTI, *cum raperentur ad supplicia, quis illis corpus* Domini *& sanguinem eius porrexit?* Et *tamen fructu eorundem minimè fraudati sunt.*

Sic eis q̃ nõ pcipiunt tota sacramẽtorũ signacula, q̃ calicẽ ore nõ attingũt, nihil decedit salutis, nihil perit gratiæ, & nihil detrimenti sentiunt. Sed et Ecclesia *lõgè alijs uerbis utitur q̃ aut* Pau*lus,*

lus, aut alius quiuis Euangelistarum usurpauit. Nam Paulus & Lucas ita recenset dixisse Christum. Hic calix nouum testamentum in meo sanguine Marcus autem ita. Hic est sanguis meus noui testamẽti, qui pro multis effundetur. Matthæus aliqd adijcit dicẽs. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remißionem peccatorum. Ecclesia uerò sic habet. Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro uobis & pro multis effundetur in remißionẽ peccatorũ. Christus quoq; fregit fractamq; dedit panis speciem, ridiculum autem est dicere, quòd sacerdos teneatur dare hostiam fractam Christus prætereà dedit Eucharistiam sub specie panis azymi (Erant enim dies azymorum, in quibus non licebat uesci fermẽtato) sed tamen Ecclesiam aliquã diu conficit in fermentato, quum tamen in azymis Christum consecrasse non dubitauerit. Et primùm quidem exemplo Christi edocta, conficit sacratißimum Christi corpus in pane azymo postea uerò ad destruendam hæresim Ebionitarum, dicentium legem Moysi, simul cum Euangelio obseruari debere, cõstituit sub Leone summo Põtifice, consecrationem dominici corporis esse faciendam in pane fermentato. Sed extincta illa hæresi, sanxit rursum Ecclesia, esse redeundum ad morem cõsecrandi pristinum, utpote in azy-

1 Cor. 11. Luc. 22. Mar 14 Matt. 26.

azymo. Sunt qui aliam huius mutationis causam aßignant, nimirum ne iudaizare uideretur Ecclesia. Nam quia, aperta iam luce ueritatis euangelicæ diffusæ in orbem, abolendus erat in uniuersum Iudaismus (qui tamē ab Apostolis ex consilio spiritussancti, quò lucraretur Christo Iudæos, & ouili Christi incorporarent) in hoc toto studio Ecclesia incūbebat, maximè cum etiam in illo ipso azymo, quidam iudaizantes, imaginarentur quiddam iudaicum. Idcirco quò hoc ipsum euelleret, ecclesiastico decreto introductum est, ut ubiq; consecratur in fermentato non in azymo, sanè intelligens sancta Ecclesia columna & firmamentum ueritatis Christi exemplum non induxisse obligationem, ut sic perpetuò fieret, quamuis azymus panis, significantiæ & mysterio magis congruat, quàm fermentatus. At cessante illa causa, ob quam primitus ille ritus immutatus fuerat, Romana, & cum ea uniuersa Occidentis, meridiei & Septentrionis Ecclesia, ad eundem, ut Christi exemplo conformem, & mysterio congruentiorem reuersa est. Græcanica uerò Ecclesia, iam semel receptum fermenti usum, mordicus retinuit, singularitatis nobilem se, ut in alijs plerisque faciens.

Ex omnibus his perspicuū est, in quot et quātis Ecclesia uariarit ab exemplo usu & instituto

humanam. Fatemur quoq; corpus non esse Deum, sed negamus corpus eius esse absq; diuinitate. quæ à corpore Christi nunquam fuit separata. Vnde rectè quoq; illi adorationis cultũ exhibemus, non quidẽ separatum à uerbo, sed ut ipsi uerbo indiuiduè inseparabiliterq; unitum. Nam in ipsis uerbis, hoc est corpus meum, nõ demonstratur post cõsecrationem corpus à diuiminitate seiunctum, sed ab ea indiuulsum, & in unã u= Christi p̃sonã, quemadmodum paulò antè dictũ est. Quare adorans sacrosanctum illud corp⁹ in Eucharistia, uerè & piè Deum adorat, & complet mãdatum Dñi præcipientis. Dñm Deum tuum adorabis, et illi soli seruies. Non enim ipsum nudũ Christi corpus, sed corpus cõiunctũ deitati, nõ ipsam panis substantiã, quæ post pactã cõsecrationẽ nulla penit⁹ supest, q̃a mutata uel cõuersa est, in substantiã corporis Christi, nõ ipsas species panis, quæ uidentur (illæ enim creaturæ sunt, quæ adorari nõ debent, sed ipsum uerum et uiuificũ corpus Christi, diuinitati inseparabiliter unitum, quod sub illis speciebus uerè continetur, suppliciter & Religiosè adoramus.

Vigesimoprimò, An credat ciues huius vrbis, ab hoc die vsq; in tẽpus, quo primùm fidẽ susceperunt, qui Eucharistiã cùm eleuatur, reponitur

&

& deportatur, adorant, pro idololatris habendos esse.



On habendos eos pro idololatris, iam constare ex superioribus existimo. At Velsiũ credere eos pro idololatris habẽdos esse, & ex superioribus patet, & responsio eius hoc loco comprobat, qua affirmat, non quidem omnes huius urbis ciues, sed eos tantùm, qui eiusmodi idololatriam committunt aut commiserunt, pios diuinissimæ Eucharistiæ adoratores, idololatras appellãs, & eos qui recusant adorare (si tamen eiusmodi ciues habẽt Colonia) quum sint uerè impij, pios existimans.

DE COMMVNIONE alteriùs speciei.

Vigesimosecundò. An credat verum corpus & sanguinem Christi, atque adeò totum Christum, sub vna qualibet specie sacramenti contineri, ideòque cuilibet homini Christiano, non sacrificanti, sub una specie communicari.

To-



Otum Christum in hoc Sacramento contineri, superiùs est ostensum, hîc iam quæritur, num totus Christus, sub una qualibet specie Sacramenti cõtineatur, et idcircò cuilibet homini Christiano, non sacrificanti, satis sit sub una specie communicari. Porro certißimè tenendum est, sub utraq; specie Sacramenti, totum esse Christum, licet diuersimodè. Quod ut intelligi poßit, reuocanda sunt hîc in memoriam, quæ circa interrogationem decimamquartam à nobis dicta sunt. Siquidem sub specie panis, est corpus Christi, ex ui sacramenti, sanguis autem ex reali concomitantia, quemadmodum superiùs in loco iam citato, dictũ est, de anima & diuinitate Christi. Sub specie uerò uini, est quidem sanguis Christi, ex ui sacramenti. corpus autem eius, ex reali cõcomitantia quemadmodum superiùs dictum est, de anima & diuinitate Christi. Et hæc quidem scholasticorum doctorum de naturali concomitantia sententia quàm uera sit ac rationabilis, facilè perpendet, qui nouerit Christum in corpore glorificato totum & integrum regnare, omni paßione superiorem, de quo sit absurdum

Rom. 6. ullã diuisionẽ fateri. Qũ enim (ut Paulus ait) Christus iam ampliùs non moriatur, nunquam sanguis eius à corpore iterum separatur, sed ubi corpus,

corpus, ibi & sanguis, ibi & integer ipse Christus est. Item *sanguis Christi nunquam potestre periri, absque illius uero & integro corpore. Vbicunq; enim fuerit sanguis Christi, ibi quoque necesse est illius uerum & integrum corpus adesse.* Nam *Christus suum sanguinem, quem in passione sua semel pro nobis effudit, in resurrectione sua totum resumpsit, nunquam eum iterũ fusurus, quia nunquam iterum moriturus. Vbi est ergo Christi sanguis uerus, ibi est etiam Christi uerum corpus.* Porro *si sub specie uini, solus sanguis maneret, toties sanguinem fundi oporteret, quoties uinum consecraretur, eô quod ui consecrationis, sanguis ibidem existens à corpore separaretur.* Itaq; *ut hãc absurditatem effugiamus, credere oportet in Sacramento Eucharistiæ, sub specie panis totum Christum integrè contineri, & etiam sub specie uini.* Quum *ergo hæc ita se habeant, & corpus Christi non mortuum, sed uiuum sit & animatum & sanguine uegetatum (anima enim corpus exangue minimè uegetare potest) & sanguis Christi sine corpore eius non sit, an non rectè dicunt, qui affirmant, ibi comitari sanguinem, ubicunque fuerit uiuum Christi corpus, & ubicunq; rursus sit sanguis, ibi comitari corpus?* Non *est ergo existimandum, sub altera specie corpus tã tum, sub altera autem sanguinem dudtaxat con*

timeri, cùm sub utraq; specie corpus & sanguis, imò Christus ipse sit totus, licet ad designandum nobis corpus, species panis, & ad designandum sanguinem, uini species instituta sit. Sunt enim corpus Christi & sanguis hic ceu duo primaria signata, & utrique suum signum adhibetur. Nam species panis, corporis ipsius signum est, species autem uini, signũ & sanguinis. Continetur tamen nihilominus totus CHRISTVS, *sub qualibet specie huius Sacramenti. Cùm itaque tantùm sub una specie uenerabilis sacramenti contineatur ac porrigatur quantum sub utráque, non solum laicis, sed etiam sacerdotibus non celebrantibus, sufficit ad corporis & animæ salutem communio alterius speciei. Nam qui accipit totum Christum sub specie panis tantùm gratiæ confertur ei uirtute sacramenti quantum ei qui sub utráque specie sumit. Non enim confertur gratia in hoc Sacramento, uirtute specierum aut signorum, sed signati.*

Non enim illæ species panis & uini, quæ exterius patent, animam uiuificant, sed inhabitans uita nimirũ diuinitas, uiuificat. Itaq; quum exceptis speciebus (quæ gratiam nequaquã conferre possunt æquè totum & integrum Christum sumat, qui unam speciem sumit. Sicuti qui utrámque, nihilo plus gratiæ uirtute sacramenti accipit

accipit hic quàm ille. Nihil ergo *gratiæ deperit laicis, sumentibus alteram speciem tantùm*. Si *autem uirtus & efficatia huius sacramenti dependeret, à speciebus illis uisibilibus, & non à rebus contentis sub illarum tegmine & operimento, iusta esset quærimonia laicorum, dolentium sibi alteram speciem esse ademptam*. Nunc *autem hoc non est, sed res contentæ in hoc* Sacramento, *gratiam largiuntur, & ita uerè & integrè subsistunt, sub alterutra illarum specierum seorsum, sicut sub utraq; simul*. Efficatia *idē tidem & spiritualis fructus, prouenies ex sumptione sanctæ* Eucharistiæ *sub una specie solum, tantus profectò est, quantus ille, qui sumenti obuenit, ex sumptione eiusdem sacramenti sub utráq; specie, modo cætera omnia, ex suscipientium deuotione & dispositione, consimiliter se habeant, cùm & hic & illic sumatur integrè* Christus, *bonorum omnium author, de cuius plenitudine fidelis anima secundùm sui dispositionem largiter suscipit diuinorum charismatum munera*.

Porro *ex hoc fundamento, non ualet argumentum aduersariorum dicentiū. Si propterea una pars sacramēti laicis tolli potest, quòd sub una tantum contineatur, quantum sub utráque, eadē autoritate & pars baptismi, & pars pœnitentiæ tolli potest*. Non *inquam hoc sequitur*.

Nā de baptiſmo & pœnitentia, non eſt ſimile. Neutrū enim horum duas partes habet, in quarum utraq; tota res Sacramenti continetur, ſicut in hoc Sacramēto Euchariſtiæ quod accipiēs uel ſub ſpecie panis, uel ſub ſpecie uini, totū Chriſtum ſumit utrobiq;. Nam qui ſpeciem alteram ſumit, tantum accipit commodi ac utilitatis, quātum cōprehenditur ſub utraq; ſpecie & nihil magis ſub utraq; ſpecie ſuſcipit, q̄ ſub altera tantū. Species enim ſigna duntaxat ſunt & non res, neque uirtutis quicquam adijciunt, quod in re ſignata (quæ eſt Chriſtus) non contineatur.

Sed dicunt. Chriſtus ſciebat ſub ſpecie panis, totū & integrum ſeipſum contineri, et omnia accipi, ſciebat non carnē ſolam ſine ſanguine, ſed illā uiam & uiuificā, de qua Ioannes ait. Et uerbum caro factum eſt, totum inquam & integrū Chriſtum ipſum ſub ſpecie panis contineri, & tñ nihilominus uinum inſtituit. Sed pro huius argumēti ſolutione & pleniori huius materiæ declaratione, illud ſecundo loco in hoc Sacramēto obſeruandū eſt, Euchariſtiā nō ſolùm eſſe Sacramentum, ſed etiam ſacrificium, unde interdū de ea loquimur, ut eſt ſacramentum interdum autem ut eſt ſacrificium. Quod autem ſit ſacrificium paulò pòſt oſtendemus.

Loquēdo ergo de hoc diuiniſſimo & ineffabili myſterio, ut eſt ſacramentū ſicut à ſpecie panis illud

illud ipsum sufficientißimè significatur, ita inte gra eius plenitudo & efficacia, sub eadem exhibetur fidelibus, & idcirco non requirit utramq; speciem. Quia Christi fidelibus tantùm præstatur ab illa sacrosancta carne, uerbo unita, sub uni⁹ panis specie, quantũ præstaretur sub utraq;.

Considerando autem idẽ augustißimũ sacramentum, ut est sacrificium, tunc refert oblationem illius agni immaculatati, pro mundi salute in ara crucis factam, & illius mundæ & salutaris hostiæ semel in cruce factæ, nobis reiterationem quandam repræsentat, & sic utrámque requirit speciem. Ita enim refert illam hostiam, ut in ara crucis oblata est. In qua in remißionem peccatorum nostrorum, uniuersus eius sanguis effusus est, & separatus à corpore. Quare alia illic corporis, alia sanguinis figura est, quamuis sub utráque totus integerq; Christus. Et cùm sacerdotum, non laici populi sit sacrificare & offerre illam hostiam, quæ semel in ara crucis pro nobis oblata est, ad eosdem quoque utriúsq; speciei usus necessariò pertinet, quando hoc faciunt, hostiam illam nobis referunt. Legitima enim exposcit ratio, ut sacerdotes celebrantes, utrámque sumant speciem, quia sacerdotes ut Ecclesiæ ministri, in sacratißimo sacrificio & mysterio missæ, dominicam repræsentant paßionem, & cruentam illam in cruce oblatio-

lationem, in qua sanguis Christi preciosus, à sacro eius corpore fuit separatus. Cùm itaq; Eucharistia sacrificium sit, sacrificia autem offerre Domino, sacerdotum esse cõstet, non laicorum, propterea sacerdotes in hoc sacramentum Christum offerre debent Deo patri, in memoriam uespertini sacrificij in ara crucis pro nobis oblati. Omnis nanq; Pontifex (inquit Paulus) ex

Heb.5. hominibus (uidelicet laicis assumptus, pro hominibus constituitur in hijs quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Atqui Christus instituit corpus suum, ad consecrandũ, sumendum & offerendum in hoc sacramento sub

Luc.22. utráque specie per Apostolos, quos tùm sacerdotes ad id muneris cónsecrauit, dicens. Hoc facite in meam commemorationem. Quum ergo sacerdos, qui offert sacrificium, & dispensat sacramentum populo eiusdem sacrificij priùs debeat esse particeps, ut docet Dionysius in lib. Ecclesi.Hierar.cap.3. parte 3. in finé, quã ipsum populo dispenset. Est (inquit) hic rerum diuinarum decentissimus ordo, ut priùs communicet, atq; impleatur sanctus præsul ijs, quæ per illum distribuenda sunt cæteris diuinis donis & alijs tradat, & sumendo sacrificium, ipsius particeps efficiatur, iuxta illud Apostoli. Nónne qui edũt

1.Cor.10. hostias, participes sunt altaris? Ex cuius autoritate desumpta est determinatio Concilij Toletani

tani dicentis. Quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans, particeps esse dinoscitur?

Itaq; qui sacrificant, & participes sacrificij non sunt, rei sunt Dominici *sacramenti.* Vnde de Conf. dist. 2. Can. Relatum *habetur. Quicunque sacerdotum, deinceps diuino altario, sacrificium altaris oblaturus accesserit, & se à cõmunione suspenderit, ab ipsa qua se indecenter priuauit gratia communionis, anno uno repulsum se nouerit.* Nam *quale erit sacrificium, cuius nec ipse sacrificans, particeps esse dinoscitur? Ergo modis omnibus tenendum est, ut quotiescunq; sacrificans, corpus & sanguinem* Domini *nostri* Iesu *Christi in altario immolat, toties perceptionis corporis & sanguis* Domini *nostri* Iesu *Christi, participem se præbeat.* Huic *consonat quòd* Gelasius *Papa, de* Conf, Dist. 2. *Can. Comperimus scribit dicens. Cõperimus autem quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant, qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceãtur, quia diuisio unius eiusdem mysterij, sine grandi sacrilegio non potest peruenire.* Itaq; *fatemur Christum non ignorasse, quin sub panis specie, totus integer sumeretur, & tamen nihilominus etiam speciem uini instituit, quia*

sciebat Eucharistiam habere rationem Sacramenti & etiam sacrificij. Vt ergo Sacramentum est, sufficit sumere à laicis & etiam sacerdotibus non celebrantibus sub specie panis tantũ. Vt autem sacrificij rationem habet, in missæ sacrificio offertur à sacerdotib⁹, quales erãt Apostoli in cœna, quibus Christus præcepit dicens. Hoc facite in meam commemorationẽ. Vnde sacerdotes celebrantes utrãque sumere debent speciem, quia ut Ecclesiæ ministri in missa saluatoris nostri repræsentant paßionem, in qua sanguis CHRISTI *ab eius corpore fuit separatus, ut dictum est.* Deinde *quum sacerdotes Eucharistiã offerant, sub utrãq; specie, & eos oblationis suæ prius oportedt eße participes, quàm illam populo administrent, æquum est, ut ipse Eucharistiam sub utrãq; specie in sacrificio missæ accipiant.* Concedimus *itaque Christum hoc Sacramentum, sub utrãque specie instituiße, sed negamus eum omnibus præcepiße, qui memoriam eius eßent facturi, ut ipsum sub utrãque specie acciperent, quemadmodum deinceps ostendemus. Cæterum quoniam Ecclesiæ aduersarij, qui sumunt utramq; huius sacramẽti speciẽ, eandẽ adeò pertinaciter defendunt, ut communionẽ alterius speciei dicãt illicitam & utriusq; speciei omnibus esse præceptam, iã adiuuante Christo daclarabimus, cõmunionem*

nionem utriúsq; speciei, nec omnibus esse mandatam, nec communionem alterius speciei esse illicitam, & non adeò institutioni Christi aduersari, ut ab initio Ecclesiæ & tempore Apostolorum in Catholica Ecclesia fuerit in usu.

Quoniam si esset præcepta omnibus atque omnes obligaret atq; constringeret, hoc esset, uel ex usu Christi, uel ex eius præcepto, sed non ex usu Christi, neq; ex eius præcepto, proinde nec ex ui usus Christi, nec ex ui præceptorum eius, illicitum est populum communicare sub altera specie tantùm. Hoc siquidem demonstrato, perspicuum erit, non teneri populum Christianum diuina lege ad communionem Eucharistiæ sub utraq; specie. Et primo quidem demonstrandum erit usum Christi (qui in ultima cœna instituens hoc sacramentũ, usus est eo sub utraq; specie communicando Apostolos (& apostolorum, non habere uim legis, similiter distribuendi & dispẽsandi Eucharistiam sub utraq; specie. Non enim rectè infertur ex illo usu, sacerdotem nõ nisi sub utraq; specie, dare debere populo Eucharistiam, quẽadmodum illam dedit Christus, & omnes similiter debere communicare, quemadmodum communicauerunt Apostoli. Nam si ille usus Christi & Apostolorum, uim legis haberet, necessariò obligaremur ad omnia, in illo usu seruata. Quod constat esse falsum, nam

obligamur duntaxat ad quædam in usu illius distributionis seruata, & ad quædã, & non ad omnia, quemadmodum ostendemus. unde nec tenemur distribuendo Eucharistiam, etiam hoc obseruare, ut uidelicet distribuamus Euchari-

Non omnia quæ Christus fecit in cœna habent uim legis.

stiam sub utráque specie. Porro ad declarandum, quod non tenemur ad seruandum omnia, quæ in illo usu gesta sunt, percurramus primò summatim omnia quæ ibi gesta sunt. Itaq; cœna facta, surrexit Christus à cœna & posuit uesti-

Ioan. 13.

menta sua, & cùm accepisset lintheum præcinxit se, deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum suorum, & extergere lintheo quo erat præcinctus. Postquam autem lauerat eorum pedes dixit. Si Ego laui pedes uestros Dominus & magister, & uos debetis

Matth. 26.

alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis. Hæc Ioannes. Matthæus autem exprimit numerum cœnantium cum Christo in illa cœna. Vespere (inquit) facto, discumbebat

Luc. 22.

cum duodecim discipulis suis. Cœnantibus autem eis accepit Iesus panẽ, & benedixit, ac fregit deditq; discipulis suis, & ait. Accipite & comedite &c. Et accipiens calicem postquàm cœnauit gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes &c. Hìc habes Christum institutioni Eucharistiæ præmisisse pedum lotionẽ,

& post

& post cœnam sacram corporis & sanguinis sui Eucharistiam *tradidisse discipulis suis.* Ecclesia *tamen non pransis, sed ieiunis eandem administrat.* Sed *& præter tempus cœnæ dominicæ, pedum quoque lotio non remansit, quæ tamen præcepta à* Domino, *magnum sacramentum dilectionis continet.* Q*uia ergo non lotis pedibus, sed interdum ne manibus quidem, sacrosanctum* Domini *corpus accipimus, num propterea uanum sacramentum erit?* Absit. Q*uid ita?* Q*uia non externis rebus, sed fide excipitur diuina munificentia, nec tam spectat* D E V S *quid agatur, quam quis & qua mente, ad dona sua accedat.* Non *uult contemni aut negligi* Sacramenta *sua, nec tamen gratiam eorundem, uisibilium rerum mensura coercet?* Q*uis baptizauit latronem in cruce?* Et *tamen dixit ei os ueritatis.* Hodie *mecum eris in paradiso.* Q*uis tot agmina martyrum, tot milites* C H R IS T I, *cum raperentur ad supplicia, quis illis corpus* Domini *& sanguinem eius porrexit?* Et *tamen fructu eorundem minimè fraudati sunt.*

Sic eis q̃ nõ pcipiunt tota sacramẽtorũ signacula, q̃ calicẽ ore nõ attingũt, nihil decedit salutis, nihil perit gratiæ, & nihil detrimenti sentiunt. Sed et Ecclesia *lõgè alijs uerbis utitur q̃ aut* Pau

lus,

azymo. Sunt qui aliam huius mutationis causam aßignant, nimirum ne iudaizare uideretur Ecclesia. Nam quia, aperta iam luce ueritatis euangelicæ diffusæ in orbem, abolendus erat in uniuersum Iudaismus (qui tamē ab Apostolis ex consilio spiritussancti, quò lucraretur Christo Iudæos, & ouili Christi incorporarent) in hoc toto studio Ecclesia incūbebat, maximè cum etiam in illo ipso azymo, quidam iudaizantes, imaginarentur quiddam iudaicum. Idcirco quò hoc ipsum euelleret, ecclesiastico decreto introductum est, ut ubiq; consecratur in fermentato non in azymo, sanè intelligens sancta Ecclesia columna & firmamentum ueritatis Christi exemplum non induxisse obligationem, ut sic perpetuò fieret, quamuis azymus panis, significantiæ & mysterio magis congruat, quàm fermentatus. At cessante illa causa, ob quam primitus ille ritus immutatus fuerat, Romana, & cum ea uniuersa Occidentis, meridiei & Septentrionis Ecclesia, ad eundem, ut Christi exemplo conformem, & mysterio congruentiorem reuersa est. Græcanica uerò Ecclesia, iam semel receptum fermenti usum, mordicus retinuit, singularitatis nobilem se, ut in alijs plerisque faciens.

Ex omnibus his perspicuū est, in quot et quātis Ecclesia uariarit ab exemplo usu & instituto

tuto Christi. Quam *uariationem forsitan ab Apostolis edocta fuerat.* Nam & Paulus *ubi apud Corinthios, de hoc sacramento sermonem habet, tandem subijcit.* Cætera *quum uenero dispona͂ Quibus mirũ uerbis, pollicetur se quantum ad usum & ritum huius sacraměti spectat) traditurum alia, quorum hactenus in epistolis suis nullam fecerat mentionem,* Vtcunq; *fuerat clarè constat ex præmißis, distributionem* Eucharistiæ, *qua usus est* Christus, *non habere uim legis statuentis, ut similiter fiat distributio à nobis.* At *si quispiam contenderit, in hoc uno imitandam esse* Christi *distributionem, quod sub utraq; specie dedit* Eucharistiam, *animaduertat* Christum *dedisse sub utráque specie solis* Apostolis, & *non dedisse matri suæ nec multitudini illorum, qui credebant in illum, ut uel ex hoc satis sit inferre ab exemplo* Christi, *successoribus ergo* Apostolorum *dandam esse* Eucharistiam *sub utraq; specie.* Ex *usu itaq;* Christi, *non potest inferri, communionem populi sub altera specie tantùm, esse illicitam.* Et *multo minnus inferri hoc potest, ex usu* Ecclesiæ Corinthiorum, *cuius meminit* Paulus *in prima epist. ad* Corinthios, *quia quæ ibi scripta sunt, pertinent ad* Ecclesiæ *illius, & temporum consuetudinem (quando plurimis in* Ecclesiis *communio* Eucharistiæ *sub utraq; specie porrigebatur) qua͂ nõ da͂naremus.*

1.Cor.11.

Eccle-

Ecclesiæ (quæ illā mutauit) authoritate restitue retur, ne scindatur unitas Ecclesiastica, néue ua rietas in usu sacramentorū admittatur. Sed & hoc dicendum beatum Paulum hoc loco minimè præcepisse Corinthijs, communionem sacramenti Eucharistiæ sub utraq; specie. Nam postquam recensuit primam sacramenti illius institutionē, secundùm trium Euangelistarum sententiā ipsis tantùm permisit, sumptionis panis & calicis ritum, admonuitq; sollicitè, ut illam facerent panis manducationem & calicis potationem, in dominicæ paßionis memoriam facta priùs diligenti suiipsius probatione. ne tantùm mysterium sumerent indignè. Deniq; usus Ecclesiæ illius particularis fuit. Constat autem usum unius Particularis Ecclesiæ non statuere uel præscribere legem alijs Ecclesiis. Porro nos haud diffitemùr huiusmodi consuetudinem illo tēpore, & subsequentibus, ad tempus in Ecclesiis plurimis fuisse & perdurasse, non solū tēpore persecutionū & martyrū, sed etiā tēpore pacis Ecclesiæ, quū legimus factas non solùm patinas, sed etiā calices ministeriales, sic proculdubio dictos, quod ad Christi sanguinē populo ministrandum deseruiebant. Nunq̄ tamen fuisse uidetur in tota uniuersali Ecclesia, imò nec in primitiua, uniuersalis cōsuetudo communicandi populum sub utraq; specie, sed uidetur fuisse indifferens uel sub altera

altera, uel utráque, quum Hierosolymis *(ubi & ingens erat multitudo fideliū) legamus communionem, sub sola specie panis factam.* Erant
Act.2. *(inquit* Lucas*) perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, de quo postea nobis erit sermo. Sed & postmodum multis exemplis compertum est,* Eucharistiam *sub specie panis tantùm fuisse distributam & acceptam. Supra enim ubi exempla posuimus de reseruatione* Eucharistiæ*, attulimus exemplum Satyri fratris* S. Ambrosii*, qui diuinum fidelium Sacramentum poposcit, et ligari fecit in orario, & orarium uoluit in collo. Quod utiq; de sola specie panis intelligi debet, cum Sacramentum sub spēm uini, non potuerit ita ligari & inuolui in collo,* Adduximus *quoque ibidem exemplum ex* Eusebio Eccles. *Histo. lib. 6. c. 33. sed succinctus, quàm ut huic nostro instituto suffragari poßit, quapropter magis explicandū erit.* Est ibidē epistola Dionysii *uetustißimi* Episcopi, *qua non obscurè significatur,* Eucharistiæ *Sacramentum, unica specie iam tunc solitum tradi ad minus infirmis. Verba eius sunt hæc.* Dionysius *uerò ad hoc scribēdo ad suprà dictum* Fabianum, *intexit etiam quandam historiam, dignā memoria, dicens Serapionē quēdam fuisse apud* Alexandriam, *unum ex his qui lapsi sunt, eundemq; sæpe deprecatū, ut susciperetur, nec tamē impe-*

impetrasse. Oppressum deinde hunc esse ægritudine, ita ut triduo iam sine uoce prorsus iaceret. Paululum uerò quarta die respirantem, uocasse ad se filiam suam, & dixisse. Quoúsque me detinetis? Quæso uos, citò aliquis presbyterum roget, ut possim aliquando dimitti, & cum hoc dixisset, rursum sine uoce permansit. Abijt cursu puer ad presbyterum noctis tempore. Infirmabatur presbyter, uenire non potuit. Tamen quia præceptum fuerat à me, ut lapsis in exitu nemo consolationis solatia denegaret, & maximè his, quos priùs id rogasse constaret, parum Eucharistiæ puero dedit qui ad se uenerat, quod infusum iussit seni præberi, &c. Vbi quod Sacramentum commissum est puero, quod parum Eucharistiæ datum, quod infundi iussum, uino scilicet aut aqua, quo sumi posset ab ægroto, qui moribundus & æstuans glutire nequibat, omnia hæc declarant, in sola specie panis accepisse. Sed & S. Paulinus Sanctum Ambrosium, & S. Gregorius S. Benedictum sub finem uitæ scribunt Eucharistiam duntaxat sub specie panis accepisse. Porro ubicúnque communio utriusq; speciei fuit usitata ac recepta, ob id præcipuè factum est, ut Christi fideles sumptione sancti calicis in persecutionum procellis ad subeundum martyrij agonem redderentur animosiores. Quemadmodum Elephantos aiunt, specie

sanguinis ostensa atq; ipsis obiecta, reddi ad bellum acriores atq; concitatiores. Tunc enim animandi erant fideles ad martyrium, grassante tyrannorũ persecutione, & excitandi ut nõ dubitarent sanguinẽ suũ pro Christo effundere. Ad quod efficaciter incitabãtur memoria dñicæ passionis, ipsis uisibiliter repræsentata, p sumptionẽ sacri sanguinis è calice in sacra cõmunione. Qua inducti in recordationem effusi sanguinis Dñi pro oĩm redẽptione, maiorẽ in modũ roborabãtur, ad suum quoq; sanguinẽ, pro cõfeßione fidei effundendũ, quẽadmodũ testatur. S. Cyprianus cũ nonnullis alijs Episcopis ad Corneliũ Papam scribentibus in hæc uerba. Lib. 1. epist. 2. At nunc nõ infirmis, sed fortibus, pax necessaria est; nec morientibus sed uiuẽtibus, cõmunicatio à nobis danda est, ut quos excitamus & exhortamur ad præliũ, nõ inermes & nudos relinquamus, sed protectiõe sanguinis & corporis Christi muniamus, & cũ ad hoc fiat Eucharistia, ut poßit accipiẽtibus esse tutela, quos tutos esse uolumus, cõtra aduersarium, munimento dominicæ securitatis armamus. Nã quomodo docemus aut prouocamus eos, in confeßione nominis sanguinem suũ fundere, si eis militaturis, sanguinẽ Christi denegamus? aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si nõ eis priùs ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure cõmunicationis admitti-

mittimus? Hactenus illi. Nõ inficiamur proinde, tunc temporis in plurimis Ecclesijs, laicis fidelibus permissam fuisse communionẽ utriusq; speciei, qui tamen mos non uidetur fuisse uniuersalis in omnibus Ecclesijs, uel si fuit uniuersalis, fuit indifferens ut apparet, cùm constet plerósq; Eucharistiam tãtum sub specie panis accepisse. Nec etiam certò constat, quãdiu ille mos cõmunicandi sub utraq; specie populũ permãserit. Vnde intelligi datur, eum paulatim desijsse cõsensu fideliũ, tandemq; decreto Concilij abrogatũ fuisse. Cũ enim cessasset psecutionis tẽpus, et multa inconueniẽtia quotidie magis magisq; insurgerent, quibus horrere cœperunt fidelium animi, sensim consensu quodam tacito altera species fuit adempta, atque ita populis ob euitanda crebra pericula tacitis omnium suffragijs, sub una tantùm specie sacramentum istud exhibitum est. Cæterum quod mos ille communicãdi populum sub utraq; specie, non tàm fuerit uniuersalis, q̃ indifferens etiam in primitiua Ecclesia, uel hinc liquet, q etiã sacra communio alterius speciei, in primitiua Ecclesia fuerit usitata. Siquidem in Actis Apostolorũ de cõuersis Iudæis dicitur, q erant quotidie perdurantes unanimiter in tẽplo, & frangentes circa domos panem. Vbi Lucas nõ facit mentionẽ uini, sed fractionis panis. Porro Glossa interlinearis & Nicola' Lyran',

exponunt non solùm de corporali cibo, sed etiã de sancto pane Eucharistiæ, qui tum quotidie fi
Actor. 27. delibus administrabatur. Item Act. 27. Soliùs panis fit mentio, quem sumens Paulus, gratias egit Deo & fregit. Adhæc Lucæ 24. ita scriptũ est. Factum est cùm recumberet cum eis, accepit panem & benedixit ac fregit, & porrigebat illis, &c. Vbi habes quòd ad esum huius benedicti panis, protinus eorũ oculi fuerunt aperti. Quo indicio patres colligunt, ipsos sumpsisse uerum corpus Christi. Nam Theophylactus & Beda, hunc locum intelligunt de carne Domini. Aug. quoque lib. 3. de Consensu Euang. & Chrys. Homil. 17. in Matthæum, exponunt de Sacramento panis. Quod etiam ex uerbis ipsis patet, quum & simili prorsus modo sit usus, in sacri sui corporis consecratione. Sed & S. Hieronymus narrans peregrinationem sanctæ Paulæ. Repetito (inquit) itinere Nicopolim (quæ priùs Emmaus uocabatur) apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in Ecclesiam dedicauit. Porro prædicta consuetudo, etiam Apostoli testimonio uidetur posse confirmari. Nam
1 Cor. 16. S. Paulus in Epistola ad Corinthios. Vnus panis (inquit) & unũ corpus multi sumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus. In Græcis exemplaribus, quo sermone Paulus eam epistolam scribit, perhibent ita inueniri. Vnus

panis, unum corpus, multi sumus. Nã omnes ex eodẽ pane participamus. Ita enim Erasmus uertit. Græcè tamen sic legitur. οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. quoniam omnes ex uno pane participamus. Vtcunq; autem legas, secundũ S. Pauli uerba, satis est cunctis, ut de pane uno uel ex eodem pane participent, ut necessariò nõ requiratur calicis cõmunicatio. Quod si dixeris Paulum non multò superiùs de calicis benedictione fuisse loquutum, etiam hoc magis facit pro parte nostra, si quis ea uerba diligẽtiùs excutiat. Calix (inquit) benedictionis, cui benedicimus. Quis quæso calici unquam benedixit, nisi sacerdos? aut quis alius frangit cœlestẽ illum panẽ? Vtrunq; profectò ad sacerdotes pertinet, qui & mystici corporis non iniuria portio melior existimantur. Cæterùm quum ijs adiunguntur laici, & de toto corpore loquitur Paulus, iam solius panis fit mẽtio. Vnus (inquit) panis, & unum corpus multi sumus omnes qui ex eodem pane participamus.

Sed & Dominus ipse, quum ex quinque panibus, quinq; millia pauisset hominum, nullum credibile est ibi uinum adfuisse, & tamen illa refectio quasi quædam umbra fuit, communionis carnis suæ. Quod uel ex eo patet, quod inde sumpserit occasionem plurima differendi, super carnis suæ comestione, quam & panem uocat. Ioan. 6.

Huc accedit quod sæpenumero Christus, pro panis huius sumptione multa pollicetur, & pro specie uini, nec tantillum quidem promittit. Pro illo dicitur: Panis uerus est, qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo. Ego sum panis uitæ. Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi uita. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso mãducauerit nõ moriatur. Si quis manducauerit ex hoc pane uiuet in æternum. Et qui manducat hunc panem, uiuet in æternum. Ecce quotiens uitam pollicetur, pro panis huius sumptione, de reliqua uerò specie, ne uerbum quidem producere quis poterit. Nam

Luc. 22. *illud. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, nihil facit pro calicis potatione,*

Matt. 26. *nec si quod apud Matthæum sequitur adiunxeris. Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Non enim hic remissio peccatorum, pro calicis potatione promissa est,*

Matth. 6. *sed pro sanguinis effusione: Deniq; apud Matthæum in oratione Dominica petere docemur, panem illum supersubstantialem, hoc est, panem corporis Christi, sicuti expositum est superius, ubi tamen alterius speciei nulla fit mentio. Ex quibus omnibus constat, communionem alterius speciei à Christo non solùm non uetitam, sed etiam insinuatam, imò ab ipso Christo & Apostolis exhibitam & usitatam fuisse. Ostendant*

ergo

ergo aduersarij ubinam Christus in Euangelio utramq; speciem aut instituerit, aut ipso facto porrexit, præterq̃ in ultima cœna, in qua sacerdotem egit, & sacerdotes duntaxat communicauit. Sed nec ex Paulo unquam probabunt, q̃ Christus utramq; speciẽ, aut dederit alijs q̃ Apostolis, aut iusserit dari populo, nisi prorsus nullum discrimen faciant, inter pastores & gregem, atque inter plebem & sacerdotes. Pastorum & hunc sacratissimum cibum ministrare gregi, neq; ad gregem pertinet ullo pacto Eucharistiam conficere sibi. Itaq; neq; Euãgelistæ habent, neq; Apostolus dicit, quòd Christus laicis utrámq; speciem dederit, aut dandam præceperit. Loquitur quidem ibi Apostolus in genere de utraq; specie absq; discrimine inter præsbyteros & laicos dicens. Itaq; quicunq; manducaueris panem, uel biberit calicem Dñi indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Eo enim tẽpore in Missæ sacrificio & præcipuè in Ecclesia Corinthiorum laicis quoq; dabatur sacramentũ sub utraq; specie. Nusq̃ tñ præcipit, neq; Paulus, neq; ullus Apostolorũ aut Euãgelistarũ, ut uniuersaliter semp & ubiq; sub utráq; specie laicis. Et tñ si Paul⁹ etiã præcepisset (quod tñ non fecit) laicis utrãq; speciẽ dandã, posset nihilominus Ecclesia, imò spiritus sanctus. Rector & Cõsolator Ecclesiæ, præceptũ illud ex iustis causis

1. Cor. 11.

relaxare, quemadmodum inferius ostendemus.

Nunc restat ut discutiamus præcepta Christi, tam ante institutionem Eucharistiæ, quàm in ipsa Eucharistiæ institutione promulgata, & ex ijs colligamus communionem utriusque speciei, non esse omnibus à Christo præceptam, neque communionem unius speciei nimirum panis, esse illicitam. Et ut ordine progrediamur, accipiamus Patris in manibus præceptum Christi de Eucharistia apud Ioannem capite. 6. Vbi inquit. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Et quidem si eorum sententiam sequeremur, qui negant illa uerba intelligi posse, de cibo & potu sacramentali Eucharistiæ, sed exponunt de spirituali manducatione tantùm, facilis esset responsio. Verùm quoniam non de spirituali solùm, sed etiã de sacramentali manducatione rectè possunt intelligi, idcircò nunc ostendendum erit, ex illo præcepto Christi, communionẽ utriusq; speciei, non mandari omnibus. Nam Christus ibi nihil definit, de utraq; specie panis scilicet & uini, sed loqtur expresse, de carne et sanguine suo. Nihil enim de uini specie tradit ibidem, sed de sanguine, qui nusq̃ ab hoc sacratißimo pane separatur. De pane est ibi multus sermo, ac de uino, ne uerbum quidem ullum. Nusquam enim in toto

toto illo capite, speciei calicis aut uini meminit Christus. Speciem uerò *panis crebriùs repetens expreßit, et panem manducantibus uitam æternam promisit, id quod neutiquam fecisset, si panis manducatio ad salutem non sufficisset.* Qui *enim uitam præstaret æternã panis mãducatus, si ad salutẽ non sufficeret?* Inde dicit. *Panis quẽ ego dabo caro mea est pro mundi uita.* Si *quis manducauerit ex hoc pane, non morietur in eternum.* Qui *manducat me, uiuet propter me, & uiuet in æternum.* Hoc ergo *Christi beneplacitũ est, ut manducans panem, quod ad salutem sufficit, atque uiuat in æternum.* Oportet ergo, *aut nõ esse de neceßitate salutis utrãque speciẽ, aut Christum primam & summam ueritatem, nõ uerum dixisse ubi ait.* Qui *manducat hunc panem, uiuet in æternum.* Simul *enim stare non possunt, ex manducato pane, habere uitam æternam, & panem manducatum non sufficere ad salutem.* Qui *ex manducato pane, uiuet in æternum, nihil deest illi eorum, quæ ei ad æternam uitam, necessaria sunt, sed habet quod ei ad salutem sufficiat.* Valeant *igitur qui dicunt panis huius mãducationem ad salutem non sufficere, sed utriusque speciei sumptionem sub præcepto necessariam, cùm uerbum* CHRISTI, *cum eorum impia assertione manifestè pugnet dicentis.* Pa*nis quem ego dabo, caro mea est.* Et *qui manducat*

cat hunc panem, uiuet inæternum. Alterius specie hic non recordatur, nullamq́; facit de uini potione mentionem. Qui manducat (inquit) me uiuet inæternum, clarißimè subindicans, corpus Christi sub specie panis sufficere ad salutem. Sed & hoc aduerte, quod sub specie panis (quemadmodum antea docuimus) utrumq́; sumitur, corpus scilicet & sanguis Christi. Nam qui sub specie panis Christum sumit, idem & carnem eius manducat & sanguinem bibit, cùm eius carnem integrā accipiat, cuius acceptio esus dicitur, & sanguinē integrū, cuius sumptio, potatio dici poterit. Cū itaq́; nihil ampliùs sub utraq́; specie cōtineatur, quàm altera tantum, quemadmodum ostēsum est, nihil minus sub specie panis, cuiquā cōfertur, quā sub specie panis & uini. Totus enim Christ⁹ cū corpore anima, sanguine & diuinitate non minus sub altera, quàm utraq́; datur.

Nūc discutiamus præcepta Christi de Eucharistia promulgata quando instituit Eucharistiæ sacramentum. Et certè in Euangelijs, nullū inuenies de Eucharistia præceptum, nisi apud Lucā statim post Eucharistiā sub specie panis. Hoc facite in mei cōmemorationē. Tamen apud Apostolū Paulū, duo p̄cepta legūtur data à Christo in Eucharistiæ institutione. Primū statim post Eucharistiam sub specie panis. Hoc facite in mei cōmemorationē. Alterū statim post Eucharistiam

stiã, sub specie uini, uidelicet hoc facite quotiescunq; biberitis in mei commemorationem. Quæ *præcepta si perspicacius fuerint cõsiderata, nullũ secũ ferunt mãdatũ, de cõmunione sub utraq; specie:* Nã *præceptum statim post speciẽ panis datum, tàm apud* Lucam, *quàm apud* Paulum, *manifestè refertur ad* Eucharistiam *sub specie panis, ut ipse contextus testatur, hoc est (inquit) corpus meum, quod pro uobis tradetur.* Et *statim subiungens. hoc facite (ait) in meã cõmemorationem.* Quod *non potest referri, nisi ad* Eucharistiã *sub specie panis, de qua fuerat loquutus.* Nã *de* Eucharistia *sub specie uini, postea loquitur dicens.* Similiter *et calicẽ, &c.* Præceptum *autem solùm apud* Paulum *scriptum de imitatione* Christi *in* Eucharistia *sub specie uini nimirum, hoc facite, quotiescunq; biberitis in meam commemorationem, manifestißimè restringitur ad uices, quibus bibimus in commemorationem* Christi. *Ita quod nõ est præceptũ absolutè, sed est præceptũ ex hypothesi uel suppositione, uidelicet si biberimus in* Christi *memoriã, faciamus hoc, quod fecit* Christus. Nõ *præcipit ut bibamus in eius memoriã, sed præcipit, ut quoties in ei⁹ memoriã biberimus, faciam⁹ quod fecit ipse.* Quasi *dicat.* Quotiescúnque *in mei cõmemorationem biberitis, hoc facite, hoc est, quoties utemini calice* Eucharistiæ, *sacrificate* Luc. 11.

hoc bibere namq;, manifestè significat usum calicis, & deinde facere hoc, quod distinguitur cõtra bibere significat consecrare hoc. Si igitur facere hic cõsecrare intelligimus (quemadmodum Damascenus ac cæteri intelligunt) nemo bibiturus est ex calice, qui non priùs consecrauerit. Nam dicit. Quotiescunq; biberitis &c. Atqui laicum nemo sanæ mentis, dixerit posse consecrare. Non igitur laicis hoc dictum fuit, sed Apostolis (qui sacerdotes erant) qui hoc facerent id est, consecrarent. Præcipitur ergo ad literã, ut usus calicis, iungatur, sacrificio calicis. Et ex hoc ipso, quod similem coniunctionem uel associationem non præcepit, circa usum Eucharistiæ sub specie panis, insinuauit, usum quidem calicis illicitum esse seorsum à sacrificio, usum uerò sub specie panis esse licitum, unde rectè Ecclesia reseruat Eucharistiam, sub specie panis duntaxat, pro infirmis & communicantibus extra missarum solennia, & non sub specie potus. Sed dicet fortasse quispiam, hoc præceptũ non solùm sacerdotes, sed etiam populum cõprehendere ac obligare. Nam ex eo, quod bibentibus in Christi memoriam, præcipitur, hoc facite, manifestè sequitur, quod sacerdotibus celebrantibus missas (quos constat bibere in Christi commemorationem (præcipitur, hoc facite sub quo compræhenditur etiam dare alijs calicem. Ergo

ex hoc

ex hoc præcepto tenetur ſacerdos, quoties ipſe bibit, etiam alijs dare calicem, & alij tenentur accipere & bibere. Sed ſi literam inſpiciamus, minimè quadrabit hic ſenſus contextui literæ. Nam in textu facere, diſtinguitur contra bibere, ac per hoc conficere ſacramentum, contra uſum ſacramenti diſtinguitur, ac per hoc non tàm largè hic extenditur. Hoc facite, ſed ex ipſo contextu reſtringitur, ad demonſtrandum ipſum ſacramentum, contra uſum ſacramenti, eò ipſo diſtinguitur contra uſum calicis. Quæcunq; igitur ſpectant ad uſum calicis, comprehendũtur hic ſub bibere, et quæ ſpectãt ad ipſum ſacramẽtum ſub hoc facere, ſecundùm ſuauẽ contextus ſenſum. Perſpicuum autem eſt, quod dare alijs calicem, ſpectat ad uſum Sacramenti, & non ad ſacramentum ipſum. Nõ igitur comprehenditur in hac litera, ſub hoc facite, dare alijs calicem. Quod dum dicunt aduerſarij, ſibiipſis non conſtant, quia ſi hoc uerùm eſt nimirũ quod hoc facite comprehendit etiam dandum eſſe ſacramẽtum ut Chriſtus dedit manifeſtè ſequitur, quòd ſacerdos celebrans, teneatur dare calicem omnibus præſentibus. Nam Chriſtus dedit omnibus præſentibus: quòd tamen conſtat aduerſarios non ſeruare. Non igitur obligatur Chriſtianus populus ex hoc Chriſti præcepto, ad ſumendum utramq; ſpeciem. Nec obeſt quòd Chriſtus

ſub

sub utraq; specie distribuit Apostolis. Hoc enim æquum ac par fuit, non minus ob id, quod iam huius sacramenti prima fuerat facta institutio, quã ob id, quòd iam illi erant sacerdotes constituti, q̃bus quia sacramẽti cõficiendi potestatẽ cõtulit, uoluit eisdem idipsum exhibere sub utraq;

Luc. 22. *specie. Erant enim in mensa cum Christo duodecim Apostoli recumbentes, quod & S. Lucas testatur inquiẽs. Et cũ facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cũ eo. Nec est uerisimile, si plures cõuiuæ fuissent, quin eos S. Lucas expreßisset, q duodecim cũ Christo discubuisse numerauit. Et inde est quod sacerdotes sub utraq; specie dum sacrificant communicant, quoniã in locum Apostolorum subrogantur, & quoniam ipsi sacrificant, et mortem Christi sacrificio suo repræsentant, sanguinem scilicet à corpore separatum. Cæteris uerò nõ sacrificãtibus, satis fuerit speciem panis accipere, in quo totus accipitur Christus, cõsecrauit quidem Christus uinũ: non tamen propterea necessum est laicis sub ea specie impartiri. Quia solis sacerdotibus, quibus & consecrandi tribuit potestatem, utramq; speciem Christus porrexit, & ab eis utramq; uoluit sacrificari, quaten⁹ hoc ipsum repræsentarent sacrificium, quod olim ipse patri pro nobis in altari crucis immolauit. Vnde ex illa Apostolorum, (quibus succedunt sacerdotes & Episcopi)*

Episcopi) communione sub duplici specie, nihil potest concludi, pro usu futuro in Ecclesia continuando, ut necessarium sit dicere, communionem utriúsque speciei omnibus fidelibus esse sub præcepto salutis dandam. Imò si ex Apostolorum communicatione argumentum sumitur pro modo utendi hoc sacramento in Ecclesia sequetur solos eorum succeßores in ministerio Ecclesiæ ius habere communicandi sub utráque specie, cuiusmodi sunt Episcopi & sacerdotes. Quod autem ex eorum communicatione, non sequatur, etiam ita dandum esse omnibus uel hinc liquet, quòd nondum Christus instituerat hoc sacramentum, pro futuro tempore frequentandum. Nam hoc fecit per illa uerba quæ subiecit, dicens. Hoc facite in meam commemorationem. Adhæc Euangelistæ circa hoc narrant duntaxat rem à CHRISTO in cœna gestam, affirmantes eum tria fecisse. Primò quidem panem & uinum consecrasse, & in corpus suum & sanguinem uertisse, deinde utrúmque consecratum, discipulis suis dedisse. At per nullum horum, habetur sacramenti institutio, sed commemorantur res duntaxat gestæ, in præsentia discipulorum. Neque enim ullum uerbum est à Christo prolatum, ante illa uerba. Hoc facite in meam commemorationem, quod uirtute ac ui

sua

cite distributionem compræhẽdimus. Itaq; *quòd hic quoque sensus eliciatur.* Distribuite, *sicut ego distribui.* Distribuite *itaq; non minus calicem, quàm panem.* Præterea Paulus *non solis loquitur sacerdotibus qui erant* Corinthi, *sed loquitur omnibus tàm sacerdotibus quàm laicis,* 1.Cor.11 *qbus nõ solum permisit, sed etiã præcepit cõmunionẽ calicis.* Ego *(inquit) accepi à* Dño, *quod et tradidi uobis. Quid quæso* Paule *tradidisti?* Hoc *quod à* Dño *accepi.* Et *quid illud?* Vt *integrũ pcipiant* Corinthij *sacramentum. Sicut tradidi uobis præcepta mea tenetis.* Vbi *tradere idem est, quod præcipere. Quid enim aliud est præcepta tradere, quàm præcipere?* Præcipio *itaq; ut id fiat, quod sicut accepi à* Domino *tradidi uobis, ac totiens panem ac calicem repeto, laicis interim scribens, ut dubitare de utroq; sumendo nequeas.* Ad *hæc* Ioannis *6. cap.* Christi *non minùs laicis quàm sacerdotibus loquitur, dicens:* Nisi *manducaueritis carnem filij hominis, &c.* In *quo capite, non sit neganda susceptio spiritualis, intelligitur tamen rectè ac conuenienter de susceptione sacramentali, quod uel ex eo solo probabitur, quod* Pontifices *cum doctoribus, ac reliquis ferè* Concilijs, *hunc locum, quoties commemoratio fieret huius sanctißimi sacramẽti, legendum censuerunt, quod sanè nequaquã indicassent, si non sacramenti fieret mentio.* Et

illum discumbentium, tàm decerminatè expressissent, tres Euangelistæ, si alij tū adfuissent conuiuæ præter 12. Apostolos. Neq; id ita certò numero definitū esset in Euãgelio, aut tã exactè ibi foret explicatū, si nõ soli fuißet ibi Apostoli, sed interfuißēt illi cõuiuio et alij. Porro si plures q̃ 12. fuissent, unū poculū tot conuiuis non sufficisset. Adhæc, non alijs tum loquebatur, q̃ ijs quibus ante porrexerat poculū dicēs. Accipite hoc, & diuidite inter uos. Et hij 12. erãt, ut planè testatur Lucas. Solis ergo 12. loquut⁹ est Christus. Quare tã rationi, q̃ scripturæ cõsentaneū est, solis Apostolis dictū fuisse. Bibite ex hoc oēs. Malè ergo hoc loco scripturam deprauãt, qui cõtendūt istud omnibus Christianis fuisse dictū, quod solis dictū fuit Apostolis. Huc accedit, q Christus q dixit. Bibite ex hoc oēs, etiã adiecit. Hoc facite in meã cõmemorationē. Quod utiq; solis Apostolis dixit, qbus cõsecrãdi potestatē tribuit & sacerdotes ordinauit. Nã non solū seipsum sub specie panis & uini sumēdū discipulis suis tradidit, sed etiã præcepit, ut in sui cõmemorationē hoc ipsum facerent, quod ipse tū faciebat dicēs. Hoc facite in meam cõmemorationem. Contulit itaq; Christus Apostolis suis potestatem super corpus suū uerū, ut consecrarent & conficerent Eucharistiæ sacramentū, in quo ipse uerè sumitur pcepit ergo Apostolis, ut in sui memoriã sacramen-

Matth. 26.
Lucæ 22.

mentũ hoc conficerent, consecrarent, offerrent, & sumerent. Horum autem successores sunt. Episcopi et sacerdotes, nõ laici. *Si enim ista uerba.* Bibite ex hoc omnes, *citra discrimen, tàm laicis quàm sacerdotibus dicta sunt, nihil distabit inter sacerdotem & laicum, sed omnes ex æquo erunt sacerdotes.* Non ergo *sine discrimine quosuis fideles comprehendit particula illa uniuersalitatis, sed duntaxat eos qui tùm aderant præsentes, ad quos sermo ille Christi tunc dirigebatur, nimirum ad 12. Apostolos, quibus tunc dixit dominus.* Hoc *facite, &c.* Non aũt *dixit, hoc date, aut tradite alijs sacramentũ, neq; etiã ait illis, hoc mysterium cõmunicate populo sub gemina specie, quia de faciẽda alijs communione, ibidem nullum uerbum fecit.* Itaq; *particula illa uniuersalitatis laicos nõ complectitur.* Deinde *si hæc uerba.* Bibite *ex hoc omnes, non solos Apostolos, sed omnes obligant fideles, ubi manebunt infantes, quibus neutra specierum datur? quomodo saluabuntur, quia nón manducant carnem, nec bibunt sanguinẽ* Christi? *Sed dicis, olim infantes quoq; ad communionẽ admissos.* Quod *nos quoq; non negamus, sed ex eo argumentum pro* Ecclesia *contra te colligimus.* Quum Christus *dicit.* Bibite *ex hoc omnes, & tamen nihilominus* Ecclesia *bonis iustißimisq; rationibus permota, infantes penitus à communione amouerit,*

uerit, quare non eadem autoritate ob legitimas & æquas rationes credis Ecclesiam permotam, & potuisse, & iustè aboleuisse consuetudinem, qua laici olim, sub utráque specie solebant recipere hoc sacramentum? Itaque *si illa uerba Christi complecterentur omnes in uniuersum fideles, sequeretur sacramētum hoc sub duplici specie dandum esse pueris & uagientibus in cunis, qui per baptismum uerè facti fideles, utpote membra Christi, qui ius habent in omnibus bonis & donis ipsius. Sequeretur præterea dandum esse morionibus ac usu rationis priuatis.* Quod *est contra* Paulum *dicentem.* Probet *autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat pueri autem & stulti, seipsos probare nō possunt.* Vnde *nec pueris, nec morionibus dandū est hoc sacramentum. Si autē uolueris hæc uerba Christi contrahere ad eos solos, qui rationis usu potiuntur, eadem libertate contrahere & mihi licebit ad solos Apostolos & eorum successores sacerdotes, cùm hæc uerba sine utráque exceptione ponantur expresse.* Hoc *idem uidetur probari per clausulam quam saluator adiecit ad calicem (uidelicet & pro multis) dum ait.* Hic *est calix sanguinis mei, q pro uobis & pro multis effundetur.* Si *enim in uerbis* Christi *ad* Apostolos *in cœna circa hoc sacramentum dictis, hæc uerba.* Bibite *ex hoc*

 omnes,

omnes, ad omnes fideles referuntur, ad quos quæso referuntur uerba præmissa. Et pro multis? Nam qui sunt illi multi, pro quibus sanguis Christi effusus est? Non utiq; erunt fideles uniuersi, inter quos plurimi sunt, qui hinc migrant antequam rationis usum habeant, ut probare seipsos non poßint, & sic de pane illo edere. Sūt etiam inter eos plurimi, pro quibus licet sit effusus sanguis Christi, non tamen in remißionem peccatorum, non quidem defectu aut uitio sanguinis Christi (quem scholastici dicunt pro omnibus passum sufficiēter, licet non efficaciter, eò quòd paßio Christi quosdam non saluet, quibus non communicatur per fidem aut fidei sacramēta, aut suo ipsorum uitio aut neglectu) sed sua ipsorum culpa ac impœnitentia. Proinde in illis uerbis Christi, non retinentur uniuersi fideles inclusi. Præterea cùm Marcus scribat. Et biberunt ex illo omnes, sequetur omnes fideles reuera ac reipsa tunc communicasse, in præfata cœna, cum 12. Apostolis, si ista uerba Christi. Bibite ex hoc omnes, comprehendunt omnes in uniuersum fideles, & tamen non fuerunt præsentes omnes. Ex quibus omnibus infertur prædicta uerba ad solos Apostolos esse referenda, qui soli tunc aderant Christo, quos omnes hoc modo communicauit, tanquam primos huius sacramenti perceptores, & futuros Ecclesiæ ministros,

ſtros, & non ad omnes fideles. Referuntur quoque ad Apoſtolorum communicationem, non ad ſacramenti inſtitutionem, & legis (de modo ſumendi) promulgationem. Nam hæc per uerba ſubnexa exprimitur. Hoc facite in meam commemorationem. Nec enim Euangeliſtæ, nec Paulus Corinthijs præſcripſerunt modum communionis, ſed tantùm proponunt myſterium in ſancta Euchariſtia contentũ, & modum in quo à Chriſto inſtitutum eſt, modus autem ſumendi, illis uerbis exprimitur. Hoc facite in meã cõmemorationẽ, quod ad Apoſtolos & eorũ ſucceſſores pertinere, ſatis abundè demonſtratũ eſſe confidimus. Itaq; propter hæc Chriſti uerba, immeritò damnatur tota Eccleſia Catholica, quæ ſufficere iudicat, non ſolùm laicis, ſed etiam ſacerdotibus extra miſſæ ſacrificium communicantibus, alteram duntaxat ſpeciem. Quum enim non conſecrant ipſi, ſed laicorum more ſuſcipiunt ab alterius ſacerdotis manu, iam ſolum ſub ſpecie panis eis iſtud ſacramentum communicatur. Quotiens autem ipſi hoc ſacramentum conſecrant, & tanquam ſacrificium offerunt Deo communicare debent ſub utraq; ſpecie quemadmodum ſuprà declaratum eſt. Et hæc quidẽ pro ſolutione poſterioris argumenti dicta ſufficiãt.

Quantum ad ſextum cap. Ioannis attinet admittimus libẽter uerba Chriſti ibidẽ prolata de

sacramentali susceptione esse intelligenda, sed negamus ibi Christum communionem utriúsque speciei praecepisse. Vti enim dictum est, nihil definit de utraq; specie panis & uini scilicet, sed expreßè duntaxat loquitur de carne & sanguine suo, panis subinde faciens mentionem, nullam prorsus uini. Loquitur quidem non solum sacerdotibus, sed etiam laicis, quia solius speciei panis meminit. Neque etiam tantum urget quantum apparet prima fronte quod contendunt Paulum *praecepisse communionem utriusque speciei, eô quòd acceperit à* Domino, *quod & tradiderit eis, nimirum ut* Corinthij *integrum percipiant sacramentum, quod tradere idem sit quod praecipere, & tradat nō solū sacerdotibus, sed etiā laicis scribens.* Verū *quidē est* Paulū *non solū presbyteris, sed* Ecclesiæ *& omnibus* Christi *fidelibus, qui erant* Corinthi, *tradidisse de hoc sacramēto, sed negandū est* Paulum *ibidem praecepisse omnibus fidelibus cōmunionem calicis.* Nam Paulus *recenset tantùm* Corinthijs, *id quod ipse priùs de hoc sacramento acceperat à* Christo, *& quid* Christus *in ultima cum discipulis coena hoc instituendo sacramentum egerit & dixerit, nudis & simplicibus uerbis recenset, quēadmodū &* Euāgelistæ *fecerūt, hoc maximè spectans, ut maiorem eis erga sacramentū hoc reuerentiā incuteret ac inculcaret, si*

múlq;

múlque tolleret abusum qui iam apud eos aliquantulum inoleuerat ac inualescere cœperat. Nullum autem illis Paulus præceptum de Eucharistia dedit. Cum enim ad Eucharistiæ materiam peruenisset, nullius præcepti mentionem fecit. Quod autem ait. Hoc autem præcipio non laudans, quòd non in melius sed in deterius conuenit, &c. Præcepit inordinationem, abusum, et reliqua (quæ malè irrepserant) tolli. Nā Corinthios intellexerat, in multis deliquisse in usu huius sacramenti. Sed & Paulus in illa epistola uniuersalitatem illam, cui potißimùm, sed frustra (uti ostensum est) innituntur aduersarij, nimirum. Bibite ex hoc oēs, penitus omisit, ne qua fortaßis inde raperetur ansa credēdi à posteris, sibi uidelicet fore necessariū, ut sanguinem è calice potarent, quemadmodum & sacerdotes iā faciunt. Et fortè Paulus prǽuidit (Propheta enim erat) hunc tandem aliquando inualiturū morem, quem iam prorsus inoleuisse conspicimus. Sed Paulus dicit se accepiße à Domino, quod & tradidit, non solùm de pane, uerumetiam de calice. Tradere autem idem est quod præcipere. Quid enim aliud est tradere quàm præcepta dare? Sicut tradidi uobis præcepta mea tenetis. Certè quamuis traditionis nomen aliquando cōtractiùs, & aliquando largiùs accipiatur pro doctrina quouis modo primit⁹ tradita, siue

 oretenus,

oretenus, siue per scripturam, quemadmodũ accipit S. Paulus 2. Tess. 2. ubi doctrinam per Epistolam & per sermonem acceptam, generali nomine Traditiones uocat, & S. Stephanus Act. 6. legem scriptam Moysi, traditionem nuncupat, tamen apud Paulum hoc loco contractiùs sumitur, pro doctrina oretenus primitꝰ accepta, siue postea scripturis sacris fuerit demandata, siue non: priùs enim quod à Domino acceperat, tradiderat illis uiua uoce, deinde postmodũ epistola missa (quæ locum in canonicis scripturis obtinuit) scripto tradidit. Si enim in priore ad Thessalo. epist. cap. 4. nonnulla quæ priùs tradiderat, scripto recenset. Rogamus (inquit) uos, & obsecramus in Iesu ut quemadmodum accepistis à nobis quomodo oporteat uos ambulare et placere Deo; sic etiam ambuletis ut abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim uobis per Dominum Iesum, &c. Sic etiam Matthæi ultimo Christus Apostolis præcepit, ut docerent gẽtes seruare omnia, quæcunq; ipse mandauit & tradidit illis, quorum multa postea ab Apostolis & discipulis Domini, sunt scripturis commẽdata. Deniq; totũ Euangeliũ hoc modo sub Traditionis nomine comprehenditur, quia primò Christi et Apostolorum uiua uoce dißeminatũ, postmodùm per sanctos Euangelistas in scripturas est digestum. Sed quocũq; modo accipias

siue

siue largiùs, siue contractiùs, tradere idem (inquit) est quod præcipere. Quid enim aliud est præcepta dare quàm præcipere? Sicut tradidi uobis (inquit) præcepta mea tenetis. Sed ibi non loquitur de Eucharistia, sed de alijs, & maximè de ijs quorum mentionem facit subijciendo, nimirum ut uir oret aperto capite, mulier autem uelato. Quod autē de ijs præceptis loquatur, quæ pri⁹ dederat uel tradiderat, sed nō ab omnibus obseruabantur, sed à quibusdam tantùm. Theophylactus haud obscuris uerbis indicat dicēs. Postquā de idolothytis sermonem absoluit, qui certè de rebus grauibus habitus est leuius quoddam in præsentiarum delictum castigat & corrigit. Solet enim grauioribus minora intermiscere facinora. Quæ erant illa si quæras. Nimirum quod detecta & reuelata facie orabant mulieres, & prædicabant futura. Quippe quæ tunc temporis uaticinarentur. Viri autem comā supplicando & uaticinādo promitterent, ut qui philosophiæ studerent. Quod sanè Græcæ erat legis uel institutio, uel eius gentis mos patrius & prisca consuetudo. Hos itaq; & si prædicando antea castigasset, præsenti sibi paruerunt nonnulli multi etiam in pertinacia persistiterunt. Eos itaque quos sibi morigeros habuisset, hunc in modum alloquitur. Laudo equidem uos quoniā mei in cunctis memoriā habuistis.

buistis. Nā si unum erat, cuius eos insimulasset, sed ne capillum promitterent, néue protenderēt Romam. Vos tamen (inquit) per omnia mei me mores estis. Solet Paulus mitioribus uerbis leni re, quos à uitijs sperat ad bonum traducere. Sicut tradidi uobis præcepta mea tenetis. Liquet ex his cum Paulum, tum Apostolos reliquos, haud quaquam omnia literis mandasse præcepta, que populus tradidissent, hactenus ille. Ex cuius uerbis manifestum est, Paulum non solùm loqui de præceptis quæ dederat de uelandis mulieribus, & non uelandis uiris, sed etiam de illis que epistolis suis uō inseruerat. Sed tradere (inquit) idem est quod præcipere. Quid enim aliud est præcepta dare, quàm præcipere? Verùm est, præcepta dare, idem est quod præcipere, sed negamus Paulū hoc loco de Eucharistia aliquod præceptum dedisse, nisi quod præcepit abusum tolli. Deinde quod dicit, tradere idem est quod præcipere, non est uniuersaliter uerum, cum plerumq; pura doctrina fidei tradi soleat, ut persuadeatur hominibus absq; aliquo præcepto quo cogantur ad credendum, quemadmodum fecit Paulus. 1. Corint. 15. dicens. Notum uobis facio fratres Euangeliū quod prædicaui uobis &c. Tradidi enim uobis in primis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est &c. Sic & Thessalonicensibus tradidit Euāgeliū dicens. 1. Thess. 2.

Vole-

Volebamus tradere uobis, non solùm Euangelium Dei,*sed etiam animas nostras.*Deniq; *argumẽtum quod sequitur, iam superiùs solutum est & partim motum ubi ostensum est, sub hoc uerbo facite, minimè comprehendi dare alijs calicem aut distribuere.*Ergo *quod dicit, confictum esse, solis* Apostolis *esse dictum, hoc facite in meam commemorationem, & in uerbo facite distributionem debere comprehendi, ut hic sensus eliciatur, distribuite sicut ego distribui, & ideo non minus calicem, quam panem esse distribuendum omnibus, falsum est.*Iam *enim ostendimus ea uerba hoc facite, & cæt. Solis* Apostolis *esse dicta quibus* CHRISTVS *præceptum dedit, ut hoc facerent, quod ipse fecit, ut uidelicet ex pane & uino conficent* Eucharistiæ *sacramentum in suam commemorationem, ut in sui memoriam sacramentum hoc ipsi conficerent, consecrarent, offerrent et sumerent,* Non *autem præcepit illis ut sic distribuerent.* Non *ergo comprehendi debet in hoc uerbo facite distributio, ut hic sit sensus, distribuite sicut ego distribui.*Nam *facere potius idem est quòd consecrare ac offerre, non autem distribuere.* In *illis. nempe uerbis, nudum factum proponitur, quod debeat in* Ecclesia *continuari, & nullum datur præceptum, de modo sumendi uel faciendi, uel distribuẽdi.*Quẽadmodũ *enim dictũ est, prono-*

men

men demonstratiuum hoc respicit Sacramentum Eucharistiæ in singulari, non partiales eius consecrationes & distributiones uel porrectiones in plurali. Pronomē enim hoc demõstrat uni uniuersitatē præmissorū quēadmodū dictū est.

Cæterum iam clarū ac perspicuū esse credimus, hanc sacræ cõmunionis consuetudinē, sub altera tãtùm specie, nulli scripturarum præcepto repugnare. Et quoniã nusquã in sacra scriptura reperitur mãdatū aliquod de cõmunione Eucharistiæ sub utraq; specie, manifestū est nõ obligari Christi fideles p præceptū in diuino iure scriptū ad cõmunionē utriúsq; speciei, ut certum sit et indubitatū, aduersarios nõ autoritate scripturæ, sed uoluntariè asserere, illicitã esse communionem sub specie panis tantùm. Nõ igitur damnanda est Ecclesia Catholica, quæ consuetudinem quam inuenit, tandem decreto Concilij œcumenici firmauit. Nõ enim existimandū est, hūc ritum communicandi sub specie panis tantū receptum esse ex ulla institutione, aut Synodali, aut Romani Pontificis (quæ nullum huic rei inuenitur dedisse initium) sed ex interno quodam consensu Christi fidelium, atq; orthodoxū præsulū, cõsiderantium, nullã esse necessitatē, laicos cõmunicandi sub utraq; specie, neq; ulla utilitate eosdem fraudari, sed sub specie panis integrū Christum, & gratiæ plenitudinē illis exhiberi.

Con-

Consensu ergo quodam tacito, tàm populi quã cleri sensim irrepsit dicta consuetudo. Nam *uisis tot periculis, quæ toties pridẽ acciderũt per* Ec*clesias, ubi cõmunio utriúsq; speciei frequẽtari solebat, ea res quasi tacitis omniũ suffragijs recepta fuit, priusquã ullo* Conciliorũ *decreto, fuisset firmata,* Quod *euidẽter patet, cõpluribꝰ diuersorũ authorũ libris, lõgè ante* conciliũ Cõ*stantiense aut* Basiliense *cõscriptis ac æditis, ut nulla penitus egeat probatione.* Vnde Conciliũ Con*stãtiense* Seß*ione.13.definiuit, ut cõsuetudo (quã de cõmunione sub una duntaxat specie exhibẽda tũ asserebãt ab* Ecclesia *fuisse receptam, deinceps obseruaretur.* Et *cunctis sacerdotibus inhibuit, atq; id sub excõmunicationis pœna, ne quisquã eorum populũ cõmunicaret sub utraq; specie.* Insuper *uelut hæreticos puniẽdos decreuit, qcunq; suæ sanctioni de conmunicatione sub una specie cõtradixerint.* Idq; *factũ fuit nõ solũ ob lõgeuã cõsuetudinẽ quæ pcesserat in* Ecclesia: *uerumetiã post exactißimã eiꝰ, ab eruditißimis iuxtà ac sanctißimis uiris discußionẽ habitã.* Sẽ*tẽtia* Cõcilij *hæc est.* Cũ *in nonnullis mundi partibus, quidam temerariè asserere præsumant, populũ* Christianũ *debere sacramentũ* Euchari*stiæ, sub utraq; panis & uini specie suscipere & nõ solũ sub specie panis, sed etiã sub specie uini, populũ laicũ paßim cõmunicent etiã post cœnã* Primus ver. sequẽtis pag redundat.

uel

men demõstratiuum hoc respicit Sacramentum uel aliàs & non ieiuni, et communicandum esse pertinaciter asseuerant, contra laudabilem cõsuetudinẽ rationabiliter approbatã, tanq̃ sacrilegã dãnabiliter reprobare conantur, hinc est, quod hoc præsens Cõciliũ sacrũ generale Cõstãtiẽse, in spiritusancto legitimè cõgregatum, aduersus hũc errorẽ, saluti fideliũ prouidere satagẽs, matura plurimũ doctorũ, tã diuini q̃ humani iuris, deliberatione præhabita declarat, decernit, & definit, quod licet Christus post cœnã instituerit, & suis discipulis administrauerit, sub utraq; specie panis & uini hoc uenerabile sacramentũ, hac nõ obstante, sacrorũ canonũ autoritas laudabilis, & approbata cõsuetudo Ecclesiæ seruauit & seruat, quod huiusmodi sacramẽtũ nõ debet cõfici post cœnã, neq; à fidelibus recipi nõ ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alteri⁹ necessitatis, à iure uel Ecclesia concesso & admisso. Et sicut hæc consuetudo ad euitanda pericula aliqua & scandala, rationabiliter introducta est, sic potuit simili aut maiori ratione introduci, & rationabiliter obseruari, quod licet in primitiua Ecclesia, huiusmodi sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraq; specie, tamen postea à conficientibus sub utraq;, & à laicis tantùm sub specie panis suscipiatur, cũ firmißimẽ credendum sit & nullatenus dubitandum, integrum

grum

grum Christi corpus & sanguinem, tàm sub specie panis & quàm sub specie uini, ueraciter con tineri. Vnde cùm huiusmodi consuetudo ab Ecclesia & Sanctis patribus rationabiliter introducta, & diutißimè obseruata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ autoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quod hāc consuetudinem aut legem obseruare, sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum. Et pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam hæretici arcendi sunt, & grauiter puniendi per diocesanos locorum seu officiales eorum, aut inquisitores hæreticæ prauitatis, in regnis seu prouincijs, in quibus contra hoc decretum, aliquid fuerit forsan attentatum aut præsumptum, iuxta canonicas & legittimas sanctiones, in fauorem Catholicæ fidei, contra hæreticos & eorum salubriter adinnentas &c. In Concilio quoq; Basilieñ, dicta consuetudo omnibus Christianis pro lege seruari præcipitur, Seßione. 30. ubi sic legitur. Laudabilis quoq; cōsuetudo, cōmunicandi laicum populū sub una specie, à sanctis patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutißimè obseruata & à doctoribus diuinæ legis. sacrorū canonum, atq; sanctarū scripturarū multā peritiā habentibus, iā à longeuo tēpore cōmendata pro lege habēda est, nec alicui licitū est eā reprobare;

Luc. 22.

aut sine autoritate Ecclesiæ, ipsam immutare.

Porro hæc consuetudo, magno consensu & magna Laicorum omnium pace ac concordia, obseruata fuit seculis aliquot (neq; enim certum ullum eius obseruationis inuenitur initium) usq; ad Ioannem Hus & Hieronymum Pragensem, qui eam reuocauerunt in dubium, donec à Concilio Constantiensi approbaretur, & contrarium dogmatizantes condemnarentur. Et certè longè ante Conciliũ Constantiense p uniuersam Ecclesiam hæc laudabilis consuetudo per aliquot secula inoleuerat, & consensione fidelium roborata erat, ut hoc meritò potuerit & debuerit sufficere omnibus Christianis. Nam (ut ait S. Aug. in epist. quã uocãt fundamẽti contra Manichæũ) illud uerè securum est asserere, quod in gubernatione Ecclesiæ Dei, saluatoris nostri Iesum Christi, uniuersalis Ecclesiæ consensione roboratũ est. Ceterũ quoniã nunc satis liquet longo tẽpore ante Conciliũ Cõstantiẽse, cõsuetudinẽ priorẽ penitus desiisse, & posteriorem per totam Ecclesiã unanimiter fuisse receptã, & postmodum decreto Ecclesiæ confirmatam, iam paucis demõstrandum erit, adimere laicis alteram speciem, Ecclesiam decuisse. & hoc eam fecisse instinctu spiritus sancti: denique eam hoc potuisse facere.

Decuit itaque Ecclesiam hoc facere quia in hoc nõ solum imitatata est exẽplum Christi, qui

duobus

duobus in Ema' corp' suũ dedit sub specie panis tantũ, et Apostolorũ, q in Actis Apost. idipsum fecerũt, quẽadmodũ ostẽsum est, sed etiã plurima pericula euitauit, quæ cõmunionem utriusq; speciei cõsequebantur. Poterat enim nasci error plerisq; simplicioribꝰ q sub specie panis solũ corpꝰ, uelut quoddã exãgue cadauer, et sub uini specie, solꝰ sanguis Christi cõtineretur, nõ uerò sub utraq; integer totꝰ Christꝰ, aut q crederẽt q̃ddã ampliꝰ sub uini, q̃ sub specie panis cõtineri, & cũ fortè qbusdã laborãtibus in extremis, cõmodè nõ poterat exhiberi uini species, qdã poterãt suspicari nõ esse integrè cõmunicatos. Plerumq; etiã (q horrẽdũ cogitatu) cõtingebat, ut Christi sanguinis in terrã effunderetur. Quod nõ benè p̃cauei poterat, in tãta hoĩm turba, in qua sunt iuuenes & uirgines, senes cũ iunioribus, pueri & stupidi pleriq;. Sed & in uasis non benè seruatis creberrimè corrũpebatur: neq; enim diu seruari potest eiuscemodi liquor, quãtũuis adhibita fuerit diligẽtia periculũ ergo erat in cõseruatione uini, ne uini species in acetũ uerteretur, tempore æstatis, uel hyeme congelaretur quum parochi tenerentur eã propter ægrótos semp habere paratã. Periculũ etiã erat cũ ad morituros portaretur, siue q̃s eques aut pedes sanguinẽ ferret. Deferendum enim plerumq; erat, per lõga uiarũ interualla, in quibus sacerdos deferens posset

collabi in terram, & sacrum sanguinem effunde re periculum quoq; sumpturis, maximè his qui nauseā (ut nōnulli solēt) ex gustato uino facilè paterētur. Adhæc apud nationes quasdam uini raritas non sufficeret ad communionem omniū. Si enim in quibusdā regionibus uix satis est uini pro missarum celebratione, quomodo sufficeret in tanta multitudine? propter hæc itaq; & alia multa emergētia pericula euitāda, decuit Ecclesiā laicis uini speciē subtrahere. Decuit enim Ecclesiam omnia illa tollere, per quæ hoc diuinissimū sacramētū quouis modo posset inhonorari. Cum enim ei honor maximus debeatur, reuerētiaq; maxima, summopere cauendū erat, ne aliqua fieret iniuria aut irreuerentia tanto sacramēto. Summa aūt iniuria, summaq; ei fieret irreuerētia, si in sumentibus non fuisset adhibita debita cura, ne quid sanguinis effunderetur, & daretur sanctum canibus ac magaritæ spargantur ante porcos. Cū itaq; nō desinit (ea enim est quorundam hominū rusticitas & socordia) qui uix citra discrimen aut iniuriam sacramēti huius, illud suscipiūt sub specie panis, quomodo absq; iniuria ac irreuerentia etiam sub specie uini suscipiēt? & propterea rectè dicimus Ecclesiā hoc fecisse instinctu spiritussancti eô quòd consuetudinē consensu fidelium cōfirmatā decretis œcumenicorum Cōciliorū (quæ spiritussancti instinctu

&

& magisterio regũtur) cõfirmauit ac corroborauit. Quis enim addubitare poterit, quin Ecclesia spiritusancto regatur? nisi forte Christi credere nolit Euangelio, in quo Ecclesiæ promissus est spiritussanct⁹, spirit⁹ ueritatis: Docebit omnia (inquit) & suggeret uobis omnia. Ad quid est aliud suggerere, quã insinuare siue ministrare menti, quicquid est ueritatis Christianæ? Certũ est ergo spiritũ istũ ueritatis, in Ecclesia ppetuò manere, Ecclesiã instruere, eã ducere in oẽm ueritatẽ, ei annunciare, suggerere, subministrare ac insinuare qcquid est ueritatis Christianæ, & illustrare ea, quæ à Christo dicta sunt. Nunq̃ enim permisit Ecclesiã errare. Errasset aũt, si cõtra uerbũ Christi (ut aduersarij dicũt laicis unã speciẽ subtraxisset. Adhæc, quoniã de scripturis plerumq; dißidia nascuntur, etiã apud doctißimos, necesse est præter scripturas) & p̃ter unius aut alterius interpretationẽ Christianis scopũ quendã, aut normã quandã ac regulã præfigi, cui se in cũctis, quæ sunt credituri, cõformẽt, & quæ in omnibus cõtrouersiis debeat spectari. Sed ijs scopus atq; eadẽ regula, est totius Ecclesiæ consensus, atq; decretũ. Is autem consensus, quum aliter haberi non poßit, saltem explicitus, quam per præsidium cuiuslibet nationis, totius orbis Christiani cõgregationẽ in unũ aliquẽ locũ accitã (nã ut oẽs Christiani, simul unà cõuo- Ioan 14. & 16.

centur, prorsus est impoßibile(congruum fuit. ut quoties inter Christianos lis aliqua de credendis suboriretur, Episcopi de quáque natione Christianitatis statim conuenirent, litis illius dirimendæ gratia. Quibus spiritussancti afflatũ, nunquã defuisse aut defuturũ in legittime coacto Cõcilio, certò confitendũ est. Quia itaq; hæc lis in Cõcilijs œcumenicis determinata ac definita est, nõ dubiũ quin hoc spiritussancti afflatu ac instinctu factum sit. Quapropter Eucharistiæ dispensatio, quã maior et sanior pars Ecclesiæ, tot annis approbauit, & hodie approbat, et quæ iam ex authoritate Ecclesiæ recepta est, defendenda ac tenenda est, donec Ecclesiæ autoritate restituatur prioris dispẽsationis modus, nec quisquã ante Ecclesiæ determinationẽ recedere debet ab ea sentẽtia, quã modò tenet Ecclesia Catholica et Orthodoxa, si uer⁹ german⁹ et obediẽs Ecclesiæ filius cẽseri uelit. Cæterũ doceãt si possunt aduersarij, aut errasse Ecclesiã, aut aliquas proferãt scripturas, qbus contentiosas suas obiectiões probẽt, aut in statuẽdo sapiẽtiores se esse demonstrarent, quã illa, in qua tot doctißimi, sanctißimique homines tanto tempore fuerunt, ut meritò tribuendum ampliùs sit, tot milibus hominum, tot doctis præstantibúsque uiris, tàm longinquæ temporum autoritati, atque adeò totius Ecclesiæ Catholicæ consensui quã aduersa-

riorum

riorum nouitati ac paucitati. Ecclesiam autem hoc potuisse iam comprobandum erit. Et quidem etiam si Ecclesia, nullum haberet uel exemplum uel testimonium ex sacris scripturis de una specie (quod tamen superiùs demonstrauimus esse falsum) haberet tamen nihilominus facultatem ac potestatem id faciendi, propter euitanda pericula, quum nusquam sit ei prohibitum. Siquidem unam speciem laicis dandam, Christus nusquam prohibuit, sed Ecclesiæ dispositioni reliquit & liberum fecit. Imò idipsum proprio quoque exemplo & doctrina sua confirmauit, quemadmodum de duobus euntibus in Emaus ostensum est, quibus Christus corpus suum sub specie panis duntaxat exhibuit. Apud Ioãnem uerbo capite sexto idipsum quoque doctrina sua confirmauit, ubi (sicuti dictum est) plerúmque loquitur de pane, nullam mentionem faciens calicis. Sed & in ueteri testamento, plerúmque figuraliter huius panis fit mentio, ubi calicis nulla. Exod. 16. hic est panis, quem dedit uobis Dominus ad uescendum. Psal. 77. Panem cœli dedit eis, panem Angelorum mãducauit homo. Sap. 16. Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis. Vbi nulla fit mentio uel calicis uel uini. Cæterum etiam si clarè in scripturis cõprehensum expressumq; esset (quod tamẽ

non est) ut laicis utraq; species dari debeat, nihilominus tamen haberet Ecclesia, ius facultatem, ac potestatem mutandi ex iustis causis eiuscemodi praeceptum, quarum multae superiùs à uobis commemoratae sunt. Huius rei exempla, habemus in scripturis plurima. Nimirùm de sabbato Exod. 20.31. Leuit. 25. Num. 15. Deutr. 5. &c. Quod Ecclesia absque scriptura abrogauit, & in locum eius Dominicam diem, de qua nulla extat scriptura, abrogauit. Item de circumcisione Genes. 17. Iosue quinto, quae Apostolorum adhuc tempore erat. 1. Corinth. 7. Actorum decimosexto. & 21. Postea uerò est ab Ecclesia prorsus abrogata & prohibita. Item de celebrando paschate Exod. 12. Leuit. 23. Num. 28. &c. Quod Ecclesia itidem absque scriptura mutauit, ne Iudaizare uideamur. Quod si quis dixerit, haec ad caeremonialia ueteris legis pertinere, quae Christus morte sua abrogauit, ueniamus ad nouum testamentum, & inuenimus Christum praecepisse Apostolis suis Matth. 28. & Marci 16. ut baptizarent credentes in nomine patris & filij & spiritussancti. Attamen sancti Apostoli praeceptum hoc ex iustis causis, aliquãdiu intermiserunt baptizãtes in nomine Iesu Christi. Act. 2. 8. 10. 19. &c. Imò nusquã scriptum inuenies, baptizasse eos in nomine S.

& inuiduæ Trinitatis, neq; in scriptis suis eius nominis mentionem fecerunt, quum esset in fide paruulis, nimis altum ac incomprehensibile. Porro si Ecclesia potuit immutare Christi institutum in re maioris momenti & necessitatis, cur non idipsum posit in re minoris necessitatis? Constat autem baptismum, esse sacramentum maioris necessitatis, quàm sit Eucharistiæ sacramentum, cùm ingredi quis non ualeat cœlum, qui lauacbro regenerationis nõ fuerit ablutus, posit autem absque Eucharistiæ perceptione. Quis igitur ex hoc non intelligit potuisse Ecclesiam nonnihil circa Eucharistiæ sacramentum dispensare, quæ circa baptismum tantùm ausa fuit immutare? Si enim illud Christi de baptismo institutum, quod Christianis omnibus adeò necessarium est, non formidauit Ecclesia in aliam uariare formam (id quod neutiquam fecisset, si nõ secura fuisset, id sibi ut faceret licuisse) quare nõ concedimus Ecclesiæ, eandem autoritatem in hoc Sacramento? Aut dicant mihi aduersarij, quo loco Christus hanc uariationem fieri permisit, aut quibus scripturis præcepit? Quod si non possunt, concedant Ecclesiam ampliùs aliquid posse, quàm sacris scripturis proditum est. Et ut ad alia ueniamus, nónne Actorum 15. præcipiebant Apostoli, abstinere à sanguine & suffocato, quod tamen

Christus Matth. 15. antea liberum fecerat quod nihilominus Ecclesia absq; scriptura rursus liberum fecit? Nónne Paulus in 1. epist. ad Cor. c. 11. præcepit ut uiri comam non nutriant, & mulieres non sint detecto capite, quod tamen Ecclesia similiter absq; scriptura liberum fecit? Itaq; cùm decuerit Ecclesiam laicis alteram speciem adimere, hocq; fecerit instinctu spiritussancti, & potestatem ac facultatem id ipsum faciendi habuerit, & Christus iubeat nos audire Ecclesiam Matt. decimooctauo & Paulus præcipiat nobis, ut obediamus propositis nostris, Hebr. 13. ut quid Ecclesiæ ex iustis rationibus iubenti ut hoc sacramentum laicis sub una specie porrigatur, resistimus ampliùs, cur non obtemperamus? Præcipuè cùm Dominus dicat eum esse habendum ut Ethnicum & Publicanum, qui Ecclesiam non audit? Cùm etiam qui Ecclesiam in prædicto decreto spernit, is spernat Christum, & patrem eius Deum. Qui uos audit (inquit) me audit, & qui uos spernit, me spernit, & qui me spernit, spernit & eum qui misit me. Qui ergo spernit hoc edictum Ecclesiæ, is spernit Christũ & patrem eius. Mendacij quoque arguit Christum in sua promissione Ioan. 14. & 16. qui existimat Ecclesiam in hoc errasse, & peccat contra ueritatem in spiritum sanctum, & spernit eundum qui cum Ecclesia est in æternum, eamq; docet.

docet omnia. Quàm graue autem sit eiuscemodi peccatum, declarat Christus Matt. 12. quia non remittetur, neq; in hoc seculo, neq; in futuro.

Ex omnibus quæ nunc dicta sunt, rectè colligitur, quod in proximè sequēti interrogatorio habetur, nimirum.

Vigesimotertiò. An credat piè et religiose, ob euitationē multorum periculorum & scandalorum, à Constantiensi & Basiliensi Concilijs cōstitutum esse, consuetudinem Ecclesiæ, communicandi laicos sub vna specie, non vt sacrilegam damnandam, sed vt piam & rationabilem obseruandam esse, donec generali cōcilio aliud statuatur.



Ed & haud difficulter responderi potest ad ea, quæ Velsius ad præcedens interrogatorium aduersus ueritatem respondit. Nam symbola, uimi quidem & efficaciam ex instituto Christi habent, inuisibilis gratiæ cuius sunt symbola, circumscribendæ, ac in se cōplectendæ, repræsentandæ,

ac fi-

ac fidelium mentibus exhibendæ atque offerendæ, sed in diuinißimo Eucharistiæ sacramento, sub externis symbolis siue speciebus panis & uini, reuera substantialiter & essentialiter continetur uerum & uiuificum corpus Christi, & eiusdē pretiosißimus sanguis. Nec est simile quod Velsius pro simili adfert, perinde (inquiens) ut ex hominum instituto, hæc uox, corpus animantis (talis notionis animo exhibendæ, & rursus hæc uox, anima, talis. Nam sub hac uoce corpus animantis, non realiter continetur corpus animantis, sed solùm notio animantis animo exhibetur, & sub hac uoce anima, non reuera continetur anima, sed notio animæ, exhibetur animo. At in hoc augustißimo Sacramento, sub speciebus panis & uini (quemadmodum frequentiùs dictum est) uerum corpus & sanguis Christi continetur. Velsius. Quemadmodum igitur absurdum iudicaremus, si quis à nobis exigeret, ut tantundem sub uoce corporis eiusmodi contineri, quantum sub utraq; censeremus, quod cum corpore animantis, quādiu uiuit, anima sit coniuncta, ita arbitror ab omni ratione alienum, cum sub distinctis symbolis, panis quidem corpus, uini autem sanguinem suum credentium animis offerret, & exhiberi instituerit Christus, idq; per modum testamenti, intercedente ipsius testatoris morte, qua demum ratione te-

Mat. 26.
1. Cor. 11.
Heb 9.

stamentum ratum firmumq; est, ita, ut ne homi-nis quidem licet sit, nemo id irritum faciat, aut addat aliquid, præuaricando ac uiolãdo Christi institutũ, tantundẽ sub una, quantũ utraq; specie cõtineri, asserere, maximè cum eius contrariũ aperte doceat Paulus, inquiens. Poculum bene-dictionis, cui benedicimus, nónne communicatio est sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nónne communicatio est corporis Christi? Slo-tanus. Iam ostendimus dißimilitudinem, quæ est inter has uoces, & symbola huius sacramen-ti. Nam illæ uoces nihil præter notiones earum rerum quas repræsentant animo exhibent. Hic autem sub externis symbolis uera caro & san-guis Christi continentur. Et cùm non sit caro mortua, neq; exanguis, quemadmodum superi-ùs satis expositum est, tantundem sub specie pa-nis continetur, percipitur, ac sumitur, quantum sub utraq;. Quod autem Christus, sub distinctis symbolis, panis quidem, corpus, uini autem san-guinem suum, credentium animis offerri & ex-hiberi instituerit ut Velsius loquitur, quid ue-ritatis habeat iam dicẽdum. Et quidem superiùs dictum est, quomodo cibus iste sit spiritualis, & animæ pabulum, ut tamen nihilominus reuera sit uera caro & sanguis Christi, ut etiam hoc lo co cognoscas, quomodo credentium animis cor-pus suum offerre & exhiberi instituerit Chri-stus.

1, Cor. 10.

ſtus. Porro Chriſtus inſtituit quidem corpus & ſanguinem ſuum ſub diſtinctis ſymbolis panis & uini in nouißima cœna, ueruntamē nuſquā præcepit ut ſub diſtinctis ſymbolis panis & uini omnibus Chriſti fidelibus daretur ac exhiberetur, neque uſquam docuit communionem alterius ſpeciei eſſe illicitam, impiam & ſacrilegam, quinimò exemplo & doctrina ipſam potiùs confirmauit, quemadmodum ex ſuperioribus dilucidum eſt. Deinde etiam quoniam perfectio huius ſacramenti, non eſt in uſu fidelium, ſed in cōſecratione materiæ, quam facit ſacerdos, ad quē ſpectat hoc ſacramentum, conſecrare & perficere, ipſe quidem corpus & ſanguinem Chriſti ſub diſtinctis ſpeciebus ſumit, nihil tamen derogat perfectioni huius ſacramenti, ſi laici ſumāt corpus & ſanguinem Domini ſub ſpecie panis duntaxat, modo ſacerdos conſecrans accipiat ſub utráque ſpecie. Sacerdotum munus eſt, ſacramentum hoc conſecrare, non laicorū, & ideò eorum eſt eandem ſub utraq; ſpecie ſumere, quod laicorum non eſt, qui eandem cum ſacerdotibus in hoc ſacramento non habent poteſtatem. Euchariſtia etiam ſacrificium eſt. Sacrificia autem offerre Domino, ſacerdotum eſt, non laicorum. Propterea ſacerdotes in hoc ſacramento, Chriſtum offerre debent Deo patri, in memoriā unici illius ſacrificij, in ara crucis ſemel oblati, in quo ſan-

sanguis Christi reuera separatus fuit à corpore eius, unde seorsum quoque sacerdotes sanguinem consecrant & sumunt, quòd sanguis seorsum consecratus à corpore, expreßiùs repræsentet paßionem Christi. Denique Christus instituit corpus suum consecrandum, sumendum, offerendum in hoc sacramento sub utraq; specie per Apostolos, quos tùm sacerdotes ad id muneris consecrauit, dicens. Hoc facite in meam commemorationem. Quum ergo sacerdos qui offert sacrificium, eiusdem sacrificij priùs debeat esse particeps, quia corpus & sanguinem Domini sub utráque specie offert, etiam sub utráque specie sumere debet, quemadmodum superiùs declaratum est fusiùs.

Quantum uerò attinet ad hoc quod Christus instituerit corpus suum & sanguinem exhibendum credentium animis sub distinctis symbolis panis & uini, per modum testamenti, intercedente ipsius testatoris morte, &c. respondeo Christum instituisse quidem corpus suum & sanguinem per modum testamenti, intercedente ipsius testatoris morte, qua ratione testamentum ratum firmumq; est (nam sanguis Christi est confirmatiuus noui, quemadmodum etiam sanguis hircorum & uitulorum erat ueteris testamenti) & instituisse sub distinctis symbolis, ratione promissa, uerumtamen non instituit ut p modũ

testa-

testamenti sub distinctis symbolis omnibus indifferenter exhiberetur: Vt *enim nusquam utrámque speciem omnibus dandam præcepit, ita alteram quoq; neutiquam tanquam illicitam inhibuit.* Non ergo Ecclesia, *quæ laicis alteram adimit speciem, irritum facit testamentum* Christi, *neque addit aliquid, præuaricando ac uiolãdo* Christi *institutum, sed ipsius institutum, exemplum & doctrinam ad amußim obseruat.* Nã *quemadmodum* Christus *solis* Apostolis *corpus suum & sanguinem sub distinctis symbolis exhibuit, duobus autem discipulis euntibus in* Emaus, *qui* Apostoli *non erant, nec ultimæ cœnæ interfuerant, duntaxat sub panis specie sumendũ dereliquit, ita* Ecclesia *solis sacerdotibus,* Apostolorum *successoribus, sub distinctis symbolis panis & uini consecrandum offerendum & sumendum tradit, alijs autem tantum sub specie panis.*

Nec *est uerum quod uelsius ait:* Paulum *contrarium apertè docere cùm inquit.* Poculum *benedictionis, cui benedicimus, &c. quemadmodũ ex supradictis liquet.* Hoc *enim de sacerdotibus. non de laicis intelligendum est.* Quis *etenim calici unquam benedixit, nisi sacerdos? aut quis alius frangit cœlestem illum panem?* Vtrumq; *profectò ad sacerdotes, nõ autem ad laicos pertinet.* Falsißimum *est itaque quod calumniator*

Vel=

Velsius adijcit Catholicos & Orthodoxos, temeritatis, impietatis, & sacrilegij damnandos, cum suis, non adulterinis ut ipse ait, sed legitimis et in spiritusancto congregatis concilijs. Nã *haudquaquam Dei præceptum (non enim Christus utramq; speciẽ omnibus præcepit) propter suam traditionem transgreßi sunt, sed Christi exemplum & doctrinam sequuti, cõsuetudinem laudabilem quam in Ecclesiis introductam inuenerunt, aduersus quosdam nouatores & præcipuè Bohemos, tanquam rationabilem & bonam, suo decreto comprobarunt. Et licet laicos altera specie priuarunt, nõ tamen fructu & utilitate eiusdem, quemadmodum ex superioribus liquet.*

Quare quicunq; pius & Catholicus censeri uult, hac in re Ecclesiæ obtemperare debet, & altera specie esse contentus, donec generali Concilio aliud statuatur.

DE SACRIFICIO Missæ.

Vigesimoquartò. An credat verum corpus & sanguinem Christi in Eucharistia, verum & Deo gratum sacrificium eße, quod Deo pro viuis & mortuis, in Ecclesia iugiter doce-

nec Christus ad iudicandum redierit, sit offerendum.



Stensuri corpus & sanguinem Christi in Eucharistia, uerum sacrificium esse, operæpretium duximus admonere lectorem, missam (in qua corpus & sanguis Christi, offeruntur Deo patri (secundũ propriam rationem, non esse ipsum altaris sacramentum, sed diuinum officium quo secundùm constitutionẽ Ecclesiæ, ab Apostolis edoctæ, Eucharistiæ sacramentum consecratur, complectẽs sacrarum literarum lectiones, fidei professionem, pias orationes, oblationẽ corporis & sanguinis Domini, *tanquam partes suas. Est autem antiquum uocabulum, à synagoga (ut pleriq; uolunt) ad* Ecclesiam *traductum, eò quòd ab* A*postolis ex* Hebraica *lingua, in usum* Ecclesiasti*cum assumptum sit, & deinde à patribus ab* A*postolorum tempore, in hunc usque diem retentum, illoq;, hoc altaris sacrificium nuncupatum.*

Et certè antiquitatẽ missæ, de qua loquimur, in qua hostia salutaris offertur Deo *abundè testatur sanctißimus* Pontifex, *& inuictißimus martyr* Dionysius Areopagita, *beatißimi* Pau*li* Apostoli *discipulus, q in lib. de* Eccles. Hiera. *c.3. (si rectè expendatur) inuenitur admodũ mul*

ta scribere, quæ cæremonijs, quas in missa obseruamus) conueniunt, quas non est dubium ipsum ab Apostolis accepisse, ut argumentum aduersariorum planè appareat ridiculum & uanum, quo solent sacrosanctum ac uenerandum missæ sacrificium, sordidis ac adeò fœdis rebus comparare, ut illud conferant cum pannis mēdicorum, uolentes missam à pluribus & diuersis esse compositam & augmentatam, quemadmodum lacerum cuiuspiam mendici pallium, quod ex alijs atque alijs pannis consutum atq; contextum est. Sed percurramus quid sanctißimus pater Dionysius *de sanctißimæ synaxeos mysterijs scriptum nobis reliquit ex ritu* Apostolico. *Pontifex (inquit) ubi orationem sanctam, supra diuinum altare peregit, ex ipso incensum adolere incohans, omnem phani ambitum circuit. Demum ad sanctum altare iterum rediens, Psalmorum incipit melos, concinentibus secum sacra carmina omnibus* Ecclesiastici *ordinis gradibus, deinde ministrorum officio, sanctarū scripturarum lectio, suo ordine recitatur. Post hæc extra delubrum cathecumini fiunt, & cum ipsis energumini, & ij quoq; qui in pœnitentia sunt, manent autem intus soli, qui diuina spectare merentur atque percipere. Porro ministrorum, alij quidem pro clausis templi foribus astant, alij proprij aliquid muneris agunt. Qui uerò*

Mysteria deificæ synaxeos, hoc est, sanctissimæ cōmunionis tēpore beatissimi Dionysij.

ipsius ordinis præcipui sunt, unà cum sacerdotibus sanctum panem & benedictionis calicem sacrosanctis altaribus imponunt, cũ antè præcesserit ab omni clero uniuersalis laus atq; confeßio. Ad hæc uenerandus Antistes, *orationem sanctissimam peragens, pacem sanctam omnibus nunciat, & cum se mutuò omnes salutauerint, mystica sanctorum recitatio fit. Vbi uerò manus, tum* Antistes, *tùm sacerdotes aqua lauerunt,* Pontifex *ad medium diuini aßistat altaris, circunstãt autem soli cum sacerdotibus electi quiq; ex ministrorum numero.*

At uerò Pontifex *cum diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustißima mysteria conficit, & quæ antè laudauerat uenerandis opta atq; abdita signis, in conspectũ agit, diuináque munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum cõmunionem & ipse conuertitur, et relquos ut cõmunicent hortatur. Sũpta demũ atq; omnibus tradita cõmunione diuina, gratias referẽs finem mysterijs imponit.* Hæc ille. Et *ut clariùs omnia pspicias optimè lector, subijcere non grauabor formulam quam* Stapulensis *ibidem in scholijs suis subiecit, qua representarentur mysteria deificæ synaxeos, hoc est, sanctißimæ communionis, quæ fuerunt tempore* Apostolorum. Et *sunt hæc.*

Quæ præsentis Ecclesiæ *ritus obseruat.*

Ponti-

Pōtifex ſupra ſacroſanctū altare orat, obſeruat.
Ab altari incenſum adolere incipiens, phanum circuit obſeruat particulariter.
Ad altare rediens, Pſalmos cum Eccleſiaſticis ordinibus canit
Sacrarum ſcripturarum lectio recitatur, obſeruat, ſed alio modo.
Poſt ſacram lectionem, Cathecumini, Apoſtatæ, Energumini, et pœnitentes, extra tēplū agūtur.
Intus ſoli manent, qui diuina uidere merentur, Pontifex, ſacerdotes, miniſtri, & plebs ſancta.
Miniſtrorum quidā clauſis tēpli foribus aſtant, quidā altaribus inſeruiunt, alij uerò quiſq; quod ſuum eſt officium peragunt.
Omnium Catholica laus, et ſymboli fidei confeſſio canitur. obſeruat.
Miniſtrorum præcipui cum ſacerdotibus, ſanctū panem & benedictionis calicem, ſanctis altaribus imponunt obſeruat partim.
Pontifex omnibus pacem nunciat. obſeruat.
Se caſtiſſimo pacis oſculo ſalutant omnes.
Poſtea myſtica piorum ſanctorum recitatio fit.
Pontifex & ſacerdotes, manus abluunt obſeruat partim.
Pontifex ad medium ſacrati regreditur altaris obſeruat.
Eum ſacerdotes & ſelecti miniſtrorum aliqui circumſtant, obſeruat.

Pontifex diuinorum numerū laudes sanctißimū
Conficit sacramentum obseruat.
In cōspectum agit, diuinarum operationum mu
nera, reuerenter ostendens. obseruat.
Communicat. (
Reliquos ad sanctißimam & consummantem cō
munionem adhortatur. (seruat.
Gratias agēs, finē sanctis mysterijs imponit, ob=

Ecce habes ritū, cōfectionis sacratißimæ Eucharistiæ, tēpore Apostolorū obseruari solitū à Dionysio explicatū, q in tertia parte capitis tertij Eccles. Hierarchiæ, horū sanctorū rituum ratione copiosè explicat, ubi inter cætera rationē reddens cur mystica piorū sanctorū fiat recitatio, sic inqt. Enimuero sanctorū post pacē illam noīm prædicatio, eos præconio attollit, qui piè sanctèq; uixerūt, & ad finē usq; uirtutis uitā cōstanter nusq̄ ab ea deflectēdo tenuerunt, nos q̄dē ad imitandū beatißimū illorū habitū, atq; ad diuina appetēda p̄mia, prouocās ac ducēs, &c. Et post pauca. Sed et illud quoq; sacratiùs intuere, q̄ impositis sancto altari uenerabilib⁹ signis, p quæ Christus signatur ac sumitur, adest protinus atq; incunctāter sanctorū descriptio, cōiunctionē eorū indiuiduā, unionēq; cū illo altißimā indicās. Hic habes qd significet sanctorū in hoc sacrificio missæ recitatio, ac sanctorū noīm prædicatio, quod etiā modò obseruat Ecclesia, q̄ in

sacro

ſacro canone ante cõſecrationẽ et poſt, ſanctorũ hoĩm, cũ Chriſto regnãtiũ memoriã recenſet, ut mirũ ſit hoc Stapulenſem non adnotaſſe ꝑ uerbũ obſeruat. Porro quũ Eccleſia Apoſtolorũ temporibus tot ritus in celebratione miſſæ obſeruarit, & id proculdubio ex Apoſtolorũ inſtitutione, nónne rectè feciſſe cẽſentur pij eorũ ſucceſſores, qui tẽporis ſucceſſu, creſcẽte religione Chriſtiana, & deuotione fideliũ, quædã addiderunt, quæ uel ad laudẽ Dei & gratiarum actionẽ, uel ad orationem, uel deuotionẽ ſpectarent? Et tamẽ inter ea ſunt pleraq;, quæ non tã addidiſſe credendi ſunt, q̃ definiuiſſe ac determinaſſe, ut ea quæ Eccleſia ab Apoſtolis acceperat, nec tamen unanimiter propter perſecutiones paganorum obſeruabat, concordi ſententia ubiuis gentium ſeruarentur. Ipſi enim ea nõ per ſe primo ſtatuerunt, ſed priùs ab Apoſtolis inſtituta, publicarunt, & per totã Eccleſiã obſeruanda, demandarunt, aut minutulũ quid immutarunt. Quẽadmodũ enim Moyſes circũciſionẽ inſtituiſſe dicitur, cũ tñ antè longo tẽpore ipſius uidelicet Abrahæ tradita fuerit. Vnde Chriſt⁹ ait. Moyſes dedit uobis circũciſionẽ, nõ q̃a ex Moyſe eſt, ſed ex patrib⁹. Sic etiã Põtifices q̃dã pleraq; in miſſa ſtatuiſſe dicũtur, nõ ꝙ primũ ab ipſis ſint ſtatuta, ſed ab Apoſtolis iã antea tradita fuerint, Põtificib⁹ tñ tribuũtur, quoniã ab ipſis fuerũt uniuerſaliter Ioan. 17.

publicata. Valeant igitur aduersarij, qui uolunt missam esse tàm nudam ut simpliciter fiat, sicut primus à Christo instituta fuit, abiectis omnibus cæremonijs & additamentis. Quia si nihil debet in missa fieri, nisi quod Christ⁹ cū Apostolis fecit in cœna, deberet Ecclesia semp̄ missā celebrare inter cœnandū, siue post cœnam, quod tamen nec facit, nec facere debet, quemadmodū S. Cyprianus testatur lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium scribens. Quum cœnamus ad conuiuium nostrū, plebem conuocare nō possumus, ut sacramēti ueritatē omni præsente celebrem⁹. At enim nō manè, sed post cœnam, mixtum calicē obtulit Dñs. Nunquid ergo dominicam post cœnam celebrare debem⁹, ut sic mixtū calicē frequentādis dñicis offeramus? Christum offerre oportebat circa uesperam diei, ut hora ipsa sacrificij ostenderet, occasum & uesperā mūdi, sicut in Exod. scriptum est. Et occidēt illū omne uulgus synagogæ filiorum Israel ad uesperā. Et iterum in Psalmis. Eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum. Nos autē resurrectionē Dñi manè celebramus. Et S. Aug. ad inquisitiones Ianuarij. Liquidò apparet (inquit) quando primùm acceperunt discipuli, corpus & sanguinē Dñi, non eos accepisse ieiunos. Nunquid tñ propterea, calumniādum est uniuersæ Ecclesiæ, quod à ieiunis semp̄ accipitur? Ex hoc enim placuit spirituisancto,

ut

ut in honore tanti sacramenti, in os Christiani, prius dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nã ideo p uniuersum orbẽ mos iste seruatur. Neq; enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum conuenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit & emendat, mensis suis ista miscere. Nã saluator quò uehemẽtiùs cõmendaret mysterij illius altitudinẽ, ultimum hoc uoluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad paßionem digressurus erat. Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis (per quos Ecclesias dispositurus erat) seruaret hunc locum. Vnde dicit Apostolus. Cætera quum uenero ordinabo. Vnde intelligi datur, quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem uniuersa per orbẽ seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diuersitate uariatur. Idẽ quoq; ibidem tantùm tribuit consuetudini, ut dicat nullam esse in his meliorem disciplinam, graui prudentiq; Christiano, q̃ ut eo modo agat, quo agere uiderit Ecclesiã, ad quãcunq; fortè deuenerit. Quod enim (inqt) neq; contra fidem, neq; contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorũ inter quos uiuitur societate seruãdũ est. Illa enim, quæ non scripta, sed tradita custodimus, 1. Cor. 11.

quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, datur intelligi, uel ab ipſis Apoſtolis, uel plenarijs Concilijs (quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima autoritas, commendata atq; ſtatuta retineri, ſicuti quod Domini paßio, & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & aduentus de cœlo ſpiritusſancti, anniuerſaria ſolennitate celebrantur. Hactenus ille. Itaque ea quæ in ſacroſancto miſſæ ſacrificio, his quæ à Chriſto in nouißima cœna ſunt inſtituta, ſunt addita, non dubium quin ab ipſis Apoſtolis, ſint adiecta, quemadmodum nunc ex Dionyſio demonſtratum eſt, aut certè ſi qui ſucceſſores eorum aliquid uideātur adieciſſe, id potiùs quod Apoſtolis quidem traditum, ſed ob perſecutiones gentilium nóndum adhuc ſatis diuulgatum, & proinde non unanimiter obſeruatum, credendū uideatur eorū decreto ita obſeruandū ſancitū ac roboratum eſſe. Qui aūt dubitat etiā hodie Eccleſiā poſſe, ſicut et olim potuit, rit⁹ & cæremonias & ei⁹ generis multa, ſupaddere, dubitet etiā oportet, Chriſtū Apoſtolis in cœna dixiſſe. Adhuc multa habeo uobis dicere, ſed nō poteſtis portare modò. Quū autem uenerit ſpiritus ille ueritatis, docebit uos oēm ueritatē, & quæ uentura ſunt annunciabit uobis. Neq; enim deſerere poteſt Eccleſiā ſuam, q in cœlū cōſcenſurus, promiſit ſeſe manſurū cū ea uſq; ad conſummationē ſeculi. Quis enim uſq̄

uiuit

uiuit,aut tā impius,aut tā omnino stupidus,qui Ecclesiam corpus Christi mysticum,sic laceratā censeat,ut ubi mēbrorum omnium cōpago sit il linc caput putet esse diuulsum, ut is qui carnem (quā sumpsit) nunquam deseruit Ecclesiā,propter quam sumpsit carnem, deseruerit, & cum qua (ut dictum est) se promisit ad finem usq; seculi permāsurum,ab ea prorsus ita absuerit,ut nō erudiret eā in religione & cultu diuino? Sed de his hactenus ista sufficiant. Nam propter mentionem sanctißimi patris Dionysii, cuius uerba citauimus,longius fortasse progreßi,nunc reuocamus pedem ad ostendendum missam esse sacrificium,& rem optimam ac saluberrimā, in qua pro uiuorum ac defunctorum salute quotidie offertur in Ecclesia Dei Eucharistia sacrosancta corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi,& idcirco peßime agere,qui rem tantæ utilitatis ac excellentiæ exibilant,ac hæreticorum more blasphemant: principio itaq; sciendum est, Eucharistiam non solū esse sacramentum, sed etiam sacrificium uerū nouæ legis, à Christo institutum, non solùm ut in cibum detur populo, sed etiam ut in sui memoriam offeratur Deo. Nā Christus in cœna nouißima, transiturus de hoc mundo ad patrem,accepto pane gratias egit & fregit,deditq; discipulis suis dicens. Hoc est corpus meū,quod pro uobis tradetur. Quib⁹ uerbis Matth.26. Marc 14. Luc.22 1.Cor.11

Chri-

Christus apertè insinuauit Eucharistiã, et sacramentũ & sacrificiũ esse. Sacramentũ quidem in
Ephes 5. eo quod dixit. Hoc uidelicet quod porrigebat sub specie panis) est corpus meum. Sacrificiũ autē in eo quod addidit, quod pro uobis tradetur, scilicet in mortem, per mortem enim suam tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiã Deo in odorem suauitatis. Idē enim corpus suũ quod sub specie panis discipulis porrexit in cœna, sub propria specie obtulit in cruce, atque id quod in cœna inchoauit, in cruce consummauit. Sed & alijs Christi uerbis, comprobatur institutio immolationis Eucharistiæ, apud Lucam peculiariter, & Paulum, qui tradunt Dominum Iesum post multas actiones in cœna mandasse, hoc facite in mei commemorationem. Hoc inquam, quod ego in cœna feci, & in cruce perfeci, hoc ipsum facite in meam commemorationem. Quum autem constet Apostolis sacerdotalem potestatem à Christo in cœna collatã, quibus & iussit, ut quod ipse fecerat, hoc ipsum etiam facerent, consequens profecto est, ut sacerdotes non solùm consecrent & sumant Christi corpus in missa, sed etiam immolent seu offerãt, & proinde Eucharistiam siue missam etiam uerum esse sacrificium, nèdum sacramentum. Porro hæc uerba Domini. Hoc facite &c, quia uerba sunt Christi, benè sunt expendēda, tùm pro-

nomen hoc, tùm uerbum facite, tùm in mei commemorationem. Ad intelligendum itaq; demonstratum per pronomē hoc, inspicienda sunt quæ præmittūtur. Præmittitur autem quod Iesus acceepit panem, gratias egit, fregit dedit, dixit accipite comedite, hoc est corpus meum, quod pro uobis frangitur, uel secundū Lucam datur. Statimq; subiunxit. Hoc facite in mei commemorationem. Pronomen itaq; hoc, quum non artetur, ad demonstrandum aliquod præmissorum, & ad aliquod præmissorum non demonstrandum, consequēs est demonstret omnia quæ præmittuntur. Verbum quoq; facite, multa inuoluit mysteria. Nam nō dixit, hoc dicite, sed hoc facite, ut significaretur id quod mandat, non consistere in dicendo, sed in faciendo, quodq; dicere hic interueniens, nō propter dicere, sed propter facere sit, ut intelligeremus, uerba consecrationis, esse uerba efficientia illud quod significant. Et adiungendo in mei commemorationem, distinguit facere à cōmemorare, ut significantiùs non dixerit, hoc commemorate, sed hoc facite in mei commorationem. Mandat itaq; Dominus Iesus, hoc, id est, uniuersa præmissa. facere in memoriam sui. Actus ergo faciendi hoc, mandatur relatus, ad recordationem Domini Iesu. Ex eo autē, quod sub illis uerbis hoc facite, compræhēditur nō solùm facere corpus Christi, sed etiam facere

Chri-

corp⁹ Christi quod frāgitur seu datur ꝓ nobis, manifestū est Dn̄m Iesum mādasse, facite corpus meū, quod ꝓ uobis frāgitur & datur. Perinde aūt *est quod pro uobis frangitur & datur, ac si dice retur quod pro uobis immolatur,* Neq; *enim ali ter frāgitur aut datur nisi pro quanto in cruce, frāgitur & datur, (hoc est immolatur) pro uo-bis, facere autem corpus meum quod pro uobis immolatur ut sic, perinde est ac facere corpus meum, quatenus pro uobis immolatur.*

Dicēdo *itaq; quod pro uobis frāgitur seu da tur, significat faciendū esse corpus suum quate nus pro nobis offertur. & hoc in sui cōmemora tionem.* Porro *ex eo quod facere hoc in Christi memoriam, plus est quàm consecrādo facere cor pus* Christi, *quia est etiam facere corpus Chri-sti, quod datur & frāgitur pro nobis, et plus est quā recordari Christi (quia est facere Christi corp⁹ quod datur ac frāgitur pro nobis in Chri-sti recordationem) & dari ac frangi pro nobis est immolari pro nobis,* (Nam *dari significat in genere offerri, frangi uerò significat in specie modum offerendi, per fractionem scilicet.* De-*dit enim semetipsum* Deo *in cruce fractione ma-nuum pedum ac lateris pro nobis) consequitur Christum mādasse ut hoc facerent immolatitio modo in sui commemorationem: facere enim cor pus* Christi *quod immolatur, est facere illud im-*

molando

molando, seu per modum immolationis. Nã *sic duntaxat fit à nobis corp⁹ Christi, quatenus immolatur,* Nã *facto non fit à nobis corpus Christi quatenus immolatur, nisi utrũq; facto impleatur, uidelicet & cõsecrãdo facere corpus Christi, & immolando facere quod datur & frangitur pro nobis adiuncto tertio, uidelicet in* Iesu *Christi memoriam. Cæterũ si ipsas res gestas in cœna dominica obseruemus, inueniem⁹ quia quadret institutio institutioni, factum facto, & immolatio immolationi.* Cœna *siquidem agni paschalis, instituta in memoriam eductionis de* Aegypto, *in facto consistebat immolationis, ita quod ipsa cœna, erat immolatio paschalis agni. Similiter nãq;* Dominus Iesus, *cõpleto sacrificio paschalis agni, instituit nouum nostrum pascha seipsum ut immolatur, dicendo hoc est corpus meum quod pro uobis datur ac frãgitur, hoc facite in mei memoriã, ut ipsa surrogatione, noui paschatis pro ueteri, loqueretur ac diceret.* Pascha *illud fecistis immolando communi cœna, & hoc facite immolando cõmuni mensa, in mei cõmemorationẽ ita quod ex ipsa surrogatione noui paschatis ueteri significatur, quòd dicendo hoc facite in mei memoriã intelligitur de facere immolatitio modo, nã & immolatitio modo fecerat uetus pascha.* Hũc *autem esse germanũ sensum mãdati istius testãtur*

tur etiam facta recitata à Paulo 1. Cor. 10. Cōnumerat siquidem Paulus, panem sanctum & poculum & sanguinis Christi inter immolata, supputat mensam nostram inter altaria, decernit medentes & bibētes de mensa Domini, *inter cōedentes & bibentes immolata.* Ex quibus *claré patet, tùm* Apostolos *intellexisse mandatū Christi hoc facite in mei memoriam, de facere immolando* Eucharistiā, *tum* Apostolorū *tēpore* Eucharistiā, *fuisse in* Christi Ecclesia, *non solum sacramentum, sed etiam sacrificium, tum in sacra scriptura, & non solū in usu* Ecclesiæ *& libris doctorum, haberi, immolationem corporis & sanguinis* Domini. *Verba autem* Apostoli *sunt hæc.* Fugite *ab idolorum cultura ut prudentibus loquor uosipsi iudicate quod dico.* Calix *benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis* Christi *est?* Panis *quem frangimus nónne participatio corporis Christi est?* Quoniam *unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus.* Videte *Israel secundùm carnem.* Nónne *qui edunt hostias participes sunt altaris.* Quid *ergo?* Dico *quod idôlis immolatum sit aliquid aut quod idôlum sit aliquid?* Sed *quæ immolant gentes, dæmonijs immolant & non* Deo. Nolo *autē uos socios fieri dæmoniorum.* Non *potestis mensæ* Domini *particeps esse & mēsæ dæmoniorū.*

Ex

Ex his enim manifestè patet, Apostolum inter uictimas Israelis & immolata dæmonijs, recēsere panē quem frangimus, & poculū benedictionis, & inter altare Israelis, & mensam dæmoniorum, mensam Domini, *& inter edentes uictimas altaris* Israel, *& edentes immolata dæmonijs, edentes de mensa* Domini, *& bibentes de illius poculo, & huiusmodi ratione inferre, quod non possunt immolatorum* Deo *& dæmonibus participes esse.* Nisi *enim immolata essent* Deo, *panis & calix Christi, uniuersa* Pauli *fabrica ex immolatis tàm* Deo *uerò ab Israele, quàm immolatis dæmonijs à gentibus, surgēs, rueret. Sed hoc tàm clarum est testimonium, quòd panis & calix Christi,* tempore Pauli immolabātur, vt nostra clarificatione non indigeat. *Porro hæc non solùm sunt intelligenda, de hoc sacramento, ut offertur sub specie panis, ut uidelicet sit sacrificiū, quia non minùs euidēter patet hoc sacramentum esse sacrificium, ut offertur sub specie uini, quàm ut offertur sub specie panis. Euangelistæ enim dominicam cœnam describentes, quēadmodum de pane referunt Christum dixisse, hoc est corpus meū, & addidisse, quod pro uobis frangitur uel datur, ita quoque de calice narrant, Christum dixisse, hic est sanguis meus* Noui *Testamenti, uel, hic est calix* Nouum *Testamentum in meo sanguine, & addidisse, qui*

pro multis effundetur in remißionẽ peccatorũ, uel q̃ pro uobis fundetur. Quorũ testimonio liquet Eucharistiã siue mißã, simul esse sacramẽtũ & sacrificiũ, ut offertur sub specie uini. Ex hoc enim quod Christ⁹ sanguinẽ suũ, sub specie uini discipulis dedit, manifestũ est Eucharistiã esse sacramẽtũ. Quod aũt addit, q̃ ꝑ multis siue ꝑ uobis effundetur, quod adimpletũ est in cruce, indicat eã esse sacrificiũ. Quũ igitur Apostoli eũdẽ sanguinẽ sub specie uini sumpserint in cœna, quẽ Christ⁹ effundẽdo obtulit in cruce, & sacerdotib⁹ iussũ sit, ut idẽ faciãt celebrãdo, quod ipse fecit, seq̃tur ꝓculdubio, Eucharistiã siue mißã, nõ tãtũ esse Sacramẽtũ, sed etiã nouæ legis uerũ sacrificiũ, à Christo institutũ. Porrò ex uerbis eiusdẽ Apostoli aptißimè colligitur, Christũ hoc sacrificiũ, nõ solũ ut sacramẽtũ,
1. Cor. 11. sed etiã ut sacrificiũ instituisse. Satis enim nobis documẽto esse potest, si iste textus iungatur p̃cedẽti, Christũ Eucharistiã nõ solũ instituisse ut sacramentũ, sed etiã ut sacrificiũ, Apostolos quoq; hoc sacramentum Ecclesiæ commẽdasse, ut sacrificium. Quid enim ait? Ego accepi à Domino, quod et tradidi uobis, &c. Ex hoc quod Paulus dicit se tradidisse Corinth. quod acceperit à Domino, de Eucharistia, discimus, id quod acceperat à Dño, et eis tradiderat, fuisse ritũ cõmunicãdi & accipiẽdi hoc Sacramẽtũ, q iã usitat⁹ erat apud Corint. de quo ritu mẽtionẽ fecerat cap. p̃cedẽti, quũ diceret: Fugite ab idolorũ cultura, &c. quẽadmodũ iã citatũ est: Quæ quidẽ uerba S. Aug. lib. 20. cõtra Fau-

Faustũ ca.18.tactãs,ita scribit.Verũ sacrificiũ, quod uni uero debetur Deo,quo ei⁹ altare solus Christ⁹ impleuit,in uictimis pecorũ imitata dæmonia,sibi arrogãter exposcũt. Vnde dicit Apostolus. Quæ immolãt gẽtes,dæmonijs immolãt,& nõ Deo,nõ quod offerebatur culpãs,sed qa illis offerebatur. Hebræi aũt in uictimis pecorũ,quas offerebãt deo,multis et uarijs modis,sicut re tãta dignũ erat,ꝓphetiã celebrabãt futuræ uictimæ,quã Christ⁹ obtulit. vnde iã Christiani,ꝑacti eiusdẽ sacrificij memoriã celebrãt sacrosancta oblatiõe et participatiõe corporis et sanguinis Christi. Et li.1.cõtra aduersariũ legis et prophetarũ c.32.aptι⁹ scribit in hæc uerba. Ideo addidit Apostol⁹ secũdũ carnẽ,qa est Israel secũdũ spiritũ, q ueteres umbras iã nõ seqtur,sed eã consequẽtẽ,quæ illis umbris præcedentibus significata est,ueritatẽ. Hæc qppe Ecclesia est Israel secundũ spiritũ,à quo distinguitur ille Israel secundũ carnẽ, q seruiebat in umbris sacrificiorũ, qbus significabatur singulare sacrificiũ,quod nũc offert Israel secundũ spiritũ. De hui⁹ domo non accepit uitulos,neq; de gregibus ei⁹ hircos. Iste immolat Deo sacrificiũ laudis,nõ secundũ ordinẽ Aarõ, sed secũdũ ordinẽ Melchisedech. Nouerũt q legũt, qd ꝓtulerit Melchisedech,qñ benedixit Abrahã. Et si iã sunt participes ei⁹, uidẽt tale sacrificiũ,nũc offerri Deo toto orbe terrarũ. Dei aũt iuratio,incredulorũ est increpatio,et ꝙ deũ nõ pœnitebit, significatio est,qa hoc sacerdotiũ nõ mutabit. Mutauit qppe sacerdotiũ secũdũ

Psal. 109.

Gen. 14

Mala.1 *ordinem Aaron. Vnde alius propheta dicit ad eum, qui carnaliter est Israel.* Non *est mihi uoluntas in uobis dicit* Dominus, *& hostiam nõ accipiam de manibus uestris. Ecce quid est secundùm ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat, addidit, & dicit. Quia ob ortu solis usq; ad occasum, glorificatum est nomen meũ in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & hostia pura, quia magnũ est nomen meũ in gentibus, dicit* Dominus *omnipotens.* Ecce *qd est secundùm ordinem* Melchisedech. Ex *uerbis ergo* Apostoli *liquet, ipsum ritum in* Ecclesia *fuisse, qui & nunc obseruatur, ita quod sumentes* Eucharistiam, *sumant etiam de sacrificio altaris.* Et *quia de sacrificio participant, de immolatis & idolothytis monet* Corinthios, *ut fugiãt culturam idolorum. Quam ob causam & ueteris legis consuetudinem in medium adfert, secundùm quam edentes hostias, erant altaris participes, sicut & gentes dæmonijs immolantes, mẽsæ dæmoniorum erant participes.* Itaque *quum* Paulus *tam accuratè omnia ista de pane & calice attulerit, non est existimandum eum hoc sine causa aut non in loco fecisse, ut clarum sit panẽ & calicem* Domini *tẽpore* Apostolorum *in usu sacrificij fuisse.* Porro *hoc sacrificium corporis & sanguinis* Christi *purum & incontaminatum,* Dominus *ipse* Malachiã *prophetam, longè*

antè

antè prædixerat futurum. Ab ortu enim solis (inquit) usq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo, oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus dicit Dominus exercituum. Præter illa, quæ in festo purificationis Mariæ in fine expositionis Epistolæ, circa hanc prophetiam conscripsimus, paucula quædam ex Ioanne Damasceno adijcere placuit, qui lib. 4. cap. 14. Orthodoxæ fidei, hanc eandem prophetiam de hoc altaris sacrosancto sacrificio, exposuit dicens. Hæc est pura scilicet & incruenta hostia, quam ab ortu usq; ad occasum, ipsi offerri per prophetam Dominus loquitur, corpus uidelicet & sanguis Christi, in stabilimentum animæ nostræ & corporis, in consumptum & incorruptum, non in secessum iens (absit enim) sed in nostram substantiam & conseruationem, omnimodi nocumenti reparatio, sordis omnis purgatio. Hæc ille. Nec solùm iste uenerandus pater, uerumetiam doctores omnes & patres hanc prophetiam, de reprobatione sacrificij Iudæorum, ac electione sacrificij Christianorum, quod nos missam, seu corporis & sanguinis Christi sacrificium nuncupamus, intellexerũt. Nec ualet si quispiam sacrificij missæ negator dicat, prophetam loquutum fuisse, de oblatione, qua Christus semetipsum obtulit in cru- Mala. 1.

ce, hostiam uiuam & cruentam Deo patri *in odorem suauitatis, quoniam ne de hac oblatione possit intelligi, duo prohibent, quorum primum est, quod hæc oblatio prædicatur offerenda in omni loco ab ortu solis usque ad occasum. Christus autem non in omni loco, sed in certo ac determinato & unico loco duntaxat, nimirùm extra* Hierosolimorũ *portas, in monte caluariæ oblatus est. Secundum est quod hæc munda oblatio describatur offerenda in gentibus, cum illa cruenta hostia, oblata sit tantummodo in Iudæa.* Dicitur *autem ista oblatio (qua offertur* Christus Deo patri *in adorando sacrificio altaris) munda, illibata & incontaminata, magis ex seipsa quàm ex offerentium merito.*

Ad hæc S. Cyprianus *lib.* 2. Epist. 3. *Si Christus (inquit) in sacrificio sequendus est, utique id nos audire & facere oportet quod ipse fecit, quódque faciendum mandauit. Sed Christus summus* Dei *sacerdos, sacrificium primus* Deo *patri in cœna obtulit, & hoc fieri in sui commemoratione præcepit, debet igitur sacerdos, qui uice* Christi *uerè fungitur, id imitari quod Christus fecit ipse. Quod autem Christus in cœna immolauerit sacrificium corporis & sanguinis sui, pro confesso habet fides Christiana, sed & ex ordine sacerdotij* Melchisediaci *facilè*

cilè comprobatur. Refert *enim sacra historia* Melchisedech *fuisse sacerdotem* Dei *altißimi.* Proprium *autem officium sacerdotum, quod in sacerdotio primas partes obtinet, est offerre sacrificium, est enim ipsißimum sacerdotij munus, necesse est ergo* Melchisedech *obtulisse sacrificium aliquod uel oblationē, cum enim præcipuum & proprium sit sacerdotij munus, consectaneum est, ut indiuulse illi cohæreat.* Sed Melchisedech *obtulit sacrificiū, in quo typus fuit* Christi. Christus *autem fuit sacerdos secundū ordinē* Melchisedech. *Consequitur obtulisse eum aliq̄d, quo ordinem ac ritum sacerdotij* Melchisediaci *referret.* Porro *non ob quoduis sacrificiū, quouis ritu celebratum, sacerdos dici potest secundùm ordinem* Melchisedech. *Consectaneum itaque est* Melchisedecem *peculiare aliquod sacrificium (non sacerdotum instar legalium, sed ritu incruento) obtulisse, cui* Christus *responderit.* Et *quia non aliud possumus dare, q̃ panis & uini sacrificium, conficitur hoc ipsum esse, cui* Christus *in negotio cœnæ responderit, corpus suum & sanguinem, sub panis & uini speciebus offerens.* Nam *si panem & uinum obtulit* Melchisedech *in typo & figura sacerdotij* Christi, *necesse est ut illi* CHRISTVS *sacrificio aliquo, nimirum corporis & sanguinis, in negotio cœnæ responderit.* His *suffragatur*

S. Cyprianus in serm. de cœna Dñi. Significata (inquit) olim à tempore Melchisedech prodeũt sacramenta, & filijs Abrahæ, facientibus opera eius, summus sacerdos panem profert & uinum. Et lib. 2. epist. 3. ad Cornelium. In sacerdote (inquit) Melchisedech sacrificij dominici sacramentum præfiguratum uidemus, secundùm quòd scriptura diuina testatur & dicit. Et Melchisedech Rex Salem, protulit panem & ui-
Gene. 14. num fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Quod autẽ Melchisedech typum Christi portaret, declarat spiritus sanct⁹ in Psalmis, ex persona patris ad filium dicens. Ante Luciferum generaui te. Iurauit Dominus & nõ pœ-
Psal. 109. nitebit eũ, tu es sacerdos in æternum secundũ ordinem Melchisedech. Qui ordo utiq; hic de sacrificio illo ueniens, & inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem & uinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nã qui magis sacerdos Dei summi, q̃ Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificiũ Deo patri obtulit? Et obtulit hoc idẽ, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & uinum, suũ scilicet corpus & sanguinem. Hæc ille. Huius autẽ sentẽtiæ, totus subscripsit sanctorum & Orthodoxorum, patrum cœtus, qui hunc prophetæ sermonem ita explicant, ut dicant ex eo descendisse ordinem, quòd Melchisedech panem & uinum obtulerit.

Sed adhuc nemini dubium esse potest, quin agnus ille paschalis, qui olim immolabatur in lege ueteri, typus fuerit & figura ueri & immaculati agni paschalis Domini *nostri* Iesu *Christi, qui tulit peccata mundi.* Nam *inter omnia legalia sacrificia, nullum aliud fuit reliquum, quod adeò expreßit ipsum Christum, ac agnus ille Paschalis. Fuit enim hoc præceptum agni* Paschalis*, primum præceptum* Mosaicæ *legis, quod primo eis in ordine inter cæremonialia constitutum est.* Fuit *similiter primum sacrificium, à toto populo* Israelitico *celebratum, & quinquagesimo deinde die, lex fuit data in monte* Sinai*, sicut quinquagesimo die post resurrectionem agni mystici* Iesu *Christi, spiritus sanctus missus est, ad nouæ* Euãgelicæ *legis promulgationem.* Et *sicut agnus paschalis fuit primum sacrificiũ à populo* Iudæorum *in illo statu celebratum, &* Deo *gratum ac acceptum, sic etiam fuit ultimum sacrificium ab eodem populo in illo statu celebratum, & à* Deo *acceptum, & hoc in nouißima cœna saluatoris nostri* Iesu *Christi, in qua ipse figuram & figuratum simul celebrabat, dans terminum figuris, & uera incipiens mysteria corporis & sanguinis sui celebrare, ut ea quæ in lege figurabantur (Vmbram enim habens lex futurorum bonorũ non ipsam imaginem rerum secundũ* Apostolũ*)* Ioan 1. Exod. 12. Heb. 10.

in Euangelio, ipsa ueritate terminarentur. De
Luc. 22 agno typico scriptū est: Venit dies azimorū in
qua necesse erat occidi pascha. Et iterum dicūt
discipuli: Vbi uis paremus tibi pascha? hoc est,
Matth. 26. agnum paschalem, qui secundū legem occidebatur.
De uero agno nostro paschali scribitur, Ec
Ioan 1. ce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. De quo
Apostolus ait: Quia pascha nostrum immolatus
1. Cor. 5. est Christus. Nam & agnus paschalis, & ipsum
etiā festū pascha dicebātur. Ex quibus omnibus
pspicuum est nos habere abolito agno typico uerum
agnum paschalem, immaculatum dominum
nostrum Iesum Christum, saluatorem ac redemptorem
mundi. Oportet ergo ut quod olim agebatur
cum agno typico in figura, agatur iam
cum agno nostro in ueritate. Sed agnus ille typicus
primò immolabatur, deinde edebatur. Vt ergo
ueritas responderet figuræ, necesse fuit in ultima
cœna Christum uerum & immaculatum
nostrum agnum, priusquam à discipulis sumeretur
immolari, quemadmodum etiam nunc primò
immolatur in sacrificio missæ, deinde manducatur
caro agni paschalis in sumptione & com
Exod 12. munione. Cæterum agnū typicum fuisse immolatū
ante esum eius, scriptura in Exod. testatur
dicens: Decima die mēsis huius, tollat unusquisque
agnum per familias & domos suas. Erit
autem agnus absque macula, masculus anniculus

lus & cæt. Immolabitq; eum uniuersa multitudo filiorum Israel ad uesperam & cætera: & edent carnes nocte assas igni, &c. Vide quoque de hac ratione homiliam nostram in die paschæ in epistolam circa illa uerba: Etenim pascha nostrũ immolatus est Christus. Sed & hoc obserua, quod Christus in agno paschali (quem secundum ritum Iudæorũ cum discipulis manducauit) semetipsum prius figuraliter obtulit, finem imponens umbratili Iudæorum sacerdotio simul & sacrificio, abstulit enim primum, ut sequens statueret secundum Apostolum, & deinde mox finita cœna, instituit nouum sacerdotium, & nouum sacrificium Euangelium in pane & uino seipsum offerẽs sacramentaliter. Pro qua re est animaduertendum, Christum eodem die se ter obtulisse, secundum Catholicorum doctorum sententiam. Nam primò quidem in ipsa cœna in agno paschali cum discipulis edendo, secundum ritũ Iudæorum figuraliter. Secundò se Christus obtulit facta iam cœna, in pane & uino benedicendo secundum ritum Christianorum sacramentaliter. Vbi tam sacerdotium quã sacrificium Christianorum, nouum illud ac mũdum, hoc est, missam & cõmunionẽ instituit. Negare enim non possumus, missam ac cõmunionẽ ritum esse à Christo institutum. Tertiò se Christus obtulit, non iam typicè aut sacramentaliter,

Heb. 10.

ter, sed in persona propria, moriendo in cruce uere ac realiter. Vbi tanquam hostia pacifica (quæ non aperuit os suum, cum ad occisionē duceretur) omnia per sanguinē suum pacificauit, quæ in cœlo sunt & in terra. Coloss. 1. Porro quemadmodum oblatio agni paschalis, ad uetus testamentum pertinebat, ita nemini dubium esse potest, quin corporis & sanguinis Christi mysteria ad testamentū Christi ptineant. At testamentū, mortē inuoluit testatoris secūdum Apostolū, qa ubi testamentū est, mors necesse est intercedat testatoris, testamētum enim in mortuis cōfirmatū est, alioquin nōndū ualet dū uiuit, q testatus est. Mortuo itaq; Christo pro nobis, testamētum nouum confirmatum fuit in sanguine eius, ut nos cohæredes eius essemus. Vnde Paul⁹. Ideo noui (inquit) testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptione earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromißionem accipiant qui uocati sunt æternæ hæreditatis. Hoc itaq; constituto, quod testamētum mortem inuoluat testatoris, tunc etiam ea quæ sequuntur testamento inuoluentur, sicut est oblatio facta in cruce. Nam Christum fuisse hostiam ac sacrificium in ara crucis oblatum, quū scriptura noui & ueteris testamenti aperte testetur, quis negabit? Cum ergo institutio Eucharistiæ ad testamentum Christi pertineat, testa-

mentum

mentum autem inuoluat mortẽ testatoris, mors autem testatoris Domini Iesu *fuit sacrificium & hostia pro peccatis nostris* Deo *oblata, testamentum quoq; hanc oblationem inuoluit*. Ideo *cum discipulis præcepit, hoc facite in meam commemorationem, uoluit sacrificij & oblationis, iugem memoriam & reiterationem fieri in* Ecclesia *usque ad consummationem seculi, ac si diceret discipulis*. *Hactenus in ueteri testamento fecistis multa sacrificia, & præcipuè quotannis sacrificium agni paschalis, at ego sum dator noui testamẽti, ideo nouũ iam institui sacrificiũ. omnium ueterum impletiuum, hoc amodò facite in mei memoriam, in recordationem passionis & oblationis meæ iam instantis*. Vbi *obseruandum est missam non esse memoriam & typũ cœnæ dominicæ, sed esse memoriam passionis eius & mortis & oblationis factæ in cruce*. Quotiescunq; *(inquit* Apostolus*) manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem* Domini *annunciabitis, donec ueniat*. Non *cœnam* Domini, *sed mortem* Domini *(inquit) annunciabitis*. Nam *non tantùm afficimur deuotione & charitate, ex recordatione cœnæ dominicæ, quantum ex memoria passionis mortis & oblationis suæ, quibus eximiam & ardentissimam in nos testatus est charitatem*. Maiorem *enim charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat* Ioan. 15.

quis

quis pro amicis suis. Itaque *mortis suæ memoriam uel commemorationem uoluit nos habere, quemadmodum etiam uerba ipsius indicant.* Nam *cum dixisset:*Hoc *est corpus meum, statim adiecit, quod pro uobis datur, scilicet in oblatio ne crucis: similiter quoque de pretioso sanguine addidit, qui pro uobis, uel pro multis effundetur, utique in paßione & cruce, quia corpus meum dabitur pro uobis in sacrificium, & sanguis meus pro uobis fundetur in noui & æterni testamenti confirmationem.* Hoc *itaque nouum sacrificium facite uos noui sacerdotes, in meæ paßionis, mortis & oblationis memoriam.* Ad *hæc sanctus* Paulus *in epistola ad* Hebræos *scribit in hæc uerba:* Omnibus Pontifex *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad* Deum,*ut offerat dona & sacrificia pro peccatis &c.* Vult Paulus *omnem sacerdotem,omnemq; adeò* Pontificem *ad offerenda munera & hostias constitui.* Christus *autē sacerdos est & pontifex summus, proinde etiam* Christo *pontifici opus est hostia aliqua quā offerat.* Porrò *cum potioris testamenti mediator sit,gratiæ nimirum & gloriæ, ut est apud* Hieremiam *capite decimotertio, & prius testamentum immolato sanguine firmari sit solitum, necesse est melioribus hostijs, id est,*

Heb.5.

non brutorum, sed suo ipsius sanguine testamentum suum obsignet ac roboret. Cum autem non solum sanguis in cruce effusus, sed & idem cum ex altario dispensatur, obsignatio sit testamenti, CHRISTO *dicente:* Hic est sanguis meus Noui Testamenti, *consequens fuerit, & hunc immolatum esse in altari. Caeterum quemadmodum Christus summus sacerdos hostiam corporis & sanguinis sui in ultima coena immolauit, sic & sacerdos Hierarchicus idem illud unicum & propiciatorium sacrificium offert in altari. Sacerdos enim quum sit, ex proprio suo munere offerre debet sacrificium. Et mirum quur aduersarios adeò offendat sacrum sacerdotij munus, quum eos non adeò offendat sacerdotij nomen, quo Ecclesiae ministros libenter appellari patiuntur. Sed & hoc mirum ualde est, qua temeritate audeant tollere nobis in noua lege Euangelica & gratiae sacrificium, cum omni legi semper fuerit coniunctum sacrificium sicut & sacerdotium? In lege siquidem naturae (quae dictat authorem naturae, colendum esse sacrificijs) obtulerunt sacrificia iusti quique, & dictante natura & impellente spiritu, quibus ceu tesseris quibusdam ac symbolis, protestabantur sese* DEO *omnium authori ac principi subditos ac deditos esse.*

Impijs

Impijs quoq; uel natura docente notũ fuit, Deo *ſacrificandũ eſſe:unde & dæmonibus quos* De- *os putauere,ſacrificandũ eſſe exiſtimabant.*Ha- *buerunt quoq; in lege naturæ ſacerdotes.* Nam *apud cultores unius ueri* Dei, *ſacerdotium ad- miniſtrabant primogeniti.* Cultores *uerò idô- lorum etiam ſuos ſacerdotes habebant.Ita in le- ge ſcripta, quæ per* Moyſen *populo* Iudæorum *data eſt, inuenimus ſacerdotium & ſacrificium illi adeò fuiſſe coniuncta, ut per eam & ſacer- dotes conſtitui mandarentur,& ſacrificia præ- ſcriberentur* Deo *exhibenda.* Relinquant *pro- inde quoq; nobis obſecro ſacrificium & ſacerdo tes, non ſpirituales ſolùm, quales ſunt omnes* Chriſtiani, *qui ſpirituales oblationes ut oratio nes eleemoſinas preces & hoc genus alia offe- rant* Deo, *ſed etiam* Hierarchicos, *qui externo ſacerdotio fungantur, de quo nobis ſermo eſt, quod per ſolos ſacerdotes* Hierarchicos,*offerri eſt ſolitum in* Eccleſia *fideliũ,non ſolùm ut* Deo *pro acceptis beneficijs gratificemur, proteſte- murq́; nobis, & filium,& cum illo omnia dona ta eſſe,& conteſtemur nos illi quanti quanti ſu mus eſſe deditiſsimos, ſed etiam ut* Deo *ſatisfiat pro peccatis et erratis malè admiſsis,quod offer tur in* Eccleſia *pro uiuis & defunctis, ut omni- bus proſit, quod eſt pro ſalute omnium inſti- tutũ.*Eſt *enim hoſtia pro expiatione peccatorũ.*

Quod

Quod quanquam aduersarij negent, facilè tamen ex mandato Domini nostri Iesu *monstratur, quemadmodum* Caietanus *demonstrat in hæc uerba.* Nam Matthæi 26. *Dominus Iesus accepto calice, non solùm dixit:* Hic est *sanguis meus qui pro multis effundetur, sed adiunxit, in remißionem paccatorum, & subiunxit, hoc facite in mei recordationem. Sub mandato itaque hoc facite, comprehenditur facere immolando sanguinem Christi in poculo, non solùm quatenus effunditur, sed etiam quatenus effunditur pro multis in remißionem peccatorum. Sermo enim formalis significat, quòd quemadmodum effusio sanguinis in remißionem peccatorum, est ipsa cruēta hostia pro peccatis nostris, ita facere poculum sanguinis, qui effunditur in remißionem peccatorum, ut sic, est immolare poculum sanguinis, quatenus effunditur in remißionem peccatorum, quatenus operatur remißionem peccatorum. Effundi enim in remißionem peccatorum, est operari remißionē peccatorum, quantum est ex parte sua, quicquid sit de effectu.* Non *igitur humana est adinuentio, sed intelligentia, sed obedientia diuini mandati, tum offerre corpus & sanguinem* Christi, *sub specie panis & uini, in memoriam* Domini *nostri* Iesu Christi, *tum hæc ipsa offerre, pro expeatione peccatorum; ut (optima legis inter-*

 pres)

prēs) consuetudo uniuersarum Ecclesiarum, non solùm Latinarum & Græcarum, sed Armeniarum, Persarum, & reliquarum per orbem diffusarum, ab antiquo semper interpretata est. Primùm enim in hoc sacrificium missæ offertur in Ecclesia, ut iugis illa corporis & sanguinis Christi oblatio, memoriam eius quod semel in cruce actum est, renouet. Sic enim ipse Saluator præcepit discipulis, ut hæc in sui commemorationem facerent. Porrò mors Domini, non tantùm uerbis, uerumetiam sacrificijs annunciari solita est. Nam non solum prophetarū oraculis, sed & figurarum inuolucris, sacrificiorúmque ritibus annunciata est ueteribus, quorum sacrificia deliniabant ac uelut adumbrabant sacrificium Christi. Ne itaque Christiani frigidius mortem Domini annunciare uideamur ueteribus illis, conuenit sanè ut non ore tantum prædicemus Christum crucifixum, uerumetiam corporis & sanguinis sui oblatione, imaginem hostiæ crucis offeramus. Posteaq̄ ergo Apostolus docuit in cœna dñica annunciādā esse mortē Domini, id pfectißimo quoad fieri potest modo faciendum est. Sed perfectiùs annūciari & exprimi nō potest mors Christi & passio, quàm hoc altaris sacrificio. Deinde ut sacrificando, magis magisq; propitiū nobis reddamus patrē misericordiarum, ipsumq; exoremus,

ut ea quæ crucis sacrificio donata sunt nobis, commodè cedant. Ea *enim est communis sacrificiorũ ratio, ut his homines diuinum sibi fauorẽ magis magisq; concilient.* Inter *ea autem quibus* Deo *gratiores & chariores reddimur, primas fert sacrificium altaris. Cui sententiæ, receptißima suffragatur sententia patrum, qui unanimiter & sacrificium nuncupant, quod pro uiuis & defunctis in* Ecclesia *semper fuerit oblatum. Quod deinceps ostendendum erit.* Beatißimus Apostolus Christi Andreas, *missam esse sacrificium coram procõsule* Aegea *testimonio suo luculenter confirmauit, quod licet non scripturæ testimonio, sanguinis tamen sui cyrographo consignauit.* Ego *(inquit) omnipotenti* Deo, *qui unus & uerus est,* omnidie sacrifico, *non thuris fumum, nec hircorum aut taurorum sanguinem,* sed immaculatum agnum quotidie in altari sacrifico. *Cuius carnes, postquam omnis credentium populus manducauerit, & eius sanguinem biberit,* agnus qui sacrificatus est, *nihilominus integer perseuerat & uiuus:* & cum verè sacrificatus sit, *& uerè eius carnes manducatæ sint à populo, & uerè eius sanguis haustus, tamen (ut dixi) integer permanet, & immaculatus & uiuus.* Hæc *refert* Philatetus, *ex literis sacerdotum* Achaiæ *capite trigesimonono.* Diony-

ſius Areopagita, *ubique ſacrificium facit ex miſſa, imò totam miſſandi formulam tempore Apoſtolorum conſuetam & uſitatam deſcribit. quemadmodum in principio ferme præcedentis tractatus oſtendimus.* Nam in lib. *Eccleſ. Hierarchiæ cap. 3. parte 3.* appellat hoſtiæ ſalutaris oblationem, *& dicit Pontificem* hoſtiam ſalutarem, quæ ſupra ipſum eſt, litare. *Ignatius Martyr & Epiſcopus in epiſt. ad Smyrnenſes. Nemo (inquit) in Eccleſia aliquid agat eorum, quæ ad Eccleſiam pertinent. Firma Euchariſtia reputetur, quæ ab Epiſcopo conceſſa fuerit. Vbi Epiſcopus præſens fuerit, illuc & plebs cõgregetur, ſicuti & ubi Chriſtus eſt, omnis militia cœleſtis adeſt, tanquã principi militiæ uirtutis Domini, & ipſe eſt diſpenſator totius intelligibilis naturæ.* Propterea non licet ſine Epiſcopo, neque offerre, neque ſacrificium immolare, neque miſſas celebrare. *Anacletus Pontifex Clemẽtis ſucceſſor, in epiſt. quam ſcripſit omnibus Eccleſiarum Epiſcopis, ſic ait.* Epiſcopus Deo ſacrificans, *teſtes ſecum habeat. In ſolennioribus quippe diebus, aut ſeptem aut quinq;, aut tres diaconos, qui oculi eius dicuntur, & ſubdiaconos atque reliquos miniſtros ſecum habeat. Irenæus lib. 4. c. 32. Eum (inquit) qui ex creatura panis eſt accepit, & gratias egit dicens: Hoc eſt corpus meum. Et calicem*

licem similiter, qui est ex ea creatura secundùm nos, suum sanguinẽ confessus est, & Noui Testamenti, nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiẽs, in vniuerso mundo offert Deo, *de quo Malachias, &c. Et cap.34. testatur nos Eucharistiam corporis & sanguinis Christi offerre Deo patri creaturã sanctificanti, gratias agentes pro sua donatione. Alexander Papa eius nominis primus, continuò post Apostolorum tempora sub Traiano scilicet, eidem ueritati testimonium perhibet, cuius testimonium supra recẽsuimus, cùm patrũ sententias de ueneratione & adoratione* Eucha*ristiæ poñeremus. Cyprianus quoque gloriosus martyr & Pontifex lib.2.epist.3.ad Ceciliũ dicit* Christum*Dominum & Deum nostrum huius sacrificij autorem, ubi & sacrificium Dominicum uocat, & tandem scribit in hæc uerba. Nam si Iesus Christus Dominus & Deus noster, ipse est summus sacerdos Dei patris,* & sacrificium Deo patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem pręcepit, vtique ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod fecit Christus imitatur. Et sacrificium verum & plenum tũc offert in Ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse, *Et epist.4. Nos (inquit) ue-*

ſtri, diebus ac noctibus memores, &quandо in ſacrificijs precē cum pluribus facimus, *& cū in ſeceſſu, priuatis precibus oramus, coronis ac laudibus ueſtris, plenam Domini fauentiam poſtulamus.* Tertullian⁹ *in lib. de Exhortatione caſtitatis, duo exprimit officia ſacerdotis, uidelicet oblationem Eucharistiæ & baptizationē, dicens: Differentiam inter ordinē & plebem cōſtituit Eccleſiæ autoritas, & offert & tingit ſacerdos, per tinctionē baptiſmū intelligens, quem Cyprianus quoq; tinctionē appellat. Et in lib. ad Scapulā præſidem Aphricæ.* Itaq; ſacrificam⁹ pro ſalute Imperatoris, *ſed Deo noſtro, & ipſius, quō præcepit De⁹, pura prece. Et ne dicas Tertullianū ibi loqui de ſacrificio orationis, & nō potiùs de ſacrificio Euchariſtiæ, quod à fidelibus, pro imperatoribus offerebatur, puriſsima prece, eò quòd à miniſtro ſacerdote, in perſona Eccleſiæ, cuius oratio pura eſt, offerebatur Deo. Audi qd in lib. de Virginibus uelandis dicat. Nō permittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere,* nec offerrē, *nec ullius uirilis muneris. Vnde liquet Tertullianū loqui de aliquo uero ac magno ſacrificio externo, quod mulieribus non conueniat.* Nam *ſacrificium precum uel orationum, nemini eſt interdictum nédum mulieribus.* Origenes *Homil. 5. ſuper Leuit. Quæ (inquit) eſt hoſtia,*

stia, quæ pro peccatis offertur, & est sancta sanctorum, nisi unigenitus filius Dei, Dominus *meus* Iesus *Christus, &c.*Porrò *ne dicas eum loqui duntaxat de hostia quæ in cruce oblata est, audi uerba eius, quæ habet homil.*10.*in* Leuit.In *Ecclesia (inqt) Christi, modò uera sunt sacrificia in lege præfigurata.* Et li.1.*super* Iob *sic inqt.* Pri*mo mundabat, purificabat, sanctificabat, & ita demum pro eis hostiam offerebat, ut cunctis in ppetuū ostenderet, quia mūdos & castos cōdecerēt sacrificia, ut sanctè atq; dignè immolata, sanctè atq; dignè à sanctis accipiantur.* Sic nāq; A*postolus post hæc dicit, probet seipsum homo, hoc est, mūdet seipsum,* & ita de sanctissimis domini sacrificijs fruatur.Idē *quoq; hom.*13.*in* Leuit. *apertißimis uerbis scribit* Eucharistiā *nō solū esse cōmemorationē, sed etiā nostrā propiciationē.* Si *referantur hæc (inquit) ad mysterij magnitudinem, inuenies commemorationem istam habere ingentis repropiciationis effectū, si redeas ad illum panem, qui de cælo descendit, & dat huic mundo uitam, illum panem propositionis, quem proposuit* Deus *propiciationē per fidem in sanguine eius.*Et *si respicias ad illam cōmemorationem, de qua dicit* Dominus, Hoc *facite in meam commemorationem, inuenies quod ista est commemoratio sola, quæ propicium facit hominibus* DEVM. *Eusebius Cæsariensis*

lib. 9. Eccles. hist. c. 10. ubi recenset quomodo pax Ecclesiæ sub Constãtino reddita est, & quo modo fideles in Ecclesia se habuerint, inter cætera sic scribit. Simpliciores quiq; admirabantur & suspiciebant eos, qui per sapientiam uerbi populos instruebãt. Sapientes uerò & eruditi uiri, præferebant eos, quibus pura uita ac syncera simplicitas, offerendi Deo hostias, maiorem fiduciam dabat, eísque immolandi sacrificij permittebatur officium, *quos familiarior uitæ simplicitas, in cordis puritate seruabat.*

Emisseni autoritatem superiùs recensuimus. Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus in apologetico suo inter alia inquit. Ipsa quoque sacrificia, *non paßim omnibus, sed certis quibusdam indulgentur insumere, & intra certum tempus, & intra præfinitum locum. Et infra. Nemo dignus est summi Dei, uel sacerdos esse,* vel sacrificium offerre, *qui non priùs exhibuit semetipsum, hostiam uiuam, sanctã, Deo placentem, & c. Et in quodam carmine de dignitate sacerdotali inter cætera ita cecinit.* O sacrificia mittentes incruenta sacerdotes, *ô animarum custodes gloriosi, ô magni figmentum Dei, uestris in manibus ferentes. Epiphanius Cypri Episcopus in epist. ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum. Quando) inquit)*

quit) complemus orationem secundum ritum mysteriorum, & pro omnibus & pro te dicimus. Custodi illum qui prædicat ueritatem. Et *prius ita scribit. Illud quoque audiens admiratus sum, quidam te quoque turbauerunt, & dixerunt quod in oratione,* quando offerimus sacrificia Deo, *soleamus pro te dicere. Domine præsta* Ioanni *ut rectè credat.* Hic *audis sacrificiorum assertionem, & hoc secundum ritum mysteriorum.* Lactantius Firmianus *li.4. diuinarum institutionum,* asserit sacrificium *in* Ecclesia, *in qua Christus habeat sacerdotium sempiternum. Ambrosius præter illa quæ pro adstructione huius rei habet lib. 4. de sacram. cap. 6. & alijs pluribus locis, in oratione præparatiua ad missam, ita precatur dicens. Quanta enim* Domine *Iesu Christe cordis contritione, &c.* istud diuinum & cæleste sacrificium est celebrandum *&c. ubi adest præsentia sanctorum angelorum, ubi tu es* sacerdos & sacrificium, *mirabiliter & ineffabiliter constitutus?* Et *post pauca.* Per *hanc (inquit) omnipotentiam tuam te rogo, ut concedas mihi peccatori,* hoc cœleste sacrificium celebrare *cum timore & tremore &c. Ego enim memor* Domine, *uenerandæ passionis tuæ, accedo ad altare tuum licet peccator,* vt offeram tibi sacrificium, quod

tu instituisti,& offerri præcepisti *in commemoratione tui pro salute nostra. Suscipe ergo quæso istud summe Deus, dulcißime Iesu Christe, pro Ecclesia tua sancta, & pro cuncto populo tuo, quem acquisisti sanguine tuo pretioso.* Vbi apertißimis uerbis appellat *sacrificium, quod* CHRISTVS *instituit & offerri præcepit, quod quum precatur suscipi pro toto populo, haud obscurè indicat, etiam pro populo offerri.* Et 1.capite Lucæ Euangelij: *Vtinam (inquit) nobis quoque* adolentibus altaria & sacrificia deferentibus, *aßistat angelus, imò præbeat se uidendum. Non enim dubites aßistere angelum, quando Christus aßistit,* Christus immolatur. *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.* Hieronymus contra Vigilantiū ita scribit. *Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundùm nos, ossa ueneranda, secundùm te uilem puluisculum,* offert Domino sacrificia, *& tumulos eorum, Christi arbitratur altaria.* Ioannes *Chrysostomus in missa sua ita deprecatur & alloquitur* CHRISTVM *dicens: Propter ineffabilem & immensam tuam humanitatem, intrepidè & irreuocabiliter, factus es homo & summus Pontifex noster.* Sacrificiorum ritum instituisti, ac solennis huius

1.Cor.5.

& immaculati sacrificij celebrationem nobis tradidisti, *tanquam Dominus omnium. Tu enim sol⁹ Domine Deus noster dominaris super cœlestibus & terrestribus, qui super thronum Cherubicũ ueheris, qui Seraphin Dominus rex Israel, qui solus sanctus es, & in sanctis requiescis. Te igitur exoro solum bonum & placabilem, respice ad me peccatorem, & antiquum seruum tuum, ac purga animam meam & cor à conscientia mala, & idoneũ me redde, uirtute tui sancti spiritus indutũ tui sacerdotij gratia, ut aßistã sanctæ tuæ huic mensæ, consecrẽ sanctũ & immaculatum tuũ corpus, & preciosum sanguinem.* Et *hom.51. in Matthæum, & homil. 83. & homil. posterioris epist. ad Thimotheum. Aug. quoq; adstipulatur lib. 10. de ciuit.* Dei *c. 20.* Et *lib. de spiritu & litera cap. 11.* Et *lib. confeß. 9.* Et *lib. 1. contra aduersarium legis & prophetarum cap. 32. & lib. 20. contra* Faustũ *c. 14.* Et *li. 1. contra Cresconium grammaticum cap. 25. & multis alijs in locis testatur missam esse sacrificium. Greg. homilia 37. Singulariter (inquit) ad absolutionem nostram oblata cum lachrymis & benignitate mentis,* sacri altaris hostia *suffragatur, quia is in se resurgẽs à mortuis iam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Et lib.* 4. Dialogorũ *c. 56. scribit Caßium* Narniensem

Episcopum quotidianum Deo *obtulisse sacrificium & inter ipsa sacrificiorum arcana, se in lachrymis mactasse, & idcirco mandatum domini, per cuiusdam præsbyteri sui uisionem suscepisse, ut ageret quod agebat, & operaretur, quod operabatur.* Non *cesset (inquit) pes tuus, non cesset manus tua, natali* Apostolorum *ueni-es ad me, & retribuam tibi mercedem tuam.* Et *cap. 57. scribit quendam in captiuitate positum & in uinculis religatum, uirtute sacrificij liberatum, & nautam Baracam nomine ab undis ereptum.* Et *cap.* 58. *Debemus (inquit) quotidiana* Deo *lachrymarum sacrificia quotidianas* carnis eius & sanguinis hostias immolare. *Hæc nanq; singulariter* uictima, *ab æterno interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens à mortuis iam non moritur, & mors illi ultrà nõ dominabitur, tamen in seipso immortaliter atq; incorruptibiliter uiuens, pro nobis iterum in hoc* mysterio sacræ oblationis immolatur. *Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium. sed in ora fidelium funditur.* Hinc *ergo pensemus quale sit* pro vobis hoc sacrificium, *quod pro absolutione nostra, paßionem unigeniti filij semper imitatur.* Quis *enim fidelium habere dubi-*

dubium poßit in ipſa immolationis hora *ad ſacerdotis uocem cœlos aperiri, in illo* IESV *Chriſti, Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus iungi unum quoque ex uiſibilibus & inuiſibilibus?* S. Leo *in ſerm. 6. de ieiunio ſeptimi menſis.* Tunc *(inquit) ſacrificij mũda eſt oblatio, & miſericordiæ ſancta largitio, quando ij, qui iſta dependunt, quid operentur intelligunt.* Nam *dicente* Domino. *Niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis uitam in uobis, ſic ſacræ menſæ communicare debetis, ut nihil prorſus de ueritate corporis & ſanguinis ambigatis.* Beda *in cap. 15.* Marci, *circa illa uerba* Ioſeph *mercatus ſindonem &c.* Hinc *(uidelicet ex hoc quod* Ioſeph. *Chriſti corpus inuoluit in ſindone munda)* Eccleſiæ *mos obtinuit, ut ſacrificium altaris non in ſerico, neq; in panno tincto, ſed in lino terreno celebretur, ſicut corpus eſt* Domini *in ſindone munda ſepultum, iuxta quod in geſtis pontificalibus, à beato* Papa *Syluestro, legimus eſſe ſtatutum.*

Theophilactus quoq; in Epiſt. *ad Hebræos, explicat quomodo ſaluator noſter Chriſtus* Ieſus, *ſit ſacerdos in æternũ ſecundũ ordinẽ* Melchiſedech *& dicit*, quia quotidie offertur, vel in perpetuũ offertur per miniſtros Dei oblatio, Chriſtum Dominum & põtificem habens

habens & sacrificium *qui seipsum nostri ob gratiā sanctificat, frāgit & tribuit.* Et *super eadē epistola. Christi (inquit) tunc reminiscitur obitus* & vna nobis est immolatio, non multæ, *quandoquidem est & ille semel oblatꝰ, eundē enim semper offerimus, quin potius oblationis illius memoriā facimus, perinde ac esset hoc tēpore immolatus &c.* Idē *in 26. cap. Matthæi ita habet. Sicut uetus testamentum immolationem habebat & sanguinē, ita nouū testamētum sanguinē habet* & immolationem. Hoc *modo docēt & reliqui patres omnes, ne totum illorum catalogū recenseā. Sacrificium etiam uocatur à compluribus sacrosanctis Concilijs. Siquidem canon 13.* Niceni *Concilij sic habet:* Ex *qua autem oblatione uiaticum dabimus infirmo,* nisi ex sacrificio missæ, *uenerabile corpus Christi?* Canon item 18 *ita habet:* Nec *regula, nec consuetudo tradidit ut ab his qui potestatem non habent offerendi,* illi qui offerunt corpus Christi accipiant. In *Concilio Ancirano eiusmodi reperitur canon:* Presbyteros immolantes, *& iterum luctamen adeuntes, si hoc non per illusionem aliquam, sed ex ueritate fecerunt, nec ante parentes, nec affectantes, ut iterum teneri uiderentur, & tormentis subijci, quo facinus pati uiderentur inuiti. hos placuit quidem honorem propriæ sedis retinere:*
offerre

offerre autem illis, *& sermonem ad populum facere, aut aliquibus sacerdotalibus officijs fungi, non licet.* In Concilio Laodicensi Can. 19. *ita legitur. Tunc laici pacem sibi tribuent,* & ita sancta celebrabitur oblatio. *Concilij* Neocæsariensis *canon ultimus ita decernit. Presbyteri ruris in* Ecclesia *ciuitatis,* E*piscopo præsente, uel presbyteris urbis ipsius,* offerre non possunt, *nec panem sanctificatum dare, calicemq; porrigere,* A *Concilijs quoque* Carthaginensi, *Toletano & alijs multis appellatur sacrificium, ut uidere potes de Consecrat. dist. prima & secunda. Sed & ex.3 apostolorũ canone, itidẽ et ex.9. colligimus missam esse oblationem uel sacrificium.* Idem *testantur patres in* Concilio Ephesino, *in synodali epistola ad* Nestoriũ. *Necessariò (inquiunt) & hoc adijcimus. Annunciantes enim secundum carnẽ mortem unigeniti filij* Dei, *id est,* Iesu *Christi, & resurrectionem eius, & in cælos pariter ascẽsionem confitentes,* incruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij veritatem, *si etiam ad mysticas benedictiones accedimus & sanctificamur,* participes facti corporis & pretiosi sanguinis Christi omnium redẽptoris nostri. *Et in Anathematismo quodam sancti* C*yrilli pontificis* Alexandrini *(Cuius authoritas in eo Concilio precipuè enituit) sancti Concilij*

lij sententia atque adeò Catholicæ Ecclesiæ, clariùs explicatur in hæc uerba. Sanctam & viuificatricem & incruentam immolationem in Ecclesijs celebramus, *non unius secundùm nos corpus hominis quod offertur esse credentes, similiter autem & preciosum sanguinem, suscipientes autem potius tanquam proprium corpus factum, nec non et sanguinem omnia uiuificantis uerbi. Communis enim caro uiuificare non potest. In Lateranensi autem concilio sub* Innocentio. 3. *ita definitum est. Vna est fidelium uniuersalis* Ecclesia, *extra quam nullus saluatur. In qua idem ipse sacerdos est & sacrificium Christus* Iesus *&c.*

Porrò sacrificium istud pro mortuis quoque offerri solitum. Tertull. in lib. de corona militis, insinuat dicens. Oblationes pro defunctis pro natalitijs annua die facimus. Et Sanctus Cyprianus libro primo Epistola nona indicat dicens. Quod Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt ne quis frater excedens, ad tutelam uel curam, clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, nõ offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione celebraretur. *Neque enim ad altare Dei meretur nominari in sacerdotũ prece, qui ab altari sacerdotes & ministros suos Leuitas auocare uoluit.*

hic

Hic audis pro illius (qui clericum curatorē uel tutorem testamenti sui esse uoluisset) dormitione non celebrari debere sacrificium, quemadmodum pro cæterorum dormitione, qui hoc non faciebant.

Hic autem mos orandi pro fidelibus defunctis in sacrificio missæ traditione Apostolica *ab* Ecclesiæ *primordijs inoleuit. Nam & tunc usitatus fuit.* Quod *facilè colligitur ex* Dionysio Areopagita, *qui in lib.* Eccles. Hierarchiæ *cap. 7. parte 3. ita scribit.* Precatur *oratio illa diuinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eúmque in luce statuat & regione uiuorum, in finibus* Abrahæ, Isaac *&* Iacob, *in loco unde aufugit dolor & tristitia & gemitus.* Et *post aliquanta ait.* Quænam *uerò de huiusmodi prece (quam super defuncto peragit præsul) ex diuinis ducibus nostris, traditio puenit ad nos, operæpretium est ut dicamus.* Vbi *per diuinos duces,* Apostolos *intelligit.* Huic *sanctißimo patri subscribit* Ioannes Damascenus *in sermone quodam quem scribit de ijs qui in fide hinc migrarunt, in quo ita dicit.* Apostoli *discipuli saluatoris, qui totius mundi circulum cœpere, prædicādo uerbum uitæ, quod suis oculis uiderant, in tremendis uitalibúsque sacramentis memoriam eorum, qui fideliter obdormierunt, habendam*

edixerunt. Isidorus quoque libro de Origine officiorum. Sacrificium (inquit) pro defunctorum requie offerre (quia per totum orbem custoditur) credimus ab ipsis Apostolis esse traditum. Et Augustinus: Hoc (inquit) à patribus traditum, uniuersa tenet Ecclesia, ut pro eis qui in corporis ac sanguinis Christi communione defuncti sunt, oretur, cum ad ipsum sacrificiũ, suo loco commemorantur. Et in lib. Confeß. 9. c. 13. matrem suam Monicam commendat, quòd instãte resolutionis die, nõ de sepulchri honore, nec de funeris põpa, sed solũ de hoc uno solicita fuerit, ut frequens ipsius memoria fieret ad altare, in quo sciret dispẽsari uictimam illam sanctam, qua deletum est cyrographum peccati. Et lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 9. ait: Neque enim piorũ animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in cõmunione corporis Christi. Et in Enchiridio ad Laurẽtium ca. 110. Negandum non est (inquit) defunctorum animas pietate uiuentium releuari, cũ pro illis sacrificium mediatoris offertur, &c.

S. Ambrosi⁹ in oratione præparatiua ad missam testatur hoc sacramẽtum mortuis prodesse, ita deprecans. Rogamus etiam te sancte pater, pro spiritibus fidelium defunctorũ, ut sit illis salus æterna ac perpetua sanitas, gaudium & refrige-

frigerium sempiternum: hoc magnum pietatis sacramentum Domine Deus *meus, sit illis hodie magnum & plenum gaudium, de te pane uiuo & uero, qui de cælo descendisti, & das uitam mundo de carne sancta & benedicta, agni uidelicet immaculati, qui tollis peccatum mundi.* Et *potari de fonte pietatis tuæ, qui per lanceam militis de latere emanauit crucifixi* Dñi *nostri, ut consolati exultent in laude & gloria sancta tua.* Et *in oratione funebri de obitu* Valentiniani Imperatoris. *Date manibus (inquit) sancta mysteria. Pio requiem eius poscamus affectu.* Date *sacramenta, cælestia mysteria. Animam piam matris oblationibus prosequamur. Chrys. homil. 21. in* Acta *Apost.* Non *temere (inquit) diaconus clamat pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui illorum memoriam faciunt.* Non *diaconus est, qui talem illam uocem emittit, sed spiritus, non sanctus inquam, sed* Domini. *Quid dicis? In manibus est hostia, & omnia proposita sunt bene ordinata, adsunt angeli, adsunt archangeli, adest filius* Dei, *cum tanto horrore adstant oẽs, adstant illi clamãtes omnibus silẽtibus, & putas temere hæc fieri? Igitur & alia temere, & quæ pro* Ecclesia, *& quæ pro sacerdotib⁹ offerũtur, & quæ ꝓ plenitudine ac uniuersitate? Absit.* Sed *oĩa cũ fide fiunt. Quid tibi uidetur q̃ ꝓ martyrib⁹ offertur,*

quòd inuocantur in illa hora. Licet martyres sint, etiam pro martyribus offertur. Magnus honor nominari Domino præsente, dum mors illa celebratur, & horrendum sacrificium, & ineffabilia sacramenta. Et Homil. 41. in cap. 15. prioris epistolæ ad Corinthios. Non est temerè (inquit) hoc excogitatum, nec frustra memoriam mortuorũ inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus, pro istis agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentem deprecantes, sed ut his consolatio aliqua hinc fiat. Nec temerè qui altari adsistit, inter horrenda mysteria clamat, pro omnibus in Christo dormiẽtibus, & pro his qui memoriam celebrant illorum. Nam nunquã ista fiant, neque hæc dicantur, si pro illis commemorationes non fierent. Neque enim scena iã amplius nostra sunt, sed spiritus ordinatione fiunt. Opitulemur igitur his fratres, memoriam pro ipsis faciamus. Nam si Iob illius liberos patris uictima purgauit, quid dubites è nobis quoque si pro dormientibus offeramus, solatij quiddam illis accessurum? Gratificari Deus propter alios alijs solet, quod Paulus hic ostendit. Vt ex multis (inquit) personis, pro dono in nos collato, per multos gratiæ pro uobis agantur. Ne defatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro ipsis offerendo, communis totius orbis, uictima, preces sunt. Hinc pleni fiducia, pro

toto etiam orbe supplicamus, inter martyres, inter confessores, inter sacerdotes, mortuos recensemus, &c. Et Homilia 69. ad populum Antiochenũ. Non temerè (inquit) ab Apostolis hæc sancita fuerũt, ut in tremendis mysterijs, defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde, multum contingere lucrum, utilitatem multam. Cùm enim constiterit populus extensis manibus, & tremendum proponatur sacrificiũ, quomodo Deum non exorabimus, pro his deprecantes? Athanasius ad Antiochum Principem quæstione 34. ita interrogationem proponit. Num sentiunt aliqua beneficia etiam peccatorum animæ cũ super illos fiunt conuentus, & pactiones bonorum operum? Et respondet. Si nõ aliquo beneficio participarẽt ex illo, nõ utiq; in cura & exequijs fieret cõmemoratio. At sicut uitis florescit extra in agro, & odorẽ eius sentit in uase uinum reclusum, sicq; conflorescit etiam ipsum, ita intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficentia ab exangui immolatione & gratificatione pro ipsis facta, sicut solus ordinat & præcipit, qui uiuorum & mortuorum potestatem gerit DEVS noster. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 57. scribit Agathum Episcopum Panormitanum pro nauta quodam, quem submersum existimabat, omnipotenti Deo, pro absolutione eius ani-

mæ offerri sacrificiũ uictimæ salutaris iußisse. Siue igitur pro uiuorũ, siue pro mortuorũ salute Ecclesia sacrosanctũ offert Eucharistiæ sacrificiũ, non est recens inuentũ, sed Apostolica traditione præscriptũ, qui in hoc secuti sunt exẽplũ ueteris testamenti pontificum. Sic enim Aaron inter uiuos & mortuos medius olim stetit incensum & preces pro utrisq; offerens. Quod autem defunctis efficaciter prosit sacerdotale officiũ, sacra Machabæorũ historia testatur lib. 2. c. 12. de Iuda Machabæo, q facta collatione duodecim milia drachmas argẽti misit Hierosolymã, offerri pro peccatis mortuorũ sacrificiũ. Ex qua historia discere poteris etiã ante Christũ, fide illorũ ueterũ, sacerdotale sacrificiũ, tametsi umbraticũ, profuisse defunctis. Quod si hoc in synagoga, an inaniter in Ecclesia? Quare S. Aug. in li. de Cura ꝓ mortuis agẽda, postq̃ allegasset hãc historiã ex lib. 2. Machabæorũ, de Iuda Machabæo, q pro mortuis fecit offerri sacrificiũ, subiecit. Sed etsi nusquã in scripturis ueterib. omnino legeretur, nõ parua hac consuetudine claret authoritas, ubi in precibꝰ sacerdotis, quæ Dño Deo ad eius altare funduntur, locũ habet etiã cõmendatio mortuorũ. Porrò noui testamenti author Dñs noster Iesus Christus, uerꝰ sacerdos secundũ ordinẽ Melchisedech, missã suã in cruce ꝑficiẽs, primò pro uiuis orat dicẽs: Pater ignosce illis.

Deinde

Deinde ad mortuos se conuertit, unde & monumēta eorū apta sunt, & multa corpora sanctorū, q̄ dormierāt, surrexerūt. Matth. 27. *Hūc imitati Apostoli eorumq; successores, obtulerunt missæ sacrificiū pro uiuis & mortuis, quēadmodū etiānum hodie offertur in* Ecclesia *sancta* Dei, *cuius institutionē habet à Christo, modū autem & nomen celebrādi ab* Apostolis. Deniq; Canō *missæ adstruit missam esse sacrificiū, in quo frequēter nominatur, oblatio, hostia pura, sancta, immaculata, sanctum sacrificium, &c.* Sed Canonem *nostrū reijcient aduersarij tanquā rem ab ipsis explosam & abiectā.* Subsistite *paulisp, & nolite contemnere, & audite quàm uetusti temporis præscriptione* Ecclesia *hoc sit usus canone.* Nam *recens esse non potest, quod* Apostolus *tradidit, & nō solum* Ambrosii & Augustini, *uerumetiā* Tertulliani *tēpore (qui uicin⁹ Apostolorū fuit) in canone receptū inuenitur.* Nam Tertullianus *in* Apologetico *suo cap. 30. nō solū fatetur* Christianos *in sacris suis, pro* Imperatoris *salute orare, uerūetiam uerba* Canonis *tā hic, q̄ cap. 39. refert, dum dicit uota nos reddere æterno uiuo ac uero* Deo *pro* Imperatoribus *ac potestatibus.* Amb. *lib. 4. de sacramentis cap. 5. totius ferme canonis, atq; adeò oīm ferè uerborū eius mētionē facit.* De cons. dist. 2. can panis est. V*is scire (inqt) q̄a cælestib⁹ uerbis ōsecratur? Accipe quæ sunt uerba.* Dicit *sacerdos.* Fac

nobis hanc oblationem adſcriptam, rationabilē, acceptabilē, quod eſt figurā corporis & ſangui nis Dñi noſtri Ieſu Chriſti. *Et ne præſumptione ac temeritate ſolita, negent hos libros eſſe* Am*broſii, legant* S. Auguſtinum *lib.2.* Retractatio *nū cap.4. ubi manifeſtè dicit* Ambroſiū *librum ſcripſiſſe de* Sacramentis. *Et ut donemus* Hæreti *cis, illos libros de ſacramentis nō eſſe* Ambroſii, *quod tamen(ſi* Auguſtino *credimus) facere non*
1.Tim.2. *debemus, eſt interim alius locus* Ambroſii *in cō*mētarijs *epiſtolæ ad* Timotheū, *ubi ſatis aperte canonis meminit.* Nam *ubi* Apoſtolus *ait:* Obſecro *igitur primùm omnium fieri obſecrationes, oratiōes, poſtulationes, gratiarū actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ut quietā & traquillam uitā agam⁹, in omni pietate & caſtitate, ita ſcri bit.* Hæc *regula eccleſiaſtica tradita eſt à* Magiſtro *gētiū, qua utūtur ſacerdotes noſtri, ut pro omnib⁹ ſupplicēt, deprecātes etiā pro regib⁹ hu ius ſeculi, ut in pace poſiti, in trāquillitate mētis & quiete,* Dño *noſtro ſeruire poßimus, &c.* Et Aug. *epiſt.59. ad* Paulinum, *dicit ſe in iā citatis uerbis* Apoſtoli. Obſecro *igitur, &c. hoc intelli gere, quod oīs uel penè oīs frequētat* Eccleſia, *ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione ſacramentorū, &c.* Cuius *uerba cū ſequētib⁹ bene expēſa, indicabūt illo etiā tēpore,*

miſ-

missas celebratas eo modo quo nūc celebrantur. Porro nō tantū Aug. *sed etiā* Cyprianus, *nō solū Canonis, sed etiam præfationis meminit, q explicant, quare sacerdos dicat. Sursum corda.* Et Cyp. *quidē in serm. 6. de orat.* Dom. *Quādo stamus (inqt) ad orationē fratres dilectißimi, uigilare & incūbere ad preces, toto corde debemus. Cogitatio omnis secularis & carnalis abscedat, nec quicq̄ tūc animus, q̄ id solū cogitet quod pcatur.* Ideo *& sacerdos ante orationē, præfatiōe præmissa parat fratrū mētes dicēdo, sursum corda, dū respōdet plebs habemus ad* Dn̄m, *admonetur nihil aliud se q̄* Dn̄m *cogitare debere.* Aug. *autē in lib. de uera relig. c. 3. Si (inquit) p urbes atq; oppida, castella, uicos & agros uillasq; priuatas intantū aptè suadetur et appetitur à terrenis auersio, & in unum* Deū *uerumq; conuersio, ut quotidie per uniuersum orbē, humanum genus una pene uoce respōdeat, sursum corda se habere ad* Dn̄m, *qd oscitam⁹ adhuc crapulā hesternā, & in mortuis pecudibus, diuina eloqa pscrutamur.* Idē quoq; B. Augustinus *ex dictis* Basilij *testatur canonē missæ longè se uetustiorē dicēs. Ecclesiasticarū institutionū, quasdā in scriptis, quasdā uerò apostolica traditione p successores in ministerio cōfirmatas accepim⁹, quasdā uerò cōsuetudine corroboratas approbauit usus.* Et *post pauca. Quæ enim (ut inde exordiamur) scri-*

Recitatur 2. dec dist. cap. Ecclesiasticarun.

ptura crucis signaculo, fideles docuit insigniri? Vel quæ triphariа digesta super panẽ & calicẽ prolixæ orationis (canonẽ designat) uel consecrationis uerba cõmmendauit. Nam non modò quod in Euangelio continetur, uel ab Apostolo quod est insertum secretis, dicimus, sed & alia plura adijcimus, magnã quasi uim commendãtia mysterijs. Vbi triphariа digesta uerba sunt secundum Glossam, quæ eadem tertiò repetuntur in secretis, ut est, hostiam sanctam, hostiam puram, hostiam immaculatam. Et in sermone de sacramento calicis, alia uerba canonis pertractans ait. Eucharistia est oblatio benedicta, per quam benedicimur, adscripta, per quam in cælo adscribimur, rata, per quam in uisceribus Christi censemur. Rationabilis, per quam à bestiali sensu exuimur, acceptabilis, ut qui nobis displicemus, per eam acceptabiles, unico Dei filio simus. Denique Chrysostomus homil. 83. in Matthæum, testatur nos in missa gratias dicere, quod & CHRISTVS fecit. Gratias enim egit, antequam discipulis suis dedit, ut etiam nos, ab actione gratiarum incipiamus. Et gratias egit postea quam dedit, & hymnum cecinit, ut nos quoque similiter faciamus. Ita etiam sacerdos ante consecrationem gratias agit, quam orationi principali includit, deinde in fine missæ, etiam gratias agit, dicendo

dicendo Benedicamus Domino Deo gratias. Vel qua respondetur ad Ite missa est, Deo gratias.

Cæterùm quod hoc sacrificiũ sit Deo gratũ, nemini potest esse dubium. Siquidem ratione filij Dei unigeniti Domini nostri Iesu Christi, qui in hoc sacrificio offertur Deo patri, non potest Deo patri nõ esse quàm acceptißimum gratißimúmque. Deinde etiam ratione sponsæ sibi dilectißimæ, Ecclesiæ uidelicet catholicæ, in cuius persona offertur. Denique ex seipso est Deo gratißimum. Cùm enim res sit bona, imò et optima, in quo tanta perficiuntur mysteria, unde tã multa & magna bona, ad populũ promanant Christianum, nõne meritò censebitur Deo esse quàm gratißimum? Quod autẽ res sit optima, & populo Christiano lõgè saluberrima credimus nos sufficienter demonstrasse lib. 2. homiliarum nostrarum, de Præcipuis mysterijs diuinæ incarnationis & humanæ redemptionis ac salutis, Homilia. 2. de sacrificio missæ. Deniq; quod hoc sacrificium sit iugiter offerendum, donec Christus ad iudicium redierit, Paulus testatur dicẽs. Quotiescunq; manducabitis panẽ hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec ueniat, nimirum ad iudicium in fine seculi. Istud enim sacramentum frequentabitur, offeretur & durabit usque ad finem mundi. Sed & in epist. ad Thessalonicẽses, docet

Antichristum non uenturum, nisi primùm uenerit discessio. Rogamus (inquit) uos fratres, per aduentum domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum, ut non citò moueamini à uestro sensu, neq; terreamini, neq; per spiritum, neq; per sermonem, neq; per epistolam tanquàm per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis uos seducat ullo modo. Quoniam nisi uenerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis &c. Porrò qd p discessionem uelit intelligi, ex epistola
1. Tim. 4. illi⁹ ad Timotheũ accipere oportet, ubi seipsum explicans, ait. Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium &c. Vbi satis graphicè Velsium & uniuersos Antichristi præcursores depingit hæreticos qui nunc strenuè uiam parant diabolo, attendẽtes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorũ, & in hypocrisi loquentes mendacium. An non hos rectè Antichristi præcursores, & satellites diaboli nuncupamus, per quos iam incipit tollere iuge sacrificium missæ, & deijcere loca sanctificationis eius, per templorum & altariũ demolitionem, & sacramentorum sanctorũ conculcationem? Nónne in ipsis prophetiam Danielis impletam uidemus, prophetantis de Antichristo,

christo, quemadmodum in uisione sua uiderat? De uno (nimirũ quatuor cornuũ) ex eis, egressum est cornu unum (inquit) modicum, & factũ est grande contra meridiem, & contra orientẽ, & contra fortitudinem. Et magnificatum est, usq; ad fortitudinem cœli, & deiecit de fortitudine & de stellis, & conculcauit eas. Et usq; ad principem fortitudinis magnificatum est, & ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius. Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium, & propter peccata prosternetur ueritas in terra, & prosperabitur & faciet. Ecce ut uiam parant Antichristo, qui iuge missæ sacrificium abrogãt, aut explodere conantur, nõ solũ ipsißimos sese Antichristi præcursores, constituentes, uerumetiam cum uerbo Dei pugnantes. Cùm enim hoc sacramentum & sacrificium iam inde à morte Christi semper fuerit, & permansurum sit usq; ad finem mundi, donec reuelatus fuerit homo peccati, qui hoc iuge sacrificium tollet, nónne sese Antichristi satellites constituunt? pugnant quoq; cum uerbo Dei, quia cùm habeamus expressum uerbũ Dei, sacramentum siue sacrificium hoc frequentandum & celebrandum, usq; dum ueniat, & ipsi contra tam apertum Dei uerbum idipsum abolere contendunt, nónne sese uerbo Dei præualere posse existimant, dum quod diuino præcepto

factum

factum est perpetuum, ipsi conantur efficere temporarium? Verùm de his satis, restat ut Vel sij nugamēta excutiamus. Velsius. *Magna profectò & deploranda hominum cæcitas, quamq; haud scio, an alia grauior sit censenda, qui huiusmodi constituere non erubescunt, quo funditus semel uniuersa nostra religio, & fides euertitur, cuiusmodi certè hoc ipsum est, quod nunc præ manibus habemus interrogatorium.* Slotanus. *Maxima pfectò et deplorāda est cæcitas, imò poti⁹ malitia* Velsij *q per id quod à Christo est institutū & præceptū & ab Ecclesia Catholica semper religiose creditum, & piè obseruatum, quódque præcipuum caput est religionis nostræ, audet sacrilego & blasphemo ore asserere funditus nostram religionem & fidem euerti.*

Heb à 4. vsq; ad. 11 Velsius. *Nam cùm apertè doceat scriptura, & sacrificiorum oblationumq;, atq; qui hæc quotidie pro suis peccatis prius, quando quidem & ipsi circundati erant infirmitate, utpote ex hominibus sumpti, deinde & pro aliorum ac populi offerebant, sacerdotum, citra iusiurandum factorum, plurium, propterea quòd per mortē non sinerentur permanere, sæpius ingredientiū per tabernaculum manufactum in alieno sanguine, in sancta mundana, multitudinem, quæ futurorū ac uerorū adumbratio quædā erāt, Christi aduentu, qui pontifex pius, innocens, impollutus,*

lutus, segregatus à peccatis, seipsum semel immaculatum Deo *unam uictimã pro peccatis nostris offerendo, cum iure iurando unicus, utpote immortalis redditus, perpetuò sedet ad dexteram* Dei, *factus sacerdos in æternum secundum ordinem* Melchisedec, *semel ingressus per non manu factum tabernaculum, in proprio sanguine in sancta cœlestia, abolitam esse ac cessare. grauissimus mihi certè animi morbus esse uidetur, & quauis insania peior, his tàm apertis & manifestis non attentis, cum Christi & æterni eius sacrificij in sanctis cœlestibus, quo nunc aditus nobis & ingressus in sanguine* Iesu *patet, ea uia quam dedicauit nobis recentem & uiuam per uelamentum, hoc est, per carnem suam ipsiusq; uitæ in carne actæ imitationem, deinceps peragendi maximâ iniuria, nescio quæ* Iudaica *sacrificia, imò ipsis* Iudaicis *longè deteriora cõminisci, eosq; qui ab elementis mundi cum Christo mortui sunt, ad huiusmodi oblationum cõmentitiarum umbras ac laruas detrahere.* An *non hoc est manifestè* Antichristi *doctrinam amplecti?* Slotanus. *Affirmare uerum corpus & sanguinem* Christi *in* Eucharistia, *esse uerum &* Deo *gratum sacrificium, quod* Deo *pro uiuis & mortuis in* Ecclesia *iugiter sit offerendum, non est* Antichristi, *sed* Domini *nostri* Iesu Christi *& sanctorum* Apostolorũ *eius sanã &*

catho-

catholicam doctrinam amplecti, sed potiùs Velsius Antichristi (qui hoc sacrificium abrogabit) doctrinam amplectitur, qui summa temeritate & execranda blasphemia dicit nos ipsis Iudaicis sacrificijs longè deteriora comminisci, eosq; qui ab elemētis mundi cum Christo mortui sunt, ad oblationum commentitiarum umbras ac laruas detrahere. Longè enim distat hoc augustißimum nouæ legis sacrificium, à sacrificijs Iudaicis ueteris legis, longeq; illa antecellit. Omnia enim sacrificia ueteris legis, huius unici nouæ legis sacrificij typum ac figuram quandam gerebant, atq; ad hoc demonstrandum præcurrebāt. Omnia siquidem sacrificia Iudaica, propter hoc offerebantur in ueteri lege, ut hoc unum singulare & præcipuum sacrificium adumbrarent, quo ipse Christus semetipsum obtulit Deo in odorem suauitatis ut Paulus ait, & propterea hoc unicum sacrificium præfigurabant, tanquā perfectum per imperfecta. Vnde Apostolus dicit in epist. ad Hebræos sacerdotes ueteris legis, easdem sæpè protulisse hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata, Christum autem pro peccatis, obtulisse unam in sempiternum. Porrò quoniam ex figurato sumenda est ratio figuræ, idcirco rationes sacrificiorum figuralium ueteris legis, sumendæ sunt ex uero sacrificio Christi, quod rationem & uirtutem omnium sacrificiorum

Ephes. 5.
Heb. 10.

ficiorum in se continet, & perfectio, consummatio & adimpletio est omnium sacrificiorum. Sed & unum & idem numero est sacrificium, una & eadem utrobiq; oblatio, unum inquam & idem corpus oblatum, quantum ad rem sacrificij attinet, in cruce & in altari, licet in modo sacrificandi sit differentia. Idem corpus & sanguis Christi, secundum ueritatem & substātiam suam adsunt & offeruntur in altari in missæ sacrificio, sicut in cruce fuerunt, licet alius sit in altari quàm in cruce offerēdi modus. In cruce siquidem semel oblatus est Christus, cruento & paßibili modo: in altari autem incruento & impaßibili, iuxta sententiam Ambrosij & Damasceni, quorum primus lib. 4. de Sacram. c. 6. Posterior uerò lib. 4. c. 14. eam hostiam quæ in altari est appellant incruentam. In cruce oblatum est corpus Christi pœnaliter per mortem corporalem, in altari autem offertur mysterialiter & sacramentaliter, per paßionis quidem & mortis eius memoriam, sed tamen nihilominus essentialiter & substantialiter. Cùm itaque unum & idem sit sacrificium crucis & altaris, unum idémque sacrificium, legalia sacrificia præfigurabant. Cæterùm non ignoramus quin scriptura apertè doceat, & sacrificiorum oblationumq; & sacerdotum ueteris legis multitudinem, Christi aduentu, abolitam esse ac cessare,

Christúmque seipsum semel immaculatum Deo *unam uictimam pro peccatis nostris obtulisse. sed dicimus illam hostiam fuisse cruentam, nimirum* Dominum *nostrum* IESVM CHRISTVM *in ara crucis semel pro peccatis totius mundi oblatum; sed præter illam hostiam cruentam, aliam agnoscimus incruentam à* CHRISTO *institutam, corpus scilicet & sanguinem eius sub specie panis & uini, ut demonstratum est. Sed hostia cruenta & incruenta, non sunt hostiæ duæ, sed una hostia, quia res utrobique est eadem, nempe ipsum corpus* CHRISTI. Non *enim corpus Christi in altari est aliud ab illo* CHRISTI *corpore, quod oblatum est in cruce, nec sanguis* CHRISTI *in altari alius est ab illo* CHRISTI *sanguine qui fusus est in cruce, licet modus, hanc unam eandémque hostiam immolandi, alius sit. Nam ille prior immolandi modus in cruce fuit cruentus, iste uerò quotidianus modus est incruentus, non in propria specie per corporis fractionem & sanguinis effusionem, sed sub specie panis & uini, oblatum in cruce* CHRISTVM *immolatitio modo repræsentans.* Ex *parte ergo rei oblatæ (licet ex parte modi offerendi sit diuersitas) hostia cruenta & incruenta unica est, neque propriè loquendo possunt af-*

fir-

firmari, duo sacrificia, aut duæ hostiæ ac oblationes, esse in nouo testamento, ex hoc quod est in eo hostia cruenta CHRISTVS *in cruce, & hostia incruenta Christus in altari, sed est unica hostia semel oblata in cruce, perseuerans modo immolatitio quotidiana repetitione ex institutione* CHRISTI *in Eucharistia. Porrò hanc perseuerantiam hostiæ in cruce oblatæ, non fingimus in altari, sed quia eadem est res oblata, in cruce & in altari. Quia enim unum atque idem Christi corpus est, quod oblatum est in cruce, & quod offertur in altari, constat non esse aliam hostiam in altari & in cruce, sed eam quæ in cruce oblata est semel, perseuerare, licet alio modo in altari, mandante Christo, & dicente: hoc facite in mei commemorationem. Si namque iunxeris hæc duo (uidelicet hoc facite, & in mei memoriam) perpendes unum atque idem illud, quod tunc fiebat, nos facere in* CHRISTI *memoriam, quod est illud unum atque idem, quod tunc frangebatur, & effundebatur, perseuerare sub specie panis & uini in memoriam* CHRISTI. *Sed & hoc adijciendum est, in nouo testamento unicum esse sacerdotem Christum, etiam in nostro altari. Nam sacerdotes ministri Domini, non in personis proprijs, sed in persona Christi con-*

secrant corpus & sanguinem Christi, ut uerba consecrationis testantur, ac per hoc uices Christi agentes offerunt. Non enim dicit sacerdos, hoc est corpus Christi, sed hoc est corpus meum, faciendo sub Christi persona sub specie panis corpus Christi, iuxta mandatum Christi: hoc facite &c. Ex *quibus omnibus cõstat, eiuscemodi incruentum sacrificium constituere, non debere æstimari grauißimum animi morbũ, & quauis insania potiorem: sed sanam & catholicã doctrinam, neq; per hoc ullam fieri iniuriam æterno Christi sacrificio, sed summã eidem exhiberi reuerentiam, quod fiat ex institutione Christi & mandato.*

Velsius. Diligentius *rem perpendamus, & ita se omnino habere inueniemus. Leuiticum sacerdotium, et ab ipsis factæ oblationes ac sacrificia, & hircorum ac taurorum sanguinis effusio, cuiusnam testamenti mediatio seu intercesßio erãt? Nónne eius quod litera constabat, & in externis lapideis tabulis inscriptum erat, quod cum perficere non posset, atq; hac parte non irreprehensibile esset, præstantiore aduentante aboleri debebat? Meritò igitur tale cum esset testamentum, eiusmodi etiam & illius intercessores sacerdotes, & sacrificia oblationésque erant, quæ cessatura essent, finémque habitura.*

Rursus *Christi sacerdotiũ, & facta ab ipso oblatio*

latio, sanguinisq; eius effusio, cuius? Vis prophetam à Paulo adductum audiamus? Ecce (inquit) Heb. 8.
dies uenient dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentũ nouũ &c. Ex quibus perspicuũ est, quod Hier. 31.
testamenti quod spiritu constat, & in corde ac mente interne ab ipso inscribendũ est, quod perficere potest, ut nullius amplius alterius & externi indigeamus, eoq; omni ex parte irreprehensibile sit, eius sacerdotiũ & facta ab ipso sui ipsius in ara crucis oblatio, sanguinisq; eius pro peccatis nostris effusio, intercessio sint & mediatio. Slotanus. S. August. in lib. de Spiritu & litera. c. 21. declarat quid intelligere debeamus per leges Dei scriptas in cordibus hominum dicens. Quid sunt leges Dei ab ipso Deo scriptae in cordibus, nisi ipsa praesentia spiritus sancti, qui est digitus Dei, quo praesente diffunditur charitas in cordibus nostris, quae plenitudo legis est, & praecepti finis? Nam quia ueteris testamenti promissa terrena sunt, licet exceptis sacramentis, quae umbra erant futurorum, sicut est circumcisio & sabbatum, & aliae dierum obseruationes, & quarundam escarum caeremoniae, & multiplex sacrificiorũ sacrorumq; ritus, quae uetustati carnalis legis, iugoq; seruili congruebant, talia contineant praecepta iustitiae, qualia nũc quoq; obseruare praecipimur,

quæ maximè duabus illis tabulis, sine figura adumbratæ significationis expressa sunt, sicut est, Non *adulterabis:* Non *homicidium facies,*Non *concupisces,& si quod aliud est mandatum, quod in hoc sermone recapitulatur:* Diliges *proximum tuum sicut teipsum, tamen quia in eo, sicut dixi, promissa terrena & temporalia recitantur, quæ bona sunt huius corruptibilis carnis quamuis eis sempiterna atque cælestia, ad nouum scilicet testamentum pertinentia, figurarentur: nunc ipsius bonum cordis promittitur, mentis bonum, spiritus bonum, hoc est, intelligibile bonum, cum dicitur:* Dabo *leges meas in mente eorum, & in cordibus eorum scribam eas.* Vnde *significauit eos, non forinsecus terrentem legem formidaturos, sed intrinsecus habitantem ipsam legis iustitiam dilecturos.* Hactenus Augustinus. Porrò licet Deus dederit hoc modo leges suas in mentibus hominum & scripserit in cordibus eorum, non atramento (ut Apostolus ait) sed in tabulis cordis carnalibus, hinc tamen non consequitur, ut nullius amplius alterius & externi indigeamus, ut Velsius inquit. Nam si nullius amplius alterius & externi indigemus, cur Christus septem Ecclesiæ Catholicæ sacramenta, id est, formas uisibiles inuisibilis gratiæ, instituit? Et ut de Sacramento, quod omnibus est necessa-

2. Cor. 3.

rium

rium dicamus, nimirum baptiſmi, cur in eo per externam corporis tinctionem, & S. Trinitatis inuocationem, uoluit nobis dari remiſſionem peccatorum?

Velſius. *Quod ſi ſit, patet eos, qui poſt unicum hoc ſacrificium, quod eius nobis teſtamenti conciliandi uim obtinet, quo plenè perfectéque* Deo *reconciliati ſumus, ita ut iam* Deũ *noſtrum ſe profiteatur, nóſq; ſibi in populum aſſumat, noua quædã cõmentitia ac imaginaria pro uiuis ac mortuis iugiter in* Eccleſia *offerẽda ſacrificia, donec* Chriſtus, *q ipſis pegrè ac lõgè abeſt, utpote cuius oblationis & ſacrificij efficatiã nõ ſentiunt, ad iudicium redierit, inuehũt, quoniã* Chriſti *crucem euacuant, imò ſe crucis eius hoſtes ſtatuunt, teſtamentúmque æternum in ſanguine eius confirmatum, neſcio quæ delicata & incruenta pro peccatis ſacrificia, cum tamen dicat* Paulus *abſque ſanguinis effuſione non fieri remiſſionem, ſomniantes, irritum faciant, et quod grauiſſimum eſt, ab eo, qui quod idem maneat in æternum, perpetuum habet ſacerdotium, unde & ſaluos nos facere ad plenum poteſt, qui p ipſum adimus* Deũ, *cum ſemper uiuat ad hoc ut interpellet pro nobis, ad hominũ, q de extremis populi, nõ uocati à* Deo, *ſibijpſis uſurparunt honorem, frequẽti morte interpolandũ ſacerdotiũ, quod non niſi perdere poteſt, qui per idolum ac* Heb. 9. Heb. 7. 3. Reg. 13. Heb. 5.

idolotriam horrendam accedunt ad diabolum, uiolenter ac contra naturam Deiq; *institutum, homines abducere & detrahere conantur,* An*tichristi prorsus partium esse, atque in illius castris contra saluatorem nostrum Christum arma ferre, ut si uehemẽtius in istos cõmoueamur, nemo miretur quód aliter cum manifestis hostibus quique omnem conscientiam semel repulerunt, & ad exemplum* Achab *uenundati sunt,* 3. Reg. 21. *ut facerent malum in conspectu* Domini, *aliter cum fratribus ex imbecillitate, aut alia quapiam occasione humana peccantibus sit agendum.*

Slotanus. Nos *non noua commentitia ac imaginaria pro uiuis ac mortuis iugiter in* Ec*clesia offerenda sacrificia inuehimus, neq; delicata & incruenta pro peccatis sacrificia somniamus, sed sacrificium missæ, quod* Christus *instituit, apostoli comprobarunt, patres defendunt, &* Catholica *per orbem terrarum* Eccle*sia semper credidit & frequentauit, propugnamus.* Q*uod quidem sacrificium (quemadmodum diximus) unum & idem est, cum illo sacrificio, quo* Christus *semetipsum obtulit in ara crucis* DEO *patri, licet utrobique diuersus sit offerendi modus.* Q*uod proinde iugiter offeretur in* Ecclesia, *donec* Christus *(qui ei nunquam deest, utpote cuius oblationis & sacrificij efficatiam probè experitur & intelligit) ad iudican-*

dum

dum redierit. Falsißimum quoq; est assertores huius sacrificij, crucem Christi euacuare, imò se crucis eius hostes statuere, & testamentum æternum in sanguine eius confirmatum irritum facere. Nam crucem Christi non euacuant, sed eius uirtutem ac efficatiam asserunt, dum eandem esse oblationem prædicant, quæ semel facta est in cruce, & quotidie fit in altari. Vnde multò minus hostes crucis Christi censendi sunt. Sed Velsius & hæretici uniuersi, reuera inimici crucis Christi sunt, qui eos quos Christus per crucem suam congregauit in unũ, per diuersas hæreses & sectas dispergere moliuntur. Nam quum per crucem suam, Dominus uenerit filios Dei qui erant dispersi congregare in unum, non secus ac cuiuspiam Regis milites, ad unius eleuationẽ signi congregãtur, iuxta illud Esaiæ. Leuabit Dominus signum in nationibus, & congregabit dispersos Israel à quatuor plagis terræ: hæretici tamen ausu nefario per hæreses, sectas & schismata dispergunt, quos cruce & morte sua Christus Dominus congregauit. Quos ipse designans ait: Qui non est mecum, contra me est, & qui nõ colligit mecum, dispergit. Hi profectò Christi et crucis eius hostes sunt omnium infestißimi, minime autem qui huius incruenti sacrificij sunt assertores & sacrificatores, qui etiam multo minus irritum faciunt testamentum æternum in

Ioan. 11.
Esai. 11.
Luc. 11.

sanguine eius confirmatum, sed potiùs idipsum confirmant, & obediunt Christo dicenti: Hoc *facite in mei commemorationem.* Quàm *ridiculum autem & ineptum est, quòd* Velsius *aduersus incruentum hoc sacrificium missæ (ipse autem delicata & incruenta pro peccatis sacrificia derisoriè appellat) producit autoritatē* Apo*stoli ex epist. ad* Hebræos, *ubi dicit absque sanguinis effusione, non fieri remißionem, cùm (quemadmodum textus ipse declarat) loquatur de oblationibus ueteris legis.* Lecto *(inquit) omni mandato legis à* Moyse *uniuerso populo, accipiens sanguinem uitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea & hysopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit dicens.* Hic *sanguis testamenti, quod mandauit ad uos* DEVS. Etiam *tabernaculum, & omnia uasa ministerij sanguine similiter aspersit.* Et *omnia penè in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remißio.* Necesse *est ergo, exemplaria quidem cælestium his mundari, ipsa autem cælestia melioribus hostijs, quàm istis.* Vbi *per exemplaria cælestium (secundum* Theophyla*ctum) nostram* Ecclesiam *designat.* Horum *enim & argumenta prætulerant, & figuras,* Iudai*ci ritus, eoq; & uitulorum sanguine purgabantur olim* Iudæi, *& buccula cinere siue hirci, &*

Heb. 9.

bu-

huiusmodi uilioribus. Necesse est ergo, exemplaria quidem cælestium, his hostijs mundari. Ipsa autem cælestia, id est, quæ ipsius Ecclesiæ sunt nostra, melioribus hostijs, quàm ista. Cum enim longè sint nostra Iudaicis potiora, & tantum excellant, quanto cælum est terra præstantius (siquidem illorum terrena sunt bona; nobis uerò in sortem cesserit cælum) iure ipsi uidemur, maiori quadam immolatione dignati, Dei scilicet filij sanguine, qui nos penitus repurgauit. Porrò idem sanguis Christi, qui semel in ara crucis effusus est pro multis in remißionem peccatorum, offertur etiam quotidie in sacrosancto missæ sacrificio, licet alius hic sit offerendi modus, quemadmodum iam frequentius dictum est. Nec est cogitandum quod offeratur in missa sanguis Christi, ad supplendum efficatiam sanguinis CHRISTI effusi in cruce. Nam missa celebratur tanquam uehiculum remißionis peccatorum per Christum in cruce factæ, ita quod quemadmodum non est alia hostia, ita non aliam adfert remißionem peccatorum. Nam quemadmodum CHRISTVS per proprium sanguinem penetrauit cælos, perseuerans sacerdos ad interpellandum pro nobis (ut dicitur in epistola ad Hebræos capite 7. & 9.) ita perseuerat nobiscum per Eucharistiam immolatitio

modo

modo intercedendo pro nobis. Sicut enim sufficientia & efficatia summa sacrificij in ara crucis, non excludit perseuerantiam Christi in cœlis in officio interpellandi pro nobis, ita non excludit perseuerantiam eiusdem nobiscum immolatitio modo ad intercedendum pro nobis. Nam quemadmodum continua intercessio Christi pro nobis in cœlo, non derogat unicæ intercessioni mortis Christi, ita non, imò multò minus, eidem derogat perseuerantia Christi immolatitio modo ad intercedendũ pro nobis, ut participes simus remissionis peccatorum, in ara crucis factæ, quando ista intercessio fit per mysterium, sub specie panis & uini. Illa autem in cælo fit per Christum in propria specie, in qua crucifixus est. Falsissimum præterea est, assertores sacrificij missæ, ab eo, qui quod idem maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium, ad hominum, frequenti morte interpolandum sacerdotium, uiolenter ac contra naturam Deiq; institutum homines abducere & detrahere. Non enim contra naturam, & Dei institutum agũt, sed Christi institutum sequuntur, qui dixit Apostolis & eorum successoribus. Hoc facite in mei commemorationem. Reliqua quæ habet Velsius, nimirum quòd sacerdotes nostri sint de extremis populi, non uocati à Deo, & sibijpsis usurpent honorem, quòd sacerdotium eorum non

nisi

nisi perdere potest, quòd per idolum ac idololatriam horrendam accedant ad diabolum, quòd Antichristi partium sint, atq; in illius castris cõtra saluatorem nostrum Christum arma ferant: deniq; quòd omnem conscientiam semel repulerunt, & ad exemplum Achab, uenũdati sint, ut facerent malum in conspectu Domini, præterquam quod uirulentißimum ad maledicendum Velsii animum declarant, partim apertißimæ sunt calumniæ, partim horrendæ blasphemiæ, qui bus pij uniuersi meritò commoueri deberent.

DE ECCLESIAE SEptem Sacramentis.

Vigesimoquinto: An credat lauachrum baptismatis, esse aquam regenerantem, & purificantem, seu (vt Cyprianus vocat) vndam genitalem, qua abluto conferatur gratia regenerans & iustificans, ipsi per spiritum sanctum indita.



Oc interrogatorio quæritur primò, num aqua baptismatis sit unda regenerans, uel (ut Cyprianus ait lib. 2. epist. 2. ad Donatum) unda genitalis. Nam

Nam Cypriani uerba sunt ista. Sed postquam undæ genitalis auxilio, superioris æui labe deterſa, in expiatum pectus ac purum, desuper se lumen infudit, postquam cælitus spiritu hausto, in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile uidebatur, geri posse, quod impoßile putabatur, ut esset agnoscere terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum, delictis obnoxium uixisset, Dei esse cœpisse, quod iam spiritus sanctus animaret. Hæc ille.

Porrò baptismatis lauachrum, esse aquam regenerantem, ipse Christus in Euangelio suo

Ioan. 3. satis euidenter indicauit, quando Nicodemo dixit. Nisi quis renatus fuerit, & cæt. Quem

Tit. 3. sequutus Paulus Apostolus, appellat baptismum, lauachrum regenerationis & renouationis spiritus sancti. Et optimè. Nam ex diuina institutione, aqua est propria materia huius sacramenti, & ipsa ratio baptismi, est quædã regeneratio in spiritualem uitã, quod aquæ humiditas maximè designat: Nam & semina, è quibus omnia uiuentia generantur animalia & plantæ, humida sunt, & ad aquam pertinent. Quod etiam ipsius aquæ proprietates, si conferantur cum effectibus baptismi, declarant. Aqua enim adhibetur lotioni, ad significandam

& causandam ablutionem peccatorum. Habet autem uim ablutiuam, ex uirtute sanguinis Christi. Sua frigiditate temperat caloris ac æstus abundantiam, ut per hoc designet, hac salutari unda, cõcupiscentiam fomitis mitigari. Sua diaphaneitate luminis quum sit susceptiua, indicat baptismum esse sacramentum fidei, per quam illuminamur.

Conuenienter quoque dicitur aqua purificans. Nam Apostolus Paulus *in epistola ad* Ephesios, *dicit* Christum *dilexisse* Ecclesiam, *& seipsum tradidisse pro ea, ut illam sanctificaret, mundans (inquit) eam, lauachro aquæ in uerbo uitæ.* De quo *lauachro* Dominus *per prophetam longè antè prædixerat, dicens. Effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris.* Et *rursum per alium quendam. In die illa (inquit) erit fons patens domui* Dauid, *& habitantibus* Hierusalem, *in ablutione peccatoris & menstruatæ.* Rectè *proinde* Augustinus *&* Beda *affirmant* CHRISTVM *tactu suæ mundißimæ carnis, non solùm uim regeneratiuam, sed & purgatiuam contulisse aquis.* Nam *quæ de saluatoris baptismate benedictio fluxit, tanquam fluuius spiritalis, omnium gurgitum tractus, uniuersorum fontium uenas impleuit.* Porrò *aqua ista purificat*

Ephe. 5.

Ezech. 36.

Zach. 13.

ficat baptizatum ab omni peccato. Moritur e*nim uetustati peccati, & incipit uiuere noui*tati gratiæ, quemadmodum Apostolus in episto*

Roma. 6. *la ad* Romanos *indicat dicens. Quicunq; bapti*zati sumus in Christo* Iesu, *in morte ipsius bapti zati sumus*. Et *postea concludens, subiungit*. Ita *& uos existimate mortuos quidem esse pecca*to, uiuentes autem* Deo, *in Christo* Iesu Domi*no nostro. Quum autem peccatum ad pristinam uetustatem pertineat, consequitur omne pecca*tum per baptismum tolli. Sublato autem pecca*to, purgatus est homo à peccato.*

*Deinde habet etiam interrogatorium, per hanc undam abluto conferri gratiam regene*rantem & iustificantem. Quod hæc unda, quæ elementi uel materiæ loco adhibetur in hoc Sa*cramento designat. Quemadmodum enim aqua baptismi, per suam ablutionem (abluit enim a*qua sordes corporis ac uestis) significat emun*dationem & ablutionem macularum animæ, & absterfionem sordiũ uitiorum, & p suum refri*gerium, liberationẽ à pœna peccatis debita, ita quoq; naturali sua claritate ac limpiditate, splẽ*

Titum 1. *dorem designat cælestis gratiæ. Quod* Aposto*lus in epist. ad* Titum *indicat, quum nuncupat baptismum lauachrum renouationis spiritus san cti, quem effudit in nos abundè, nimirùm ad re*missionem peccatorum consequendam, & uir*

tutum

tutum ac gratiarum copiam. Deinde cum *sententia* Augustini, *ad hoc baptismus ualeat, ut baptizati* Christo *incorporetur ut membra illius, & à capite* Christo, *in omnia membra eius, gratiarum & uirtutum plenitudo deriuetur: de plenitudine siquidem eius (inquit ille) omnes accepimus gratiam pro gratia, manifestè consequitur, per baptismum conferri gratiam.* Ioan. 1.

Rectè autẽ *hæc gratia dicitur regenerans & iustificans, quia p hanc gratiã regeneratur & renouatur homo in nouã & spiritualem uitã, & iustificatur remißione peccatorum accepta. Est autem hæc gratia ipsi per spiritum sanctum indita, qui mox (ut* Ruperti *uerbis utamur) ut uirtute sua, qua ubi uult spirat, emiserit se super aquas, mirificum agit opus suæ potentiæ, ut elementum inanimatum uiuificetur, non quidem uita animali, sed uirtute spirituali, fiatq; ianua regni* Dei, *sit thorus cælestis gratiæ, fiatq; uenter supernæ matris* Ecclesiæ. Quod *enim agunt uiscera materna, ut susceptum semen coalescat & uiuificetur, hoc agit elementum, hoc, superueniente sancto spiritu, ut homo natus de massa perditionis & mortis, renascatur in cœtum uiuentium, & populum acquisitionis.* Renascitur *planè, quia spiritu mentis suæ renouatur, ut ueterem hominem cum actibus suis exuat, & induat nouum, qui secundum* Deum *creatus est, in-* Lib. 3. in Ioan. Ephe 2. 1. Pet 2. Ephe 4.

iustitia & sanctitate ueritatis. Porrò ut *sacramentum perficiatur, fit accedente uerbo ad elementum*. Vnde Aug. *tract*. 8. *in* Ioannem. Verbo *baptisma consecratur, detrahe uerbum, & quid est aqua, nisi aqua?* Accedit *uerbum ad elementum & fit sacramentum*. Vnde *est hæc tanta uis aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente uerbo, non quia dicitur, sed quia creditur*. Nam *& in ipso uerbo, aliud est sonus transiens, aliud est uirtus intus manens*. In *duobus ergo consistit sacramentum baptismi, in uerbo scilicet & elemento*. Et *ut iterum ait, necessarium est uisibile sacramentum aquæ, ad ablutionem uisibilis corporis, sicut necessaria est doctrina inuisibilis fidei, ad sanctificationem inuisibilis animæ*. Item: Renascitur *homo ex aqua, uisibili sacramento, & spiritu inuisibili, scilicet intellectu, ut symbolum baptismi uisibiliter accipiat, & spiritualem intellectum ipsius symboli percipiat, uel ex aqua uisibili & spiritu sancto. Istud ergo sacramentum, neq; extra hominē, nec in parte hominis ponitur, sed quo totus homo, intus & exterius, uisibili sacramēto, pariter & inuisibili uirtute, regeneratur & sanctificatur*. Vnde *nō solū sacramentorū nucleos ruminare, sed & externorū signorū corticem ruminare nos cōuenit: nō solū interna, quæq; in occulto sunt, sed etiā externa, quæq; in oculos incurrunt tenen-*

De consecr. Dist. 4.

tenenda & obseruāda sunt. Cæterū docere ac asserere hæc externa symbola ad sacramentum pertinere, & efficatiam undæ baptismatis ostendere, non est ab internis, quæq; in occulto fiūt, ad externa quæq; in oculos incurrūt, id est, ab eo, quo p symbola manuducendi sumus, ad symbola ipsa et manuductionē, ut in ijs acquiescam⁹, detrahere, ut calūniosissimė Velsi⁹ adscribit archi tecto interrogatoriorū. Nō enim dicimus hominē in ipsis symbolis acqescere debere, sed externa symbola necessaria esse ad perficiendum sacramētum, deberéque hominem per ipsa symbola manuduci, & prouehi ad ea quæ interiùs aguntur.

Quod autem Christus aquæ adiungit spiritū, ab aqua incipiens, & in spiritum desinens (ut inquid Velsius) & ne in elemento ac symbolo hæreat, aut plusquamoportet ei tribuat Nicodemus, in quo præcipua regenerationis consistat uis ostendat, deinceps subijciens. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est, spiritui nimirum in regenerando præcipuas partes tribuens, qui quod intus peragendum est, in quo rei summaconsistit, perficiat. Libenter amplectimur, necquicquā contra nos faciunt. Nam & nos spiritui in regenerando præcipuas partes tribuimus. Vnde Theophylactus in 3. cap. Ioan. Homo (inqt) cum ex duobus

constet, ex corpore & anima, habet natiuitatis quoq; duplicem modũ. Aqua enim si uisibiliter accipiatur, ad corporis pertinet purificationẽ, spiritus uerò inuisibiliter concurrens, ad inuisibilis animæ regenerationem pertinet. Quod si rogas, quomodo aqua potest generare? interrogabo & ego quomodo semen & ipsum aquosum existens, potest in hominem transformari? Igitur sicut in corporali semine, totum est gratiæ diuinæ, ita & in baptismate, aqua subdita est, & spiritus omnia operatur, & inuocatio per preces, immo Dei præsentia. Symbola enim sepulturæ & resurrectionis, in aqua illa perficiuntur. Tres mersiones, triduanæ sepulturæ symbola sunt, deinde regreditur homo, sicut Dominus, fulgidior & clarior, incorruptionis ferens indumenta, qui in aqua corruptionem submersit. Hæc ille.

Non ergo in externis symbolis quiescendum docemus, neque tantum elementum seu exteriorem speciem respicimus, sed magis uerbum & spiritus sancti operationem. Non enim uirtus sacramenti adscribenda est elemento exteriori, sed Deus est qui pro bona uoluntate sua, per hæc sensibilia in uerbo fidei, gratiam inuisibilem operatur.

Vigesi-

Vigesimosexto. An credat septem esse Ecclesiæ catholicæ sacramenta, id est, formas visibiles, inuisibilis gratiæ, quas simul significant & conferunt, videlicet baptismi, confirmationis, Eucharistiæ, poenitentiæ, ordinis, matrimonij, & extremæ vnctionis.



Aec septem sacramenta à Christo instituta, Ecclesia semper & credidit & religiosè obseruauit, tanquam signa quædam efficatia ad hoc instituta, ut significarent in nobis certum quendam diuinæ operationis & gratiæ effectum, qui signis illis nunquam deest, nisi quid desit aut obsit, in ijs qui utuntur eisdem. Est autem primum baptismus, ablutio à peccatis, & character ac inauguratio quædam ciuilitatis ac militiæ regni Christi. Secundum confirmatio, spiritus sancti singularis quodammodo inhabitatio, quo Christi miles, ad perferendos huius militiæ spiritualis labores & pericula, reddatur confirmatior & magis intrepidus. Tertium Eucharistia,

 animæ

animæ nostræ, uelut nutricatio uegetatióque quædam & pinguedo, insuper & singularis quædam ac uelut substantialis unio cum Christo, cum communicatione plenitudinis gratiæ diuinæ, quæ in eodem exundat. Quartum pœnitentia, per quam datur remißio peccatorum, quibus in baptismo acceptam maculauimus innocentiæ tunicam. Quintum ordo, qui est gradus in Hierarchia Ecclesiastica, cum diuinæ uirtutis & energia & gratia, qua distribuere poßit efficaciter omnia, quamuis humanam imò omnem creaturæ uirtutem excedant, quæ ad eius officium pertinent, ut consecrare panem & uinum in CHRISTI corpus, & sanguinem, & Deo offerre immaculatam hostiam, atque etiam populo eandem porrigere. Sextum matrimonium est, indissolubilis coniunctio coniugum, quo eos connectit Deus, non humanum arbitrium, in quo diuina gratia, carnalem usum alioqui illicitum sanctificat, & honorabilem immaculatumq; thorum reddit. Septimum est extrema unctio, sanantis diuinæ gratiæ dulcedo, quæ aliquando etiam in corpus redundat, & à corporali ægritudine nos subleuat, quando nobis hoc utile DEVS diiudicat. Porrò licet Velsius suadeat repudiandum magistrum sententiarum, & negligendum Aquinatem & Scotum, quia tamen Ecclesia

DEI S. Thomæ Aquinatis ut uitam ita & doctrinam, ut Ecclesiæ utilem & necessariam, approbauit, subijciemus quo ordine & qua ratione hæc septem explicet sacramenta. Sacramenta (inquit) Ecclesiæ ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad cultum DEI, secundum religionem Christianæ uitæ: & etiam in remedium contra defectum peccati. Vtroque autem modo conuenienter, ponuntur septem sacramenta. Vita enim spiritualis, conformitatem aliquam habet ad uitam corporalem, sicut & cætera corporalia, conformitatem quandã spiritualium habent. In uita autẽ corporali, dupliciter aliquis pficitur. Vno modo, quantũ ad personã propriam. Alio modo p respectum ad totã communitatẽ societatis in qua uiuit, quia homo naturaliter est animal sociale. Respectu aũt suijpsi⁹, pficitur homo in uita corporali dupliciter. Vno modo p se, acquirendo scilicet aliquam uitæ perfectionem. Alio modo per accidens, scilicet remouẽdo impedimenta uitæ, puta ægritudines uel aliquid huiusmodi. Per se autem perficitur corporalis uita tripliciter. Primò quidem p generationem, per quam homo incipit esse & uiuere. Et loco huius in spirituali uita est baptismus, qui est spiritualis regeneratio, secundum illud ad Titum 3. Per lauachrum regenerationis, & cæt. Secundò

cundo per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem & uirtutem. Et loco huius in spirituali uita, est confirmatio, in qua datur spiritus sanctus ad robur. Vnde dicitur discipulis iam baptizatis Luc ult. Sedete in ciuitate, quoadusque induamini uirtute ex alto. Tertiò per nutritionem, qua conseruatur in homine uita & uirtus. Et loco hui⁹ in uita spirituali est Eucharistia. Vnde dicitur Ioan. 6. Nisi mãducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet & corporaliter & spiritualiter, impaßibilẽ uitã. Sed quia homo incurrit interdum corporalem infirmitatem & spiritualem, scilicet peccatũ, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate. Quæ quidem est duplex. Vna quidem est sanatio, quæ sanitatem restituit. Et loco huius in spirituali uita est pœnitentia, secundum illud Psalmistæ: Sana animam meam, quia peccaui tibi. Alia autem est restitutio ualetudinis pristinæ, per conuenientem dietam & exercitium. Et loco huius in spirituali uita, est extrema unctio, quæ remouet peccatorum reliquias, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam. Vnde dicitur Iacobi 5. Et si in peccatis sit, dimittentur ei. Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter,

ter, Vno modo per hoc, quod accipit potestatem regendi multitudinem, & exercendi actus publicos. Et *loco huius in spirituali uita, est sacramentum ordinis, secundum illud ad* Heb. 7. *Quòd sacerdotes hostias offerunt, nõ solùm pro se, sed etiam pro populo. Secundò quantum ad naturalem propagationem, quod fit per matrimonium, tam in corporali, q̃ in spirituali uita, eo quòd est non solum sacramentũ, sed etiam naturæ officium.* Ex *his etiam patet sacramentorũ numerus, secundum quod ordinãtur contra defectum peccati.* Nam *baptismus ordinatur cõtra carentiam uitæ spiritualis.* Confirmatio *contra infirmitatẽ animi, quæ in nuper natis inuenitur.* Eucharistia *contra labilitatem animi ad peccandum peccata contra actuale peccatum, post baptismum commissum.* Extrema *unctio contra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ aut ex negligentia, aut ex ignorantia.* Ordo *cóntra dissolutionem multitudinis.* Matrimonium *in remediũ contra concupiscentiam personalem, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit.* Quidam *uerò accipiunt numerum sacramentorum, per quandam adaptationem ad uirtutes, & ad defectus culparum & pœnalitatum, dicentes, quod fidei respondet baptismus, & ordinatur contra culpam originalem. Spei extre-*

ma unctio, & ordinatur contra culpam uenialem. Charitati Eucharistia, & ordinatur contra pœnalitatem malitiæ. Prudentiæ ordo, & ordinatur contra ignorantiam. Iustitiæ pœnitentia, & ordinatur contra peccatum mortale. Temperantiæ matrimonium, & ordinatur contra concupiscentiam. Fortitudini confirmatio, & ordinatur contra infirmitatem. Hactenus ille. Huc adesto Velsi, qui tanto supercilio hunc sanctum doctorem aspernaris, eúmque repudiandum suades, & si quid scientificis & demonstratiuis tuis rationibus (ita enim nugas tuas appellas) potes, demonstra, explica omnes ingenij tui uires, & conuelle ista si uales. Sed scio, non poteris. Solida enim ueritate subsistunt. Porrò de sacramento baptismi Christus loquitur in Euangelio ad Nicodemum. Ioan. 3. *Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Et iterum.*

Mat. vlt. Marc. vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. De sacramento confirmationis, quòd manuum impositionis, aut etiam ex ritu (quo in eo ab initio est usa, & usq; nunc utitur Ecclesia, cõsignando uidelicet frontem confirmati ex sacro chrismate signo crucis) cõsignationis dicitur, lo*

quitur liber Actuum apostolorum. Cum audis- Act.8.
sent (inquit) apostoli, qui erāt Hierosolymis, qa
recepisset Samaria uerbum Dei, miserunt ad e-
os Petrum & Ioannem. Qui cum uenissent, ora
uerunt pro ipsis ut acciperent spiritum sanctū.
Nondum enim in quenquem illorum uenerat,
sed baptizati tantum erant in nomine domini
Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & ac
cipiebant spiritum sanctum. Itē Paulus cum ue-
nisset Ephesum, inuenit quosdam discipulos, di-
xitq; ed eos: Si spiritum sanctum accepistis cre-
dentes? At illi dixerunt ad eum. Sed neque si spi Act.19.
ritus sanctus est, audiuimus. Ille uerò ait: In quo
ergo baptizati estis? Qui dixerūt, in Ioānis ba-
ptismate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptiza
uit baptismo pœnitentiæ populum dicens, in eū
qui uenturus esset post ipsum ut crederent, hoc
est in Iesum. His auditis baptizati sunt in nomi-
ne domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus
Paulus, uenit spiritus sanctus super eos, & lo-
quebantur linguis & prophetabant. De sacra-
mēti Eucharistiæ institutione habes apud Mat-
thæum cap. 26. apud Luc. cap. 22. apud Mar
cū c. 14. apud Paulū 2. Cor. 11. De sacramento
pœnitentiæ saluator apud Matt. ait: Pœniten- Matth.3.
tiā agite, appropinquabit enim regnū cælorū. & 4.
Vbi nō solū docet, ut corde pœniteam⁹, sed etiā
ut pœnitētiā totis uirib⁹ agamus, ubi etiā certos
quos-

quosdam actuum modos ostendit, quos exigit sacramentum pœnitentiæ. Item Matt.16. huius sacramenti ministros, illorum officium determinauit & instituit, dicens Petro. Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Et iterum Matt. 18. *Apostolis omnibus: Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Et. Ioan.20. *Hæc cum dixisset, insufflauit & dicit eis:* Accipite *spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* In *quibus uerbis confeßio sacramentalis, secunda pœnitentiæ pars, fundatur, & comprobatur esse iuris diuini.* De *hac pœnitentia* Chri*stus post resurrectionem suam discipulis suis ait*

Luc.24. *apud* Lucam. *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat* Christum *pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remißionem peccatorum in omnes gentes. Quibus uerbis nónne satis apertè indicat sacramentum pœnitentiæ, uim suam & efficatiam habere uirtute clauium spiritualium, remittendi peccata?*

Quantum ad sacramentum Ordinis *attinet, sciendum est* Christum *in ultima cœna, cum porrigeret discipulis suis corpus & sanguinem suũ*

sub

sub specie panis & uini, etiã præcepisse, ut in sui cõmemorationẽ hoc ipsum facerẽt, dicẽs: Hoc *fa cite in meã cõmemorationẽ.* Cõtulit *itaq; Christus sacerdos in æternũ secundũ ordinẽ* Melchise *dech apostolis potestatem super corpus suum uerum, ut nimirum ex pane & uino conficerent Eucharistiæ sacramentum, in quo ipse uerè sumitur, ut antea à nobis demonstratum est.* Quũ *ergo ordo præcipuè institutus sit, ad corporis Christi consecrationem, quæ solis competit sacerdotibus, consequitur* Christum *in ultima cœna, apostolos in sacerdotes ordinasse, & ipsum ordinis sacramentum instituisse.* Post *resurrectionem quoq; suam, apostolis suis tribuit potestatem super corpus suum mysticum, quod est* Ecclesia, *dicens: Sicut misit me pater, & ego mitto uos. Hæc quum dixisset insufflauit & dixit eis:* Accipite *spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. Hanc autem potestatem, sicut & priorem constat ad ordinis sacramentũ pertinere.* Ex *quibus perspicuum est ordinis sacramentum à Christo in* Euangelio *institutum. Sed &* Apostolus *Paulus ordinis sacramentum designat, ubi ait* Timotheo *discipulo suo scribẽs in hæc uerba.* Noli *negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij* Et *rursus.* Admoneo *te, ut resuscites gratiam quæ est in te, per im-*

Ioan. 20.

1. Tim. 4.

2. Tim. 1.

impositionem manuum mearum. Et iterũ *qui bè*
Tit.1 *ne præsunt presbyteri, duplici honore digni ha-*
beantur, maximè qui laborant in uerbo & do-
ctrina. Et post aliquanta: *Aduersus presbyterũ*
accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut
tribus testibus. Et iterũ: *Manus citò nemini im-*
posueris, neque communicaueris peccatis alie-
nis. Tito quoque scribens ait: *Huius rei gratia*
reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, &
constituas per ciuitates presbyteros, sicut & e-
Act.13. *go disposui tibi.* In Actis item apostolorum, *spi*
ritus sanctus dixit ministris Ecclesiæ, quæ erat
Antiochiæ: Segregate mihi Paulum & Berna-
bam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunã-
tes, & orantes, imponentesq; eis manus, dimise-
runt illos. Et ipsi quidem missi à spiritu sancto
abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cy-
prũ. Et Paulus ipse ad maiores natu Ephesiorũ
Act.20. *Attendite (inquit) uobis & uniuerso gregi, in*
quo uos spiritus sanctus posuit Episcopos, rege
re Ecclesiã Dei, quã acquisiuit sanguine suo. Vn
de colligitur nõ humanã, sed planè diuinã hanc
esse autoritatẽ ac potestatẽ, nec ex humano nu-
tu pendere, quãuis humano & manuũ episcopa
liũ conferatur ministerio. Timotheus & Titus,
Pauli ministerio sunt ordinati, at à Deo est il-
lis data sacerdotalis authoritas. Nam in grege
Christi (ut Paulus inquit) posuit eos spiritus san
ctus

ctus Episcopos, ad regendam Ecclesiam Dei. Vn de etiã eos qui pontificali ministerio, ordinati & consecrati sunt in sacerdotes & Episcopos, ab eodẽ Apostolo, ad eiusmodi honorẽ, dicuntur à Deo uocari. Nec quisquam (inquit) sibi sumit honorem, sed qui uocatur à Deo tanquã Aaron. Heb. 5.
Quo uerbo, neq; ordinatis à se Timotheo, Tito, & cæteris, honorẽ, de quo loquitur, sacerdotalẽ & pontificium abrogat: sed quẽadmodum illos, quãuis humano ministerio, tamẽ à spiritu sancto constitutos Episcopos affirmauit, ita eosdẽ hic significat uocatos à Deo. Matrimoniũ extra om nẽ cõtrouersiã sacramentũ est, quoniã ipse Paulus apostolus expresso sacramẽti nomine, ipsum sacramentis adnumerat, dicẽs in epist. ad Ephesi os: Viri diligite uxores uestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam &c. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suã, & adhærebit uxo ri suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnũ est, ego aũt dico in Christo & in Ec clesia. De sacramẽto extremæ unctionis S. Iacobus apostolus ita loquitur. Infirmatur quis in uobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orẽt super eũ, ungẽtes eũ oleo in nomine domini & ora tio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus: & si in peccatis sit, remittẽtur ei. Sunt autem hæc sacramenta, formæ uisibiles, inuisibilis gratiæ, quas simul significant & conferunt. Ephes. 5. Iaco. 5.

Nam

Nā in ſacramento baptiſmi, forma uiſibilis eſt elemētum aquæ. Verbum autem ipſa inuocatio Trinitatis, huic diuinæ promiſsioni innixa. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, quæ peragitur hiſce uerbis à Chriſto traditis, uidelicet, ego te baptizo in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Significat autem hæc forma uiſibilis inuiſibilem gratiam quam confert. Nam aqua corpus tingit, & faciente uerbo cor abluit. Præſtari autem per hoc ſacramentū gratiam ſpiritusſancti, & remiſsionē peccatorum, Petrus apoſtolus teſtatur, dicens. Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſq; ueſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorum ueſtrorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. In ſacramento confirmationis forma uiſibilis eſt chriſma, quod manu Epiſcopi in frontem confirmandi illinitur, & ex oleo oliuarum & balſamo cōficitur, & per Epiſcopum conſecratur. Hinc additur uerbum, quo hoc ſacramētum traditur, nimirum: Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine patris & filij & ſpirituſſancti. Hoc ſacramento datur ſpiritus ſanctus (qui in baptiſmo ad purificationem & emundationē accipitur) ad robur & augmētum uirtutis, ut aduerſus peccatorum, mundi, & diaboli inſultus confirmemur, & facti intrepidi, nullis perturbationibus frangamur, nullis

tribu-

tribulationibus succumbamus, nullis deniq; terroribus ac cruciatib⁹, à Christo separemur. Pro*mißio cui uerbum huius sacramenti innititur, & ex qua eruitur, apud* Lucam *legitur, dicente Christo apostolis:* Ego *mittam promissum pa-* Lucæ 24.
tris mei in uos. Vos *autem sedete in ciuitate, quoadusq; induamini uirtute ex alto.* Et *iterū:* Accipietis *uirtūtem spiritus sancti in uos, &* Actō.1.
eritis mihi testes in Hierusalem, *& in omni* Iu*dæa, &* Samaria, *& usq; ad ultimum terræ.* Hāc *autem promißionem postea in die pentecostes in signo uisibili euidentißime præstitit, ut quod in apostolis semel in forma sensibili factum esse credimus, per sacramentum confirmationis fieri in nobis minime dubitaremus.* Nam *quod in primitiua* Ecclesia, *spiritus sancti descensio in credentium populos donauit uniuersis, hoc in confirmandis neophytis, impositio manus* Epi*scoporum tribuit singulis, unicuique tamen secundum mensuram donationis Christi.* Alioqui Ephe.4.
Christus frustra orasset dicens: Non *pro eis ro-* Ioan. 17.
go tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per uerbum eorum in me, ut omnes unum sint, &c. Quod *ex superiorib⁹ scripturis ex* Actibus *apostolorum adductis comprobatur.* In Eucharistiæ *sacramento forma uisibilis, est panis & uinum aqua mixtum, ad quæ quum accedit uerbū, transeunt in uerum corpus & sanguinem* Chri-

 sti,

sti, & fit sacramentum. Verbum enim huius sacramenti est sermo Christi, cuius uirtute hoc sacramentum conficitur. Nomen *autem huius sacramenti significat gratiam eo conferri.* Quid *est enim* Eucharistia, *nisi bona gratia?* Et *rectè,* In *eo siquidem* Christus, *qui gratia & ueritate plenus est, seipsum nobis exhibet, ac testatur carnem suam, quã ipse æternum patris uerbum, mortalis factus, nostri causa suscepit, pro nobis crucifixam, & sanguinem suum pro nobis in cruce effusum esse in remissionem peccatorum nostrorum.* In *pœnitentiæ sacramento forma uisibilis, sunt actus pœnitentis, cuius materia sunt peccata, de quibus dolet, & quæ cõfitetur, & pro quibus satisfacit.* Non *enim peccata sunt materia huius sacramenti, ut acceptanda, sed detestanda & destruenda.* Accedit *etiam corporis ille gestus & actus, quo sacerdos absoluit confitentem, similitudinem habens cum interiori absolutione, qua* Deus *animam à peccatorum nexibus exuit.* Nam *uerba absolutoria externè prolata,* Deum *intus dimittentem significant.* Verbum *autem huius sacramenti est:* Ego *te absoluo, &c.* Et *hoc congruit uerbis, quæ* Do*minus dixit, uirtutem clauium ostendens, p quas sacerdotes absoluunt,* Nam Petro *dixit:* Quod*cunque solueris super terram, erit solutum* Matt.16.
& in cælis. Et *apostolis omnibus:* Quecun- Matt.18.
que

que alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Operatur autē sacramētum pœnitentiæ remißionē peccatorū, quæ absque gratia non fit per uirtutē paßionis Christi, sicut & cætera sacramenta. cū scriptum sit: Ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non solum nostris, sed etiam totius mundi. In sacramento ordinis, uisibilis forma uel elementum, maximè quantum ad maiores ordines attinet, est impositio manuum, quemadmodum plurima loca in Actis apostolicis, & apud Paulum ostendūt, paulò antè à nobis citata. Apostoli quoq; septem diaconibus manus imposuerunt, quēadmodū Lucas testatur dicens: Hos statuerunt ante conspectum apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus. Acto. 6. In ueteri quoq; testamento, impositio manuum non carebat mysterio. Nam cum præcepisset Dn̄s Moysi, ut tolleret Iosue filiū Nū, uirum Num. 27. in quo erat spiritus Dei, ut poneret manū suā super eū, fecit Moyses ut præceperat ei Dominus. Cūq; tulisset Iosue, statuit eū corā Eleazaro sacerdote, & omni frequentia populi, & impositis capiti eius manibus cūcta replicauit, quæ mādauerat Dominus. Sed & Christo in Euangelio Matt. 19. leguntur paruuli oblati, ut imponeret eis manus & oraret. Mysteriū impositionis manus B. Amb. in lib. de Dignitate sacerdotali cap. 5. explicat

in hæc uerba. Homo imponit manus, Deus largitur gratiam, sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera, Episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem. Deinde etiam unctio, quæ adhibetur sacerdotio initiandis, elementum est ordinis, quæ ab unctione legis originem habet, non recens commentum, sed in Ecclesia catholica à tẽpore apostolorum celebrata. Verbum in hoc sacramento, desumptum est, ex uerbis Christi dicentis ad apostolos suos apud Ioannem cap. 20. Accipite spiritum sanctum, &c. Nam Pontifex ei qui consecratur in sacerdotem, dicit: Accipe spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt, &c. Virtus siue efficatia ac effectus huius sacramenti, est gratia diuina, ordinato collata, qua efficatia & rata sunt quæcunq; ordinatus, secundũ Christi & Ecclesiæ institutionem, gerit in Ecclesia. De hac gratia apostolus ad Timotheum ait:
1. Tim. 4. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij. Vbi per prophetiam, sanctorũ electionẽ intelligit. Sic enim in principio nascentis Ecclesiæ, electiones celebrabantur, nec facilè aliquis assumebatur ad episcopalem dignitatẽ, nisi per electionem diuinam, quam apostolus prophetiam appellat. Impositio autem manuum,

um, gratiæ collationem significabat. Vnde iterũ ad eundem scribit: Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est, per impositionem manuũ mearum. Non est autem hæc gratia propriè iustificans, sed uelut energia quædam, ad functiones eius quod ordinatus suscepit officij, in utilitatem Ecclesiastici corporis, membrorúmque eius, efficaciter obeundas, necessaria. Christus siquidem illis primis sacerdotibus suis, dimittendi hominibus peccata autoritatem conferens, cũ præuio insufflationis actu. Accipite (inquit spiritum sanctum: non equidem ad iustificationis effectum, ad quem iamdudum spiritum sanctum acceperant, sed ad hoc, ut quorum remitterent peccata, ea remissa forent, & quæ retinerent, retenta. Quemadmodum ad doni linguarum fortitudinis cæterorúmque charismatum, ipsis, ad Euangelicæ doctrinæ in orbem uniuersum (ad quod destinabantur) propagationem necessariorum, paulò pòst in die pentecostes eundem spiritum sanctum iterum acceperunt. Quæ tamen ipsa charismata, etiam in peccatoribus fuisse & perdurasse, qui in die iudicij à Christo audituri sunt, Quia nunq̃ cognoui uos, discedite à me operarij iniquitatis. Idem ipse Christus nobis certissimus testis est. Operatur ergo hæc gratia, non tantũ in bonis, sed & in malis sacerdotibus. Nam et si mali sacerdotes spiritu careãt, quo ipsi san-

2. Tim. 1.

Matt. 7.

cti sint, habent tamen spiritū sanctum, qui ministerijs, quæ per eos aguntur, adsistit. Porrò qui *dignè & ut oportet, ordinis sacramentum suscipiunt, non solum illam gratiā efficaciter exequēdi, quæ ad suum munus spectant, accipiunt, sed etiam eam quam* Gratumfacientem *uocant, qua dignè & salubriter, illud ipsum adimplere ualeant, cum augmento præexistentis in eijsdem gratiæ & charismatum.*

In Matrimonij *sacramento elementi uel materiæ locum obtinent personæ contrahētes, ipsa uerò contrahentiū uerba, quibus mutuus consensus exprimitur, sunt forma.* Est *enim uerbum huius sacramenti, quo accedente ad elementum fit sacramentum, id nimirum, quo ambo mas & fœmina, sibi mutuò fidem coniugalem dant accipiuntq; & legittimè coniunguntur, seu in nomine* Patris *& filij & spiritus sancti copulantur.* Est *autem tale uerbum,* Christi *uerbis uti, firmißima basi subnixum, cum inquit:* Quos Deus con-
Matt.19. *iunxit, homo nō separet.* Quibus *sanè uerbis sacramentū matrimonij nouæ legis ualidißimè stabilitur, et* Christianorū *cōiūgia, ab omniū aliarū gentiū connubijs, separantur.* Quo *etiā ostenditur, quod qcūq; legittimo cōiugio copulātur, eos nō temerè, neq; humanis tātum cæremonijs, sed ipso* Deo *inuisibiliter aßistēte, & insensibiliter cooperāte coniūgi: atq; etiam* Deū *non solū*

interesse, sed & praeesse legittimè contracto con iugio. Deinde eodē Christi uerbo principalis res seu uis Christiani matrimonij declaratur, quae est indissolubilis firmitas foederis, seu uinculi cō iugalis, insigni Dei gratia redimita. Nā si Deus coniuges sic nectit ac copulat, ut nulli hominum potestas sit eos separandi, omnino consequens est, ut eisdem à se coniunctis coniugibus, eam etiam gratiam impertiatur, qua sibi hoc mutuò atque inuiolabili foedere, per pium ac castum amorem perpetuò cohaerere, seq; mutuò ad eum modum, quo Christus Ecclesiam, pro suo modulo complecti ac diligere poßint, ab omni immunditia alieni. Magnum est ergo sacramentum, duos esse in carne una, hoc est, duos Deo iungente, in unam carnem constringi nectique: non secus quàm CHRISTVS & Ecclesia, indissolubili affectus & naturae communione, una & caro & corpus efficiuntur. Denique in sacramento extremae unctionis, quódnam sit elementum, & uerbum, Beatus Apostolus Iacobus uerbis suprà citatis insinuat. Nam exprimit omnia quae ad sacramenti rationem pertinent: nempe sensibile signum, in unctione olei consecrati, quod est materia huius sacramenti: formam quoque quam dicit esse orationem, unde addit: Et orent super eum. Et quia dominus Deus prae-

cipuè operatur in sacramentis suis, quorum ipse est autor, ideo subiungit: Vngentes eum *in nomine* Domini, *& alleuiabit eum* Dominus *per misericordiam suam.* Postremò *effectum siue fructum principalem huius sacramenti subnectit, dicens:* Et *si in peccatis sit, remittentur ei.* Hic *est enim omnis fructus (ait* Propheta*) ut tollatur peccatum.* Hunc *fructum significat oleum, quo delinitur qui morbo afficitur.* Solet *enim oleum sanitati haud parum conferre, & infirmis auxilio esse.* Ex *quibus omnibus constat septem esse* Ecclesiæ *catholicæ sacramenta, hoc est, septem esse formas uisibiles, inuisibilis gratiæ quas simul significant & conferunt, quemadmodum nunc singulatim declarauimus.* Porrò *licet certißimum sit, & indubitatum meritò apud omnes esse debeat, hunc septenarium sacramentorum numerum, non nuper cœpisse, sed multis retrò seculis, magno cõsensu ab initio nascentis* Ecclesiæ, *p uniuersam* Ecclesiam, *absq; ulla quæstione & controuersia, creditum & obseruatũ, & ad hoc comprobandum priscorum patrum & aliorum eos sequentiũ autoritates, et sententias huc producere possemus, unicum tamen irrefragabilem testem ueritatis (quem* Velsius *contra ueritatem & plerunque insyncerè citat) huc adducere placuit, & quid ille de sacramentis istis*

Esaiæ 27.

& ritu eorundem scripserit summatim subijciemus. Is est insignis ille doctor & Martyr S. Dionysius Areopagita, gentium doctoris Apostoli Pauli discipulus, & Atheniensium Episcopus ac Galliarum Apostolus. Hic itaq; in lib. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, de baptismo (quod uocat sacramentum regenerationis & illuminationis) capite secundo, diuinam & sufficientissimam compleuit determinationem.

Sacramentũ Confirmationis, nuncupat charismatum & donorum spiritus sancti, de quo agit cap. 4. sub nomine dignissimi unguenti, ac consecrandi munus, teleten, ab effectu rei, quæ in eo perficitur nominati. Telete siquidem perfectio & sanctificatio interpretatur. Ipsi (inquit) qui sacratissimo regenerationis mysterio consecratur, aduentum sancti spiritus, consummans inunctio largitur unguenti, subsignificante (quantũ arbitror) sacra descriptione signorũ, ab ipso qui propter nos in assũpta carne, diuino spiritu sanctificatus est immutabili substantialis Deitatis habitu, sanctissimum spiritum dari. Hactenus ille. Et solebat hoc sacramentum dari, statim post regenerationis lauachrum, maximè quando adulti baptizabantur. De Eucharistiæ sacramento, quod sanctissimam synaxim & communionem nuncupat, determinat cap. 3. De sacris ordinibus agit quinto capite, nimirũ de consecratio

ne Pontificis, consecratione sacerdotis, & consecratione ministri, ubi etiam sacrorum ordinũ mysteria explicat. Vnctionis extremæ sancto Christianitatis uoto dignæ, ritus recenset capite 7. Fiebat eo in tempore, supra iam dormientes (ut Stapulensis asserit) corporibus magna munditiæ cura, ab illuuiebus (quas terrenæ mortis neceßitas, & dissolutionis claustri uitæ uiolentia, plerunque secum adferre solent) purgatis, & ad uiuificationis nostræ matrem adductis. Nunc uerò faciunt super extremè (ut humana fert coniectura) laborantes inducti beatißimi Iacobi Apostoli au-
Ioc. 5. *toritate, dicentis: Tristatur quis uestrûm, & cæt. Et dubium non est, utramque inunctionem, tempore apostolorum fieri solitam. Sed cum pro salute infirmantium, suffragia presbyterorum & inunctio petebantur, non præstolabatur summa rerum desperatio, imò ut in libris mysteriorum legitur, Ecclesiæ longißimus fuit mos, presbyteros, orationes & inunctionem, per semptẽ dies (si oportere uidebatur) continuare pro salute infirmantium, ad Deum uotis & inuocationibus supplices. Porrò quia pœnitentes de ordine purgandorum sunt, & extra Ecclesiasticam Hierarchiam, neque diuinorum contuitu, neque tanto magis deifica communionis participatione dignati*

gnati (ut ex sexto capite cognoscitur) non uidetur pium patrem de eorum pœnitentia, amplius protrahere oportuisse sermonem, & sanctißimis inseruisse teletis. Quæ quidem suscipiendorum perficientium sacramentorum potius præparatio quædam, introitus & ianua quàm sacramentum esse uidetur. Hic autem de sacramentis, aut mundorum, aut quæ statim mundant, & sacrorum consortium traduht, prosequutus est determinationem. Quæ quum ita sint, nihilominus tamen circa peccatorum remißionem, prouisum est sacramentum, quemadmodum superius ostensum est, quod ritè appellari potest, & remißionis peccatorum, & reconciliationis sacramentum. De quo tamen exactam determinationem non facit, quia exploratum habebat beatißimus pater, sacramentum reconciliationis, non statim mundos & puros efficere, & cõmunionis participes, quod baptismo, cõfirmationi, Eucharistiæ, sacro ordini, & ad beatã quietẽ unctioni conuenit, de quibus solis exactam suscepit determinationẽ. Matrimonium autem, in sua significatione, Ecclesiæ sacramenta, quodammodo debebat præuenire. Ecclesia enim sponsa Christi est. Christus autẽ prius sponsam delegit, quã sacramenta ad ipsius & suæ prolis ueram sanctificationẽ instituerit. Porrò de sacramentorum signis aut formis uisibilibus

bilibus, beatißimus pater in eodem lib. cap.2. parte.3. ita loquitur. Nos *(inquit) sacris aſcenſibus uiſibilium rerum aſpicientes initia, ubi ea ſacratiore modo didicerim⁹, ſciemus quæ'nã exemplaria, formæ huiuſmodi, & quæ inuiſibilia, imagines iſtæ ſignificent. Sunt enim(ut in libro de* Intelligibilibus *& ſenſibilibus apertè docuimus) uiſibilia ſacramenta, intelligibilium imagines quædã, quibus ad ea recto itinere ducimur.* Porrò *intelligibilia, uiſibilium ſacramentorum, initium ſunt atque ſcientia.*

Cæterùm in tertio tomo Conciliorum, *habetur* Decretum Eugenij *papæ quarti, in quo ſeptem ſacramentorum ueritas, ſub breuißima redigitur formula.* Ibidem *quoq; in* Concilio Pronunciali Senonenſi *cap.* 10. *agitur de ſeptem ſacramentis à* Chriſto *inſtitutis, & oſtenditur illa conferre gratiã obicem non ponenti.* At Vel *ſius, duo ſalutis noſtræ continentia myſteria, baptiſmum nimirum & cœnam domini, citra omnem controuerſiam eſſe ſtatuit ſacramenta, reliquas ordinationes bonas & uerbo* Dei *conſentaneas, ſuo loco, quo ſcriptura eas habẽdas docet, habens, cum nullo, qui & ipſe hoc faciat, digladiaturus, ſi ſacramenta ea appellari uelit: quòd iubeat* Paulus *ne uerborum pugnas ſequamur, &c. Sacramentum tamẽ ordinis, apud nos iamdiu deſiiſſe ſacramentum eſſe, quod de extremis*

popu-

populi, id est, hominum fæce, qui à Deo uocati ad ministerium nō sunt, si manum impleuerint, assumentes, contra Christi & Apostolorum institutum, sacerdotes faciamus, ita ut externa illa adhibenda, præter ludibria mera nihil sint et circulatorum præstigijs, quàm sacramentis similiora, ut taceat interim ad unum omnes, qui à nostris ordinantur, simoniacos esse, nosq; ordinationes huiusmodi uendentes, Iudæ furis & proditoris æmulatores esse. Quid quæso pie lector, hoc aliud quàm mera est calumnia, imò & blasphemia? Non *enim externa illa adhibenda, sunt ludibria cēsenda, neq; circulatorum præstigijs aßimilanda, sed sacrosanctæ ceremoniæ, quæ in ordinatione sacerdotum adhibentur, ex institutione apostolorum, quemadmodū ex* Dio*nysio* Areopagita *constat. Has ergo taxans* Vel*sius, non intelligit, non tam taxari eos qui hodiè uiuunt, quàm ipsos apostolos, & illorum successores, quorum uestigijs insequimur, qui nobis hos ritus tenendos tradiderunt: falsißimum quoq; est apud nos sacramentū ordinis desiisse esse sacramentum, neq; unquam hoc* Vel*sius cōprobabit: nec minus falsum, quod contra Christi et apostolorum institutum sacerdotes faciamus. Licet enim tam ignobiles quàm nobiles ad sacerdotium admittantur, non tamen hoc fit contra Christi institutū, q ignobiles piscatores elegit,*

2. Tim 2.

Eccl. Hierar. cap. 5.

quos

quos sacerdotes & Episcopos ordinauit, & Paulus dicit. Videte uocationẽ uestram fratres, quia non multi sapientes secundũ carnẽ, nõ multi potentes, nõ multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius.

DE VENERATIONE & inuocatione sanctorum.

Vigesimo septimo. An credat gloriosam virginem matrem, apostolos, martyres, aliosq́ sanctos apud Deum viuentes, piè venerandos, & ad patrocinãdum pro nobis apud Deum, implorãdos & inuocãdos esse: & an credat Vigilantiũ aliter sentientẽ, iure ab Ecclesia damnatum fuisse.

Matt. 22.



Ancti qui obdormierunt in domino, non sunt mortui appellandi, quia uiuunt apud Deũ. Nam Christus in euangelio dixit: Deus Abrahã, Deus Isaac, &

& Deus Iacob non est Deus mortuorum, sed uiuentium. Omnes enim illi uiuunt. Nō sunt ergo tam uilibus contemptis, imò prophanis uocibus homines mortui appellādi, quēadmodū propha ni faciunt hæretici. Deniq; ut Hieronymus ait, sancti non appellantur mortui, sed dormientes. Vnde & Lazarus qui resurrecturus erat dormisse perhibetur, & Apostolus uetat Thessalonicenses de dormientibus contristari. Porrò sancti isti apud Deum uiuentes, piè uenerādi sunt, quod etiam Velsius hoc loco admittit, non ignorans, quod quicquid excellit, & diuinis uirtutibus conspicuum est, uenerationem iustam habere, quod nec Ethnici ignorarunt philosophi. Sed non aliā uerā & legittimam ex sacris literis eius faciendi proponit rationē, quàm ut in ipsorum, sanctè pieq; actam uitam, quæq; pro Christo & ueritate, uel paßi sunt, oculis animi intuentes, illorum imitatores efficiamur, quemadmodum & ipsi fuerunt Christi. Sic enim (inquit) & caput obtinebit, quod uniuersa hæc ueneratio, in Christi boni omnis, & excellentiæ autoris ac fontis, gloriam redundet, & maximā inde utilitatem reportabit, huiusmodi imitatione cum Christo seipsisq; coniūgens. sed & uiuus lapis ad exædificationis complementum, cœlestis illius Hierusalem ciuitatis nouæ redditus, illorum quàm maximè desiderio ac uotis respondebis.

bis. Hæc ille. Sed unde hoc comprobabit? unde affirmabit? forte aliquando interfuit Concilio sanctorum, quando eò promotus fuit, ut ad dexterā Dei patris in cælestibus considentem Christum conspiceret, ubi factus etiam sit de sanctorum uoluntate & sentētia certior. Et nos quidē ingenuè fatemur, sanctos esse imitandos. Imò etiam sanctorum honorificentia, prodest nobis ad imitationis studium, quo ardenter accendimur, cum ipsorum uirtutes, nostræ mentis oculis obijciuntur. Sunt enim egregia sanctorum opera, tanquam sacræ quædam faces, nos ad æmulationem sequendamq; uitā eorum, suo feruore succendentes. Sed hic imitationis cultus, non est duntaxat sanctis impendendus. Nam prosequendi etiam sunt laudibus, præconijs & honoribus. Agimus quoque eorum memorias anniuersarias celebrando eorum festiuitates, osculamur & colimus sacrosanctas eorū reliquias, ac auro, argento, margaritis, & purpura includimus, basilicas & martyria, in quibus Christus adoratur & colitur, eorum nominibus denominamus, imagines quoque quibus repræsentantur, statuimus, ab adoratione tamen & sacrificijs, quæ soli Deo debentur, prorsus abstinemus. Reliquos quoq; seruitutis nostræ honores & cultus principiò & ante omnia Deo debemus, non autem soli. Quales sunt diligere, uenera-

uenerari, honorare, laudare, prædicare, timere, obedire, & his similia. Taliũ *enim uoluit creaturas quasdã propter bonitatem suam fieri participes, ita tamen ut ipse supremum in eis fastigium obtineret ac præcipuè spectetur.* Hinc *est quòd* Deum *diligimus & proximum, licet non eodẽ modo.* Diligimus *eũ* Deũ *super omnia propter se, proximũ uerò post* Deum, *& propter eundẽ.* Est *aũt diligere cultus quidã.* Laudamus *et ueneramur cultores* Dei, *sed propter* Deum *ipsum uerò magis.* Honoramus *parẽtes, sed secũdũ* Deum, *nec aliter eos colimus.* Obedimus *suis quisq; præpositis,* Deũ *potius cogitantes, quàm ipsos, qui præposuit illos super capita nostra.* Nã *diuina ordinatione præpositi cõstituuntur.* Recipimus *apostolos, propter illũ qui misit illos.* Nã *qui accipit (ut* Christus *inquit) si quẽ mi sero, me accipit.* Et *quis meritò negabit omnia ista esse cultus quosdã?* Porrò *huius generis est etiam ueneratio sanctorũ.* Quòd *enim colimus, quòd tantopere ueneramur sanctos, in nullius creaturæ gratiam facimus, neque planè ob id quòd per seipsos uideantur nobis hoc honore digni, neq; quiescẽtes in sanctis, ponimus carnẽ brachium nostrum, sed ueneramur in sanctis, sanctum illũ sanctorũ, in quẽ omnis honor redũdat: ueneramur seruos propter* Dominũ, *filios propter patrẽ, dilectos propter diligentem, sanctos*

propter eum qui sanctificauit eos. Et *si enim ui tæ sanctitate, multisq́; alijs uirtutibus, beati illi homines fuerint in uita & in morte spectabiles, ingenuè tamen profitemur hæc omnia à* Deo *profecta, eius esse dona, & ad ipsum rursus referenda.* Propter *eiuscemodi autem uenerationem nihil expectamus à sanctis, quod reddant nobis de suo, quos scimus nihil habere quod non acceperint, sed* Dominus *est, qui hæc libenter aspicit & remunerat, cuius est ista uoluntas, imò qui procurat in nobis, ut suos electos, tali honore afficiamus.* Hæc *est enim exigua quædam pars præmij, quo ipsos* Deus *honorat, secũdum illud:* Qui *me honorificauerit, honorificabit eũ* Pater *meus, nõ tantũ in cœlis (quanquã ibi præcipuè) sed etiã in terris ita uidelicet, qa excitat pios homines in laudes sanctorũ in qbus ipse refulget.* vnde *tantũ cõcipiunt sancti uoluptatis & gaudij, quantũ* Deus *inde honoratur.* Nõ *amãt enim nisi in ipso uenerari & coli.* Ille *ergo autor est, nos ministri, ille inspirat, ille dirigit & promouet nostras actiões, ille ducit, nos ducentẽ uolẽtes seqmur, ille inuitat multò manifestius p diuinæ potẽtiæ miracula, quã si uoce loquatur, nos obtẽperamus illud aio uersantes, omnino debere honorari, quos* Rex *regũ uult esse honoratos, ut cõsequẽs sit, à patre cœlesti dissentire illos, qui sanctis negant suã uenerationem.*

Si

Si quis mihi (inquit) ministrauerit, honorificabit eum pater meus qui est in cœlis. Filij Dei mi Ioan.12.
nistri fideles & seduli (quales proculdubio fuerunt sancti Dei *omnes) post decursum præsentis uitæ stadium, honore cœlestis præmij & immarcessibilis gloriæ afficiuntur à* Deo, *nónne dignũ & iustũ est, eosdem quoq; honorificare filij* Dei *famulos & ministros adhuc in præsentis uitæ curriculo desudantes, ut conformes sint cœlesti patri, & bonitati illius respondeant? Improbi enim & maleuoli sunt serui illi, qui dedignantur honorare eos quos* Dominus *eorum, singulari beneuolentia complectitur, & insigniter honorat.* Porrò *cum non dubitemus sanctos omnes, à patre cælesti esse mirificè honorificatos, æquum & iustum est, ut ipsis dignum honorem impendamus, ut eo studio conformemur* Deo, *sanctorum omniũ glorificatori.*
Deniq; Regius *ille* P*saltes in spiritu* Dei *loquẽs* Psal 138.
de apostolis D*ñi et uiris apostolicis.* Mihi*(inqt) nimis honorati sunt amici tui* De*⁹, nimis confortatus est principatus eorũ.* Vbi *eos eadẽ nomẽclatura dignatur, qua* Christ*⁹ in* Euãgelio, *ubi ait:* Ioan. 15.
Vos *amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio uobis.* Iam *nõ dicam uos seruos, quia seruus nescit, qd faciat* Dominus *ei⁹.* Vos *aũt dixi amicos, qa omnia quæ audiui à patre meo, nota feci uobis.* Si *ergo amici* Dei *sunt sancti, & à sancto*

propheta nimis honorati, quid moramur, quid deferimus etiam ipsos honorare tãquam amicos Dei regis omnipotentis? Præcipuè cum istiusmodi honor redundet in ipsum Deum, sanctorũ sanctificatorem & glorificatorem? Qui enim laudat insigne opus, pariter & ipsius operis laudat autorem, quod (ut uulgò fertur) ingenium artificis nobile prodat opus. Cũ itaq; Deus sit primus & præcipuus autor, admirandæ sanctorum excellentiæ, quippe qui illis largiorem contulit gratiã, qua ad tantæ sanctitatis culmen & apicẽ sunt euecti, consequitur, encomia illa sanctorũ & honorem qui illis impenditur, ob anteactæ uitæ excellentiam, & gloriæ cœlestis (qua nũc potiuntur) eminentiã, ad Deũ etiã pertinere, tãquam primarium sanctorum autorem, & totius sanctificationis fontẽ. Vnde ad hũc præcipuã nostræ intentionis aciem dirigere debemus. Porrò si sanctis honor delatus redundat, ac refertur in Deũ, uicißim quoq; sanctorũ inhonoratio ac cõtemptus in eundem cadit. Qui enim dicturus est:

Matt.25. *Amẽ dico uobis, quãdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis: etiam dicturus est reprobis. Amen dico uobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Vt perspicuum sit, quemadmodum honor impensus sanctis, ipsi quoq; Deo impendatur: si enim nõ perdet mercedem suam, qui potum dederit calicem*

Mat.10.

aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, proculdubio non defraudabitur sua apud Deum *mercede, qui sanctos* Dei *amicos condigno afficit honore: ita quoque ediuerso si quid debiti honoris sanctis subtrahatur, itidem quoque ipsi* Deo *subtrahi: quódque negatur sanctis honoris obsequium,* Deo *quoque negari, imò contemptum & blasphemiã in sanctos deriuari in* Deum. *Quemadmodum enim persecutionem suis membris illatam, sibi quoq; irrogari testatur ad Saulum de cœlo proclamans:* Saule Saule, Acto.9.
quid me persequeris? Et: Ego *sum* Iesus Nazarenus, *quem tu persequeris.* Ita *inhonorationem sanctorum suorum in æterna beatitudine secum regnantium, sibi reputat irrogatam.* Et *uide quàm grande sacrilegium admittunt sanctorum aspernatores, quiq; eis debitum honorem denegãt, & animaduerte quàm bene illis conueniat cum promißis* Christi, *cum* Euangelij *documentis.* Siquidem Christus *nónne sub* Luc.12.
patrifamiliâs parabola, se ijs ministraturum dicit, quosquos è famulis inuenerit uigilantes, & sanctis in æternam beatitudinem auctoratis, ministerium uenerationis denegabis? Beati (*inquit*) *serui illi, quos cum uenerit* Dominus, *inuenerit uigilantes.* Amen *dico uobis quod præcinget se & faciet illos discũbere, & transiens ministrabit illis.* Nónne *uides* Christum *hoc loco*

 tibi

tibi euidenter exemplum præbuisse honorandi sanctos? Nam humilis Dominus se præcinget, ut sanctis & amicis suis famuletur, & tu pertinax sanctorũ contemptor, animum obfirmasti ut sanctis & electis insultares? Creator à se conditæ creaturæ accubitum parat, & tu creatura quoq; Dei, creatorem in sanctis suis mirabilem aspernaris? Illic redemptor transiens ministrabit, & tu uesane homuncio, quos honorare redemptor mandat, recusas honorare? Quos
Psal. 81. *regius propheta Deos uocat, & filios excelsos omnes, quos Deus (teste Paulo) præde*
Roma. 8. *stinauit conformes fieri imaginis filij sui, quos*
Matth. 12. Matth. 3. *denique Christus apud Matthæum & Marcum fratres suos, sorores, & matres appellat, nónne tu hos tanquam diuinæ excellentiæ quodammodo consortes, dignis celebrabis encomijs & laudibus, & suis prosequeris honoribus?*

Itaque laudare & prædicare sanctorum uirtutes prodest quidem ad confirmationem fidei, & ad imitationis exemplum, quo prouocemur ad eorum fidem & sanctimoniam imitandam, & (ut Velsius ait) ut in ipsorum sanctè piéque actam uitam, quæque pro Christo & ueritate eiúsque iustitia, uel egerint, uel passi sint, animi oculis intuentes, illorum imitatores efficiamur, sed non est hic uenera-

tionis modus solus, sed pluribus etiam alijs modis (uti diximus) ueneramur sanctos. Est *quoque uerum, uniuersam hanc imitationis uenerationem, in Christi, omnis boni & excellentiæ autoris ac fontis, gloriam redundare, sed non minus uerum quoq; est, alios uenerationis modos à nobis explicatos in eiusdem etiam gloriam quàm maximè redundare.* Nam *omnes sanctorum honores, quos recensuimus, quósque sanctis exoluimus, non tam ipsis sanctis (ut dictum est) quàm ipsi* Deo *sancto sanctorum, neq; tam creaturæ, quàm creatori, & artifici potius, q̃ operi, impendimus, cuius bonitatem, uirtutem, potentiam atq; maiestatem, cum oporteat in omnibus operibus eius laudare & prædicare, illic tamen ubi hæc magis elucent, ubi bonitas, uirtus, & potentia maior apparet, æquum est ut laus & ueneratio maior reddatur.* Apparet *enim ille in magnis, admirandus & magnus, in maioribus maior, in maximis uerò ter maximus, & incomprehensibiliter gloriosus.* Non *conquiescunt igitur honores isti in sanctis, sed pertranseunt ipsos quodammodo, & in* Deum *referuntur, cui debemus gratiarum actionē pro suis beneficijs, quæ gratuito sanctis suis, quos uoluit donorum suorū esse uelut sacraria quædā, impendit, atq; in hoc fine qescit tandē omnis iste honor, qui sanctis uidetur exhiberi.* Valet

quoque ad alia non postremo loco habenda, nimirum ut meritis eorũ consociemur, & orationibus adiuuemur, sed præcipuè ad magnificandum & prædicandum, ut dictum est, sanctum sanctorum Deum deorum in Sion. Porrò non est *nouitius hic uenerationis modus qui sanctis impenditur, neq; nuper natus, sed longè ante tempora* Hieronymi *per orbem Christianum receptus, quem impius hæreticus* Vigilantius *ferre non sustinens, & sanctorum gloriæ inuidens, aduersus eum blasphemando erupit in hæc uerba. Quid necesse est tanto honore, non solùm honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico uasculo transferendo colis?* Et *rursum. Quid puluerem lintheamine circumdatum adorando osculariis?* Et *in consequentibus.* Propè *ritum gentilium uidemus, sub prætextu religionis introductum in* Ecclesiis, *sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi, & ubicunq; puluisculum nescio quid in modico uasculo pretioso lintheamine circundatum, osculantes adorant. Magnum honorem præbent huiusmodi homines beatißimis martyribus, quos putant de uilißimis cæreolis illustrandos, quos agnus qui est in medio throni, cum omni fulgore maiestatis suæ illustrat.* Hactenus ille. Sed S. Hieronymus *perdurus omnium hæreticorum malleus, & ipsius blasphemiam contudit, & laudabilem* Ec-

clesiæ

clesiæ cõsuetudinem comprobauit, dicens: Quis, ô insanum caput, aliquãdo martyres adorauit? Quis hominem putauit Deum? Nónne Paulus & Barnabas, cum à Lycaonibus Iuppiter & Mercurius putarentur, & eis uellent hostias immolare, sciderunt uestimenta sua, & se homines esse dixerunt? Non quòd meliores non essent, olim mortuis hominibus Ioue atque Mercurio, sed quòd sub gentilitatis errore, honor eis Deo debitus deferretur. Quod & de Petro legimus, Act.10. qui Cornelium se adorare cupiẽtem, manu sublenauit & dixit: Surge, Nam & ego homo sum. Et audes dicere, illud nescio quid, quod in modico uasculo transferendo colis? Quid est illud, nescio quid, scire desidero? Expone manifestiùs, ut tota libertate blasphemes, puluisculum nescio quid in modico uasculo, pretioso lintheamine circumdatum. Dolet martyrum reliquias, pretioso operiri uelamine, & non uel pannis uel cilitio colligari, uel proijci in sterquilinium, ut solus Vigilantius dormiens & ebrius adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & c. Sacrilegus dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempo-

re de Iudæa transtulit Thraciam. Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem uilißimam & cineres dissolutos, in serico & uase aureo portauerunt. Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrunt sanctis reliquijs, & tanta lætitia sunt iucundati, quasi præsentem uiuentémque prophetam cernerent atque susciperent, ut de Palæstina usque ad Calcedonem, iungerentur populorum examina, & in Christi laude una uoce resonarent? Videlicet adorabant Samuelem & non Christum, cuius Samuel & Leuita & Prophetes fuit? Et post multa de cæreis loquẽs: Quod si aliqui, inquit, propter imperitiã & simplicitatem secularium hominum, uel certè religiosarum fœminarum, de quibus uerè possumus dicere, Confiteor zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde perdis? Causabantur quondam & apostoli, quòd periret unguentum, sed Domini uoce correpti sunt. Neque enim Christus indigebat unguento, nec martyres lumine cæreorum, & tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, deuotióque mentis eius recipitur. Et quicunque accendunt cæreos, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo, Vnusquisque in suo sensu abundat. Et post paucà: Illud faciebat idolis, & idcirco detestandum est,

hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum. Nam & absque martyrum reliquijs, per totas orientis Ecclesias, *quando legendum est* Euangelium, *accenduntur luminaria iam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Vnde & uirgines illæ* Euangelicæ, *semper habent accensas lampades suas.* Et ad Apostolos dicitur: *Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus uestris.* Et de Ioanne Baptista. *Ille erat lucerna ardens & lucens, ut sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur, de qua in* Psalterio *legimus. Lucerna pedibus meis uerbum tuum* Domine, *& lumen semitis meis.* Hactenus ille. *Quibus uerbis quanquam quodammodo notet imperitiam et simplicitatem secularium hominum, uel zelum non secundum scientiam religiosarum fœminarum, ingenue tamen addit, eos qui accēdunt cæreos, secundum fidem suam habere mercedem. Nequaquam ergo culpandi sunt, qui pro honore sanctorum martyrum, ante ueneranda eorum corpora, cæreos ac luminaria accendunt, siue id fiat per noctem siue per diem. Siquidem flamma illa lucida luminarium est, signum lætitiæ sanctorum, & significat lucem illam perpetuam supernæ cælestisque regionis, quam assecuti sunt æternæ beatitudinis, in qua asscripti sunt ciues,*

Matt. 25.
Luc. 12.
Ioan. 5.
Psal. 118.

illius

illius ciuitatis æternæ, quæ non indiget sole neq; luna: quia dominus Deus claritas illius est, & lucerna eius est agnus. Quam quidem causam Christianorum poëta insignis Baptista Mantuanus eleganti carmine expreßit, dicens:

Virtuti debetur honor, licet inclyta & expers
Noctis & umbrarum, per totum effulgeat orbē.
Ante Deum lychni in templis, funialia ad aras,
Non ut clara dies fiat lucentior, ardent,
Verū ut cælituum patriam splendore nitentem
Aethereo, & semper uersari in lumine diuos
Significent, ubi nulla diem contaminat umbra.

Deinde flamma illa lucida cereorum, signat lumen fidei, quam profeßi sunt sancti, in quorum honorem accēduntur. Signat præterea mirum splendorem uirtutum, quibus in hac uita mirabiliter effulserunt, iuxta præceptum Christi, dicentis: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrū qui in cælis est. (Matt. 5.) Adhæc quoniam flamma illa cæreorum sursum emicat, rectè designat spem illorum firmam, quæ animos eorum semper in cælestia bona erexerat atque subuexerat. Deniq; & charitatis feruorem, qua inflammati hic suauiter arserant, & in cælestibus pꝑetuò flagrant. Porrò ut adhuc altius morem uenerationis sanctorum repetamus, obseruandum est Vigilantium non fuisse primum in-

uentorem huius hæreſeos,ſed Eunomium, quem Hieronymus huius hæreſeos autorem teſtatur, dicens: Rides de reliquijs martyrum, & cum autore huius hæreſeos Eunomio,Eccleſiis Chriſti calumniam ſtruis, nec tali ſocietate terreris, ut eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Eccleſiam loquitur:Hic audis, quomodo Eunomius autor fuerit illius hæreſeos, quam Vigilantius ſeminauit De non uenerandis ſanctorum reliquijs. Quod ſi hæreſis fuit, conſequitur catholicos rectè & piè feciſſe, qui contra Eunomium ſanctos uenerati ſunt. Sed ut adhuc altius progrediamur:tempore Tertulliani eiuſcemodi fuerunt hæretici,ut conſtet catholicos & orthodoxos iſtiuſmodi ſanctorum uenerationem habuiſſe in uſu. Nam (ut Hiero. ibidem ait) adverſus hæreſim Vigilantij, quæ olim erupit adverſum Eccleſiam,ne & in hoc quaſi repertor noui ſceleris glorietur, ſcribit Tertullianus uir eruditiſſimus inſigne uolumen, quod Scorpiacũ uocat,rectiſſimo nomine, quia arcuato uulnere in Eccleſiæ corpus uenena diffudit, quæ olim appellabatur Caicia hæreſis, quæ multo tempore dormiens,uel ſepulta, à Vigilantio, quem ipſe Dormitantiũ uocat,ſepulta eſt. Cæterùm adhuc calente ſanguine martyrum in primitiua Eccleſia olim inter medias cædes ſanctorum,nihil horum Chriſtiana pietas negligebat. Siquidem extab

Eunomius.

tat apud Eusebium *lib. 4.* Eccles. Historiæ *cap. 13. 14. & præcipuè 15.* Epistola, *ex persona* Ecclesiæ *Smyrnæorum, ad* Ponthi Ecclesias *data de sanctissimi martyris* Polycarpi *agone conscripta, in qua postquam descriptum est martyrium eius, ita subiungitur. Sed ille æmulus totius bonitatis, & aduersarius omnium iustorum, postquam uidit quòd & pro martyrij gloria, & pro uitæ egregiæ uirtutibus coronatus est, & per mortem præmia immortalitatis indeptus, satisfagere cœpit, ut reliquias eius ad sepulturam, nostris desiderantibus nemo concederet. Instigabatur ergo* Nicetas Herodis *pater, frater autē* Dalcæ *, adire iudicē & petere ab eo, ne humandum concederet corpus, ne fortè (inqt) relinquētes illum qui crucifixus est* Christiani, *hunc colere incipiant,* Iudæis *maximè ista machinantibus, qui & nostros intentis oculis obseruarunt, ne eum è flammis adhuc ardentibus raperent, ignorantes miserrimi, quia neque* Christum *aliquando possumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi salute sustinuit, neque alium quenquam colere, quoniam uerum* Deum, *& qui solus colendus sit, nouerimus.* Martyres *uerò tanquam discipulos* Domini *diligamus & ueneremur, quasi integrè fidem magistro seruantes &* Domino, *quorum nos quoque in fide & perseuerantia charitatis,*

opta-

optamus esse participes. Vbi autem uidit Cen*turio, tam obstinatam* Iudæorum *contentionem, positum in medio ipsum corpus exussit, & ita nos postmodum ambusta ossa, pretiosissimis gemmis chariora, & omni auro probabiliora per ignem facta, collegimus, ac (sicut conueniebat) ex more condidimus.* Quo in loco e*tiam nunc præstante* Domino, *solennes agimus celebrésque conuentus, maximè quidem in die paßionis eius, sed & cum eorum memorias, qui priùs paßi fuerant, celebramus, ut sequentium animi ad præcessorum uiam, exemplis insignibus suscitentur.* Ecce *quanto studio* Christiani, *beatißimi martyris* Polycarpi *ossa collegerunt, & quàm religiosè condiderũt,* Euidenter *quoque colligitur ex hac historia, qualem cultum ac honorem Christiani illius ætatis detulerint sanctis Christi martyribus.* Non e*nim eodem cultu, quo* Deus *ipse colitur, quemadmodum uerba Smyrnæorum* Ecclesiæ *testantur, licet* Gẽtiles *crediderint Christianos adorationis cultum impendere solere sanctis martyribus.* Quod *ex cap.6.lib.8.*Ecclesiasticæ *historiæ liquet.* Nam *cum* Diocletianus Augustus, Dorothæi, Petri & Gorgonij *sanctißimorũ martyrũ corpora, quia cubicularij eius fuerãt, humanitatis gratia sepulturæ tradi pmisisset, nihilominus tñ postea effodit ea, & proiecit in mare, ne per*

Christianos colerentur. In tantum (inquit Eusebius) apud eos rabies crudelitatis exarsit, ut regios pueros martyres effectos, cum secundum humanitatis ordinem fuissent sepulturæ mandati, effoderent denuò, & corpora eorũ proijcerẽt in mare, hoc dicentes: Ne forte Dij efficiantur Christianorum, & illi qui Deos nostros adorare nolunt, seruos nostros incipiant adorare. Putant enim quod diuinus apud nos honor, martyribus deferatur: Vnde Augustus talem concepit de Christianis opinionẽ? ut uereretur occisos à Christianis adorandos? Certè non ex leui causa. Nam animaduertit, quanto studio ac diligentia Christiani beatorum martyrum cineres, ossa ac reliquias colerent, quanquam non adorarent, id tamen quod ipse existimabat, ut uel hinc ad inuidiam fuerit commotus.

Porrò quàm longè sit hic cultus & ueneratio sanctorum ab idololatria S. Hieronymus contra Vigilantium (qui eos qui sanctorum reliquias suscipiebant, & uenerabantur, cinerarios & idololatras appellabat, qui mortuorum hominum ossa uenerarentur) scribens in epist. ad Riparium presbyterum: ita testatur. O infelicem (inquit) hominem, & omni lachrymarum fonte plangendum, qui hæc dicens, non se intelligit esse Samaritanum & Iudæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent, & etiam uasa

quæ

quæ in eadem domo fuerint pollui suspicantur, sequentes occidentem literam, & non uiuificantem spiritum. Nos *autem non dico martyrum reliquias, sed ne solem quidem & lunam, non angelos, non archangelos, non* Cerubin, *non* Seraphin, *& omne nomen quod nominatur, & in præsenti seculo & in futuro colimus & adoramus, ne seruiamus creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in secula.* Honoramus *autē reliquias martyrum, ut eum cuius sunt martyres adoremus.* Honoramus *seruos, ut honor seruorum redundet ad* Dominum, *qui ait:* Qui *uos suscipit, me suscipit.* Et *post aliquanta. Si non sunt (inquit) honorandæ reliquiæ martyrum, quomodo legimus:* Pretiosa *est in conspectu* Domini *mors sanctorum eius?*

Cæterùm hæc omnia idcirco prolixiori sermone prosecuti sumus, ut perspicuum euaderet, quibus modis antiquitas sanctos uenerari sit solita, ut etiam hoc exploratum sit ac manifestum, non sola imitatione uenerandos ac honorādos, licet illa cumprimis necessaria sit.

Q*uæ cum ita sese habeant, nónne* Vigilantius *aliter sentiens iure ab* Ecclesia *damnatus fuit?*

Nunc *de inuocatione sanctorum, & eorum pro nobis patrocinio & intercessione dicturi sumus.* Principiò *itaq; ostēdemus sanctos orare pro*

nobis, & idcirco à nobis quoq; uicißim inuocandos. Id enim rationi admodum est consonum, & utile nostræ saluti, ut sanctos qui apud Dominũ pro salute nostra intercedunt, sedulò oremus atque inuocemus.

Luc. 20. Quod autẽ sancti apud Dominum pro nobis intercedant, ex angelorum oratione liquet. Eadem enim ratio uidetur, spirituum angelicorum & beatorum hominum, cùm, saluatore teste, æquales sint angelis, cum sint filij Dei. Porrò angelos orare pro hominibus ac intercedere, Zacharias propheta clarißimè contestatur, dicens: Et respondit angelus Domini & dixit: Domine exercituum usque quo tu non misereberis Hierusalem, & urbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est. Huius quoque assertionis euidens testimonium sumitur ex eo quod habetur Genes. 48. Benedixit Iacob filijs Ioseph, & ait: Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei, qui pascit me ab adolescentia mea usq; in præsentem diem, angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. Nónne hic angelorum benedictionem & auxilium implorauit Iacob, unde eorum apud Deum intercesio cõmẽdari & probari queat? Et Christus in Euangelio. Videte (inquit) ne contẽnatis unum ex his pusillis. Dico enim uobis, quia angeli eorum in cælis semper uidẽt faciẽ patris mei,

Zach. 1.
Tob. 12.
Matt. 18.

qui

qui in cælis est. Ad quid? proculdubio ad patrocinium præstandum pusillis contemptis. Agunt ergo causam pusillorum qui contemnuntur, apud patrē. Deinde cùm testetur Christus, angelos in cælis gaudere super uno peccatore pœnitētiam agente, cur non hoc credendi sunt facere sancti? Si enim hoc faciunt, quorum est conditio à nostra aliena, quid censendū de fratribus? Nam fratres nostri sunt. Porrò quod animæ sanctorum intercedant pro nobis, habemus ex Apocalypsi Ioannis, in qua sic legitur. Vidi sub altari animas interfectorum propter uerbum Dei, & clamabant uoce magna dicentes. Vsquequo domine sanctus & uerus non iudicas & uindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra? Ex hoc enim, quòd animæ sanctorum orant DEVM contra malos & persecutores suos habitantes in terra, manifestè discimus, quod multò magis orant pro salute bonorum ac electorum, quanto propensior est uoluntas sanctorum ad bonum nostrum, quàm ad malum. Lucæ 15. Apoc. 6.

Rursum in eadem Apocalypsi describuntur uigintiquatuor seniores procidentes coram agno, habentes singuli cytharas & phialas aureas plenas odoramentorū, quæ sunt orationes sanctorū. Et in alio eiusdē libri loco, angelo stāti ante altare, & habenti thuribulum aureū, di- Apoc. 5. Apoc. 8.

cuntur fuisse data incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super aureum altare, quod est ante thronum Dei. Et *ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu angeli coram* Deo. *Sanctorum(inquit) omnium, ut non tantum intelligas, orationes sanctorum hominum hìc piè & sanctè uiuentium, qui non complent sanctorum omnium numerũ, sed etiam sanctorum illorum orationes, qui cælestia tenent regna, qui à sanctitatis integritate amplius decidere haudquaquam possunt, quemadmodum ij qui adhuc inhabitant terram.* Porrò *cum sancti in cælestibus regnis recepti, non indigeant ut pro seipsis orent* Deum, *consequitur ut orationes suas ad* Deum *pro nobis fundant.*

Luc.16. *Adhæc, nónne Christus apud* Lucam *optimè consulit, dicens:* Facite *uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant uos in æterna tabernacula?* Iam *quomodo potest quisquam benefactorem suum aliter recipere in æterna tabernacula, quàm precibus suis intercedendo apud* Deum? Non *enim aliquis in hoc regnum maius potest habere imperium.* Solius *enim* Dei *est, admittere defunctos in æterna tabernacula.* Illius *est hoc munus, qui uitæ & mortis habet imperium.* Proinde *non alio modo, recipere nos possunt in æterna tabernacula,*

quàm orationibus suis. Sed utri pauperum suis orationibus in æterna tabernacula nos certiùs & melius recipere possunt, uiuétésne in carne, qui de seipsis nóndum sunt securi, & multis adhuc peccatis obnoxij: an illi potius, qui accepta beneficia prætulerunt in cælum, qui cum Lazaro in sinu Abraham, atq; inter beatos spiritus modò uersantur, & orant pro nobis?

Deinde apud eundem Euãgelistam reuelauit *nobis* Dominus, *diuitem in inferno intercessisse pro fratribus suis in hac uita manẽtibus.* Ex hoc *enim reuelatum esse insinuauit, multo magis sanctorum animas, intercedere pro salute suorum.* Nã *si diues, cui, dum esset in hac uita, nulla fuit cura salutis fratrum, in tormentis positus, etiam importunè supplicat pro salute fratrum; multò magis sancti homines, quorum in hac uita magnum studium fuit circa salutem fratrum, exuti carnem iámque beati, continuant charitatis affectum, & intercedunt pro salute fratrum. Sed hic obstrepit nobis* Vigilantius, *& tota cohors Lutheranorum, quòd dum uiuimus, mutuò pro nobis orare possumus: postquã autẽ mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio. Sed* S.Hieronymus *occurrens & opponens sese impijs uocibus ait: Si apostoli et martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quãdo pro se adhuc debent esse soliciti, quãto ma-* Luc.16.

tò magis post coronas, uictorias & triumphos? Vnus homo Moses, *sexcentis milibus armatorum impetrat à* Deo *ueniam: &* Stephanus *imitator* Domini *sui, & primus martyr in Christo, psecutoribus ueniā deprecatur: & postq̄ cū Christo esse cœperint, minus ualebunt?* Paul⁹ *Apostolus ducētas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas, & postq̄ resolutus cœperit esse cū* Christo, *tunc ora clausurus est, & pro his qui in toto orbe ad suum* Euangeliū *crediderūt, mutire non poterit?* Meliorq́; *erit* Vigilantius *canis uiuens, q̄ ille leo mortuus. Hæc ille.* Porrò *sancti qui fruuntur* Deo *in æterna beatitudine, diligūt nos in ipso* Deo, *& dilectionis officia (quæ sunt bene precari, & orare pro amicis, ut promoueātur in his quæ pertinēt ad eorum salutē, atq; ubi salutem suam peccādo neglexerint, ad obtinendā ueniā & misericordiā intercedere ac patrocinari, custodire in aduersis & periculis & malis omnibus) quibus possunt modis apud* Deum *erga nos exercent, & quos magis diligunt, pluribus officijs & beneficijs prosequūtur.* Nō *quod hæc suis uiribus præstent, sed quia hæc ut consequamur, uel impetrant à* Deo, *uel accepta à* Deo *potestate in nos conferunt.* Nō *enim simul cū corpore deposuerunt præstantißimā illā charitatis*
1. Cor. 5. *uirtutem, qua* Deum *& proximū, qua caput & membra, qua patrem & cōfratres consueuerunt*

in ter=

in terris diligere. Quid enim ait Apostolus? *Siue (inquit) prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur, charitas uerò nunquam excidit.* Fides & spes euacuãtur, quia fidei succedet uisio, spei apprehensio, ut ubi datur diu speratis frui, & quę fide credita sunt coràm uidere, ibi credendi & sperandi nullum sit amplius officium. *Charitas autem nunquam excidit.* Excideret autem, si per mortem extingueretur. Charitati ergo nihil succedit nisi charitas, quæ officio suo non destituitur, quin potius quæ fuerat hic inchoata, in cœlo perficitur. Cum ergo diues epulo damnatus apud inferos, fuerit pro fratribus (quos reliquerat in terra) sollicitus, sancti in cælo non erunt? Num ualidiori dilectione prosequuntur mali malos, quàm boni bonos? aut concessum est aliquid malis, quod bonis & sanctis non conceditur? Et ne hæc Euãgelica narratio huic rei persuadendæ, parum uirium uideatur adferre, uide quis hunc affectum attribuat homini damnato. Certè non homo quispiam, qui possit & uelit nos fallere, sed Christus, qui quum ueritas sit, fallere nos non potest. Sufficit ergo ad doctrinam, quod hunc affectum Christus homini attribuit damnato. Vnde apparet tales affectus non esse à damnatis alienos.

Præterea Dñs apud eundẽ Euangelistã cap.

sexto ita loquitur: Date & *dabitur uobis.* Men*suram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum uestrum.* At quomodo pauperes quibus in hac uita misericordiæ opera impēdimus, huiusmodi mensuram tam cumulatam nobis rependent? Non alio certè modo, quàm quod ad cælestia regna hinc translati, & illuc diuites effecti, suis suffragijs & intercessionibus apud DEVM, terrena beneficia in se collata, abundè compensabunt, orantes Dominū pro salute benefactorum suorum. Adde quod S. Petrus ait in 2. epist. c. 1. Iustum (inquit) arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare uos in commonitione, certus quod uelox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Dabo autem operam & frequenter habere uos post obitum meum, ut horum omnium memoriam faciatis. Hectenus ille. In tabernaculo corporis constitutus, suscitauit fideles in commonitione, deposito autē tabernaculo post obitum suum, dat operam ut horum memoriam faciant, utique per orationem atque intercessionem apud Deum.

Hebr. 7 Huc accedit quod iuxta Paulum Christus accedens per semetipsum ad Deum, semper ui-
1. Ioan. 2 uens sit ad interpellandum pro nobis. Et Apost. Ioan. ait: Si quis peccauerit, aduocatum habe-
mus

mus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Et rur*sus* Paulus *in epist. ad* Romanos *de eodem scribit, quod etiã interpellat pro nobis. Quid? quod ipse* Christus *in nouißima cœna discipulis suis pollicitus sit, dicens:*Ego *rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis.* Hoc iam *transiturus ex hoc mundo ad patrem promisit, atq; post suam gloriosam ascensionem in cælum exhibuit atque adimpleuit. Cum itaque Christus secundum quòd homo(nam quatenus* Deus, *nostras & eorum qui pro nobis orant exaudit preces)oret pro nobis, quid obstat, quin & illius membra cum illo iam glorificato idem faciant, ut capiti suo se conforment?* Aut *facti sunt deteriores, permutatione huius uitæ in æternam, ut hic potuerint multis obnoxij perturbationibus, & de propria adhuc salute solliciti pro alijs rogare, & modò non poterunt, præsertim cum non ignorent, eos quos relinquunt in hac uita, indigere illorum precibus & patrocinijs? Quis dubitare potest eos pro nobis orare, quibus magnum est gaudium, ex nostra ad ipsos adnumeratione? An non orarent pro illis, quos sciunt esse cohæredes & domesticos* Dei, *præsertim cum iuxta* Paulum *non sint sine nobis consummandi?*

Rom. 8.

Ioan. 14.

Ephe. 2.

Heb 11.

Porrò si dixerit aduersariorum quispiam & obiecerit, Christi preces esse potentißimas,

idque non latere sanctos, & idcirco eos à precando abstinere, ne iniuriam faciant Christo, quasi scilicet illius preces reputent insufficientes, sitq; ille impotens ad exorandum patrem. Respondebimus ei, *scire utique sanctos* CHRISTI *preces esse efficacissimas, non tamen rectè inde concludi, sanctos cessare ac abstinere ab oratione pro nobis. Sciunt planè Christum non posse non obtinere, quicquid apud patrem postulat. Sciunt sufficientes & efficaces esse illius preces, nihilominus tamen pro nobis orant. Paulus dum toties rogabat fratres per epistolas ut pro se orarent, nunquid diffidebat Christo? Haudquaquam. Et tamē nihilo secius fratrum preces efflagitabat, qui etiam sedulò creduntur* Dominum *pro eo deprecatos esse.* Nouerant *profectò sufficientes & efficaces esse Christi preces, & tamen pro se inuicem orabant, ac uicissim alter alterius precibus iuuari postulabant.* Non *quasi Christo diffidentes, sed potius eius seruientes ordinationi, ipsiúsq; implentes mandatum, quo mandauit unicuique de proximo suo, uolens scilicet ut*
Eccl.17. *singuli singulis sua communicent bona, singu-*
Gal.6. *lique singulorum in se recipiant onera, ac alius alij porrigat manum* Et *quod ipse prae-*
Iac.1. *stare non potest, ab illo impetrare contendat, à quo omne datum optimum & omne donum perfe-*

perfectum descendit, nimirum à patre luminum. Quod si dixerint diuersam esse rationem uiuorum & defunctorum, legẽ autem illã de mutuo auxilio ac adiuuamento orationum, ad solos uiuos spectare, nihil simile esse de illis, qui hac uita excedentes in aliam transierunt coloniam, qui uita & cõuersatione remotißimè à uiuis separantur, reuocabo eos ad Paulum, qui in epistola ad Rom. *& priore ad Corinthios & alijs quibusdã locis, corpus Christi mysticũ naturali corpori non absimile esse describit. Quemadmodum enim naturalis corporis membra sunt connexa, ut unius uis, præsertim superioris in alterius commodum transfundatur, estq; omnium unus uitalis spiritus, mutuum obsequium, commune gaudium in prosperis, & idem dolor in aduersis: sic sanè omnes sumus unum Christi corpus mysticum, singuli membra adinuicẽ, ab uno capite dependentes, siue in beatitudine, siue in uia. Etsi enim secundum status conditionem, distent à nobis beati, ex utrisq; tamen una constat* Ecclesia, *quæ est unica Christi sponsa, una columba.* Communicant enim nobiscum in illis, *quæ felicitati illorũ non repugnant.* Non uiden*tur aduersarij satis attendere, communionẽ corporis Christi, quod est* Ecclesia. *Vna enim est* Ec*clesia* Dei *indiuisa & simplex, quæ est corpus Christi, cõtinens non eos duntaxat, qui in carne*

Rom. 12. 1. Cor. 12. Cant. 6.

adhuc uiuunt, uerùm & eos qui carne deposita, securiùs & feliciùs cum Christo degunt in cælis. Nõ oportet imaginari in Christo corpora duo, ut sit unum uiuentium in carne, alterum secun-
Rom.14. dum carnem mortuorum. Mortuus est enim
Ephe.5. Christus secundum carnem, ut uiuentium domi-
Matt,16, naretur & mortuorum. Et pater cõstituit eum super omnem Ecclesiam, quam non facit caro et sanguis, sed Petri illa confeßio. Tu es Christus filius Dei uiui. In hac sunt omnes quotquot manent in Christo. Audito ergo corporis illius Christi nomine, cogitare simul oportet & eos, qui sunt cum Christo in gloria, et qui modò adnituntur, ut eò perueniant. Itaq; secundũ suprà dictam corporis legem, diligunt adhuc laborantes, proximos peregrinantes, & nunc eo quò ipsi euaserunt anhelantes, precantúrque talibus optima quæq;, potißimum uerò quæ promouent eorum salutem, quò tantò facilius ad optatum portum perueniãt. Cõpatiuntur quoq; infirmitatibus nostris. Quod non debet absurdũ uideri de sanctis, cum de Christo scriptum sit. Habemus pontificem, qui nouit compati infirmi-
Heb.4. tatibus nostris. Et si benè habet membrum unũ, compatiuntur omnia membra. Licet enim legẽ carnis deposuerint sancti, secundum quam erant proximi nostri, fratres & membra nostra, deniq; longo à nobis distẽt interuallo, & absentes sint,

ſint,nec uideãtur à nobis, præſentes tamen ſunt charitate. Interuallum *iſtud, charitatem eorũ non interſecat.*Dilectio *præſentiam non requi-rit, cui ſufficit cordis oculus.* Paulus *abſens cor pore, ſpiritu præſens erat* Eccleſiæ *Corinthio-* 1.Cor.5.
rum,& tanquam præſens iudicauit tradere ma gnum illum fornicatorem ſatanæ, præſens erat & in Eccleſia *Coloſſenſium, gaudens & uidẽs* Coloſſ.2
*ordinem eorum.Sunt itaq; ſancti etiam corpore exuti fratres,proximi & membra noſtra.*Nihil *eſt in ſanctis & nobis, quod nos adhuc diſcrimi-net, quod religionis uinculo coniunctos hacte-nus alienet, ut uideri poßint non eſſe amplius proximi noſtri fratres & membra. Si unum habemus patrem, ſi matrem unam cœleſtem* Hie-*ruſalem,cur non ſimus confratres? Si caput u-num & corpus unum, cur non eiuſdem corporis membra?* Chriſtus *non habet corpora duo, neq; aliud nobis eſt caput, aliud ſanctis, aut aliud cor pus illis, aliud nobis, dedit enim illũ pater eſſe ca put ſuper omnẽ* Eccleſiã, *quæ eſt corpus ipſius, et plenitudo ipſius qui oĩa in omnibus adimplet. Quod autem illi ſunt in melius commutati, nos autem languemus & hæremus in terris, non im-pedit quin ſint adhuc membra & fratres noſtri. Illi acceperunt quod nos quærimus.* Ipſi *præceſ-ſerunt, nos per eadem ueſtigia ſequimur. An i-deo ſumus ab illis alieni, & non proximi atque fratres?*

fratres? An quia nos peregrinamur, & ad patriam properamus, quò illi iam peruenerunt, ideo non sumus illorũ ciues? Aut quia currimus, quia certamus, quia nondũ coronã accepimus, illi uerò præcurrerũt, uicerũt, coronati sunt, idcirco nõ sumus eiusdẽ exercitus milites? Si autẽ (quod est uerissimum) sumus fratres proximi, et unius corporis membra, sunt utiq; sancti secundum legem corporis mystici, quam habet Apostolus, pro nobis solliciti. Cum enim nón desierint esse membra, consentaneum est, eos membrorum officio uti erga eos, qui eorum indigent auxilio. per mortem quidẽ mutatur status hominum, non tamen mẽbrorum soluitur connexio, neq; charitatis officia cessãt. Proinde quoq; nihil iniuriæ Christo irrogatur, si sancti cũ Christo simul ad patrem pro nobis precatores accedant. Imò diuinæ subseruiũt ordinationi, qua Deus statuit, ut omnia unius corporis mẽbra, ab influxu unius pendeant capitis, & simul sibi sic cohæreant, ut alterum alteri ad salutem cooperetur, nihil prohibente beatitudinis statu. Cum & angelici spiritus sint beáti, & tamen nihilominus nostram procurent salutem. Omnes enim (Paulo teste) sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Procurant ergo angeli sancti nostram salutem, & ministerium suum erga nos

diligen-

diligēter exequuntur, non tū interim ob id fraudantur suis gaudijs, dicente Christo. Dico uobis *quod angeli eorum in cœlis, semper uident faciem patris mei qui in cœlis est. Quod semper fit, non habet remißionē. Pari modo cura nostri nō perturbat sanctos, nec gaudium eorum minuis, sed quærūt & agūt sedulò, quo ea gaudia amplientur magis, & fratribus quoque fiant communia. Sed de his hactenus, ad reliqua properemus. In Psalmo 31. dicit Propheta ad Dominum. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno. Qui dicit pro iniustitia hominum remittenda omnem sanctum oraturum, nō exclusit sanctos, qui nunc in æterna requie gaudent, & orant pro nobis, ut iniustitia nostra remittatur nobis. Apud Hieremiam prophetam Dominus ita loquitur. Si steterint Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Quibus uerbis insinuat apertè Dominus, sanctos illos uiros in limbo patrum adhuc constitutos, pro uiuentibus solitos fuisse orare. Nequaquam enim dixisset Dominus de illis pro tēpore illo quo adhuc in limbo patrum detinebantur, si tunc aut non orarent, aut non essent orare soliti pro uiuentibus. Quod nobis secundus Machabæorum liber ostendit, narrās quomodo Onias summus Iudæorū sacerdos, tū uita defunctus, apparuerit Iudæ Machabæo,* manus

Matt. 18. · Psal. 31. · Hiere. 15. · 2. Mac. 15.

manus protendens & orans pro omni populo Iudæorum. Cum quo uisus sit & alter, admiranda gloria decorus, ipsi Oniæ in sacro illo spectaculo socius, de quo ait Onias ad Iudam. Hic est fratrum amator & populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo, & uniuersa sancta ciuitate, Hieremias propheta Dei, qui tamē antea longo tempore obdormierat in Domino. Porrò utriusq; orationem nō omnino fuisse inanem, ea quæ ibidem sequuntur indicant: Nam ilico subiungitur Hieremiam dexteram extendisse, & dedisse Iudæ gladium aureum, & dixisse. Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel. Itaq; si patres ueteris testamenti in limbo existentes, nondum clara diuinæ faciei uisione beati, pro suis orabant, quantò magis sancti in æterna beatitudine, Deum facie ad faciem perpetuò contēplantes, credendi sunt orare pro nobis? Quod si dixerit aduersarius hunc librum non esse de Canone Bibliæ apud Hebræos, quēadmodum indicat S. Hieronymus in prologo quem uocant galeatum, illi continuò respondebimus, quod quāuis non sit in Canone Hebræorum, non tamen ob id sequi, falsa esse quæ in eo scribūtur. Alioqui & sacra Euangelia falsa erunt, quia Iudæi ea non recipiunt in suum Canonem. Recipimus autem testimonia ex his libris, quoniam Ecclesia

eos

eos recepit, non quia Iudæi recipiunt uel reij- ciūt, idq; authore S. Augustino lib. 18. de Ciuit. Dei ca. 36. ubi aptis uerbis testatur, nō Iudæos, sed Ecclesiā illos libros ꝑ canonicis habere. De- *niq; apud Baruch Prophetā cap. 3. Iudæi ꝙ erāt in captiuitate Babylonica, ita leguntur orasse: Dn̄e omnipotēs Deus Israel, audi nunc oratio- nem mortuorum Israel, & filiorum ipsorū qui peccauerunt ante te & c. Itaq; si sanctis una no biscum est societas, si corpus unum, si sumus alter alterius membra & fratres & proximi, si dili- gunt nos, si non sunt pro se, sed pro nobis sollici- ti, si orant pro nobis, si uiuunt & regnant cum Christo in patria, ad quā nos tendimus, cur non licet etiam illos interpellare, inuocare, orare & comparare nobis intercessores?.*

Porrò de inuocatione sanctorū dicturi, prius ostendemus angelos esse inuocandos à nobis: de- inde sanctos. Et quidem quantum ad angelos at tinet, liber Geneseos testatur Iacob patriarchā angelum inuocasse ad benedicendum sibi. Non dimittam te (inquit) nisi benedixeris mihi. De- inde S. propheta Daniel de seipso dicit. Accessi ad unum de assistentibus, & ueritatem quære- bam ab eo. Nec dubium quin de sanctis angelis assistentibus loquatur.

Adhæc Apostolus in epistola ad Hebræos de sanctis angelis dicit, quòd omnes sunt admini-

stratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Ex hoc e-*nim quod* Deus *disposuit gubernare nos per medios* Angelos,*nõ propter se* Deum, *sed propter nos hæredes uitæ æternæ,ordinasse intelligitur, ut nos sanctos* Angelos *inuocemus,tanquam medios inter nos &* Deũ.*Cùm igitur sancti angeli sint nobis dati à* Deo, *tanquam aduocati quidã, nónne meritò à nobis sunt inuocãdi?* Aduocatus *siquidẽ datur alicui,ut illius patrociniũ imploret,alioquin frustra daretur:& insuper cum datur alicui aduocatus,datur quoq; aduocato potestas patrocinandi.* Porrò *cum angelis & animabus beatis communis sit sollicitudo,& cõmunis cura nostræ salutis, quẽadmodum & cõmunis est charitatis dilectio, quẽadmodum angeli, ita quoq; inuocandi sunt à nobis sancti.* Duobus *autem potissimum modis eos consueuit* Ecclesia *catholica inuocare: uel rogando & inuocando sanctos,quemadmodum* Ecclesia *facit in* Letania *dicẽdo* S. *Maria ora pro nobis.*S. *Petre ora pro nobis &c.* Vel *rogando* Deũ *per sanctorũ merita; quẽadmodũ* Ecclesia *facit in* Canone *missæ, dicendo.* Quorum *meritis precibusq; concedas &c.* Vterq; *autem modus scripturarũ autoritatibus cõprobatur.* Extãt *enim, quæ nemo queat improbare,tã in ueteri quàm noua lege exẽpla plurima.* Filij Israel *uenerunt ad* Moysen *atq;*

dixe-

dixerunt. Peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum & contra te, ora ut tollat à nobis serpentes. Iudæi quoq; qui erant tēpore Samuelis, cum uidissent se Philistæis hostibus suis impares, magna trepidatione dixerunt ad Samuelem. Ne cesses clamare pro nobis ad Dominum, ut saluet nos de manu Philistinorum. Nónne liber Iob testatur: quomodo très amici Iob (contra quos iratus fuerat Dominus) iußi sunt ire ad seruum Dei Iob, ut oraret pro illis, & sic indulgeret eis Deus? Apostolus Paulus uinctus propter Euangelium Christi, interpellat Colossenses, dicens: Orationi instate, uigilantes in ea, in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. Idem precatur ut faciant Thessalonicenses. Orate (inquit) pro me fratres. Et in epist. 2. c. 3. inquit. De cætero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat & clarificetur, sicut & apud uos, & ut liberemur ab importunis et malis hominib⁹. In epist. quoq; ad Hebræos instāter exposcit eorum orationes, dicens: Orate pro nobis, amplius autem deprecor uos hoc facere, quò celerius restituar uobis. In epist. ad Rom. obsecrat eos per Dominum Iesum Christum & per charitatem spiritus sancti, ut se adiuuent in orationibus. Quod si Apostol⁹ ille cōfratres suos, nullis ei meritis pares,

Nume. 21. 1. Reg. 7. Coloss. 4. 1. Thess. 5. Heb. 13. Roma. 15.

qui fortè peccatis quibusdam erant obnoxij, nō est ueritus inuocare, ac tam sedulò interpellare, nec diffidit se posse ab illis (qui adhuc ipsi gratia & misericordia egebant) adiuuari: indignũ censebimus, ut nos sanctos, pro meritis suis in cælo coronatos, ad orandum pro nobis imploremus? Si permittitur nobis miseros peccatores, in carne uiuentes, destinare intercessores ad Deum, nō licebit interpellare & comparare nobis intercessores, beatos illos qui iam cum Christo regnant? An minus ualēt qui sunt in cælo, quàm qui adhuc in terra? Cum illi exuti miseria omni, hi autem adhuc peregrinentur à Domino? Nónne illi à carne expediti, ad orandum quoq; sunt expeditiores? Cũ habeant alia quoq; multa, orãdi facultatem promouentia, quæ in uiuis desiderantur, nisi quis fortè credat, carnem orationem promouere, & iam non ampliùs dicendum esse, Veri adoratores adorabũt in spiritu, sed ita, Veri adoratores adorabunt in carne. Porrò nō me latet, quid ad hæc responsuri sint hæretici. Dicent exempla ista ad uiuos duntaxat pertinere, neq; se reprehendere, quod inuocantur uiui, sed quod inuocãtur mortui. Bene ergo habet, quod cōcedunt nobis submittere intercessores uiuos. Hic iam corruunt tam multa eorum argumenta, quæ nobis opponunt, nimirum, intercessores obscurare gloriam mediatoris, auocare nos à ue

ra in-

ra inuocatione, & similia. Quod ergo habent amplius argumentum, quo inualident inuocationem sanctorum? An hoc unum, quod hi sunt mortui, illi uiui? Ita scilicet plus ualebunt qui apud homines uiuunt, quàm qui apud Deum? Quorum orationes ob fœliciorem eorum statũ, confirmatiorem in bono, & malo liberiorem, meritò creduntur efficatiores, quàm eorum qui adhuc in uia peregrinationis huius consistunt? Cæterùm cum ordo diuinæ gubernationis erga nos sit, ut gubernet nos instruendo, nõ solum per sanctos angelos, sed etiam per sanctos homines, perspicuum ac euidens fit, recurrendum esse, nõ solùm ad sanctos angelos, uerumetiam ad sanctos homines regnantes cum Christo, alioquin recurret inconueniens illud paulo antè productum ac explicatum, si non possemus inuocare sanctos angelos. Dati sunt enim sancti ad nostram utilitatem, medij inter Deum & nos. Ad datos autem diuinitùs medios siue mediatores, posse nos recurrere atque eorum patrocinium implorare, iam dictum est, cum alioquin frustra darentur, & absurdũ ualde esset, si nobis non liceret ad intercessores nostros recurrere, p quos Deus gubernare nos disposuit. Quod autem Deus disposuit nos gubernare, non solum per sanctos angelos, sed etiã per sanctos homines, ex Euangelio Matthæi liquet, in cuius capite 27. scribi=

scribitur, multa corpora sanctorũ, qui dormierant surrexisse, & uenisse in sanctam ciuitatem & apparuisse multis. Hinc enim habetur ac colligitur, Deũ post resurrectionẽ Christi, gubernasse nos instruendo, non solùm p sanctos angelos, sed etiã p sanctos homines. Nõ enim inaniter apparuerunt multis, sed ad instruendum eos de uero Christo siue Meßia, déque illius paßione, morte ac resurrectione, prout à prophetis omnia illa erant prædicta. Ex hoc enim quod usq; ad tempus illud, gubernauit nos per angelos sanctos, & non ita per sanctos, qui nondum erant cælestis gloriæ participes, licet tamen suo modo orarent & ipsi quoq; pro uiuis, ut dictum est, & tũc incœpit gubernare homines per sanctos, qui non multò post erant traducendi per Christum ad cælum, proculdubio insinuauit, noua se adhibuisse media gubernationi electorum. Nisi enim ordini ordinationis diuinæ erga nos adiunctos (ex merito paßionis & resurrectionis Christi) sanctos homines manifestare uoluisset Deus, misisset utique angelos in Hierusalem ad apparendum multis, & instruendum illos, uerùm quoniam non solum ministerio angelorum, qui in sepulchro & circa sepulchrum apparuerunt mulieribus, sed etiam per sanctos homines apparentes multis in Hierusalẽ, manifestauit resurrectionẽ Christi, insinuauit,

uit se ea, quæ sunt nostræ æternæ salutis, non solum per angelos, sed etiam ministerio angelorum, adiunxisse hominum beatorum ministerium. Et hinc postremò consequitur, ex ipso ordine gubernationis, quo gubernat nos etiam per sanctos homines, recurrendum esse nobis ad inuocationem & patrocinium sanctorum.

Christus apud Ioānem cap. 5. Est (inquit) qui uos accusat apud patrem Moyses in quo uos speratis. Vbi duo dicit. Primùm, Moysen iādudum uita functū Iudæos incredulos apud patrē accusare. Alterum, Iudæos in Moyse, non quidē tanquā in Deo, cùm illum utiq; purum hominem fuisse scirent, sed sicut intercessorem apud Deum, sperare. Nam Christus cōtrarium eius quod sperabant, ipsis insinuat, nimirum Moysi accusationem apud patrem, cum ipsi econtrariò sperarent illius apud patrem intercessionem. Approbauit ergo dominus, non tam Iudæorum per Moysen accusationem, quàm Moysi speratā intercessionem, illā uerbis expressis certificando, istam uerò tacitè denegando. Intercessionem siquidē Moysi apud patrē denegat, non quòd pro eis intercedere non potuerit, sed quòd noluerit, q̄ digni eſsēt, nō intercessiōe, sed poti⁹ accusatione apud patrē. Testatur itaq; Christ⁹ et insinuat hisce uerbis, pro Iudæis Moysen intercedere po-

fuisse. Vnde & addidit, In *quo speratis.* Est *autem sperare in aliquē inuocationis quasi quodam genus, dum speramus ab eo auxilium & patrocinium & similia.*

Deniq; *cum* Dominus *& redemptor noster pro nostra omniúmque salute penderet in cruce, & circa horam nonam uoce magna exclamasset, dicens:* Eli Eli *lamazabathani, quidam illic stantes & audientes, dicebant:* Ecce Heliam *uocat iste.* Ac *si dicerent. Hactenus filium* Dei *se nominauit, at modò postquam pœnis doctus est,* Heliam *inuocat in adiutorium.* Vndè *cum unus ei acetum uellet porrigere, cæteri dicebant: Sinite uideamus an ueniat* Helias *ad deponendum eum.* Vnde *certè elicitur ac colligitur tunc temporis aliquo modo usitatam fuisse sanctorum inuocationem. Sunt enim in lege ueteri multa, inuocationi sanctorum tam proxima, ut nihil propius: qualia sunt quæ paulo pòst sub secundo inuocationis membro subijciemus.* Et *tamen ut donemus non fuisse in ueteri lege morem inuocandi sanctos, non tamen hinc oportet concludere, nobis nunc non licere.* Alia *est enim huius temporis, alia illius ratio. Siquidem populus ille ueteris legis, rudis fuit & intractabilis, atq; ad idololatriam ualde propensius, à qua tot terroribus uix abstrahi poterat.* Proinde *nō mirum, si de beatorum spirituū inuocatione, nō*

sit eis facta traditio clara. Non enim expediebat *procliuis illis, uiam ad idololatriæ crimen facere, quod per implorationem sanctorum, populus ille poterat incidere, potißimum regnante adhuc diabolo, qui totum mundum idololatria sibi habebat deuinctum.* Adhæc nondum inclaruerat fides resurrectionis. Nondum uulgò *credebantur, qui defuncti erant, in beatitudine uiuere, quod tempore legis nouæ primùm reuelatum est.* Nõdum etiã Christus *resurrexerat, q captiuam duceret captiuitatem.* Iã *quomodo implorarẽt eos, quos nesciebant uiuere?* Et *hæ sunt duæ rationes doctißimi uiri* Euerhardi Billikij *prouintialis* Carmelitarum, *quare non conueniebat ut in ueteri lege esset clara traditio de interpellatione sanctorum.* Fuit *tamen nihilominus in ueteri lege inuocationum istarum obumbratio quædam, & quædam sanctorum inuocationi admodum propinqua.*

Iam *ad alterum inuocationis modum progredimur, ostensuri* Deum *orandum esse à nobis per merita sanctorum.* Cui *si adiunxeris, quod iam ostensum est, sanctos orare & intercedere pro nobis: cònsequitur, non solum per merita, sed etiã per preces sanctorum, supplicare nos* Deo *rectè posse.* Quod *si his etiam hoc addideris, quòd tamen ferè idem est (nam res est eadem, licet sit dispar modus, & utrobique licet*

diuersimodè, est inuocatio sanctorũ) orare Deum *per merita & preces sanctorum, & orare sanctos, ut merita & preces proponãt apud* Deum, *facilè ppendes, omnino concludi ex scripturis inuocationẽ sanctorũ. Sed scripturas proferamus in mediũ.*

Exod. 32. *Cùm populus* Israeliticus *ob adorationẽ uituli grauiter offendisset* Deũ, & Dñs *eum uellet delere. Tunc moyses orabat* Deum, *dicens:* Cur Dñe *irascitur furor tuus contra populũ tuum &c.* Quiescat *ira tua, & esto placabilis sup nequitia populi tui.* Recordare Abraham & Isaac & Israel *seruorum tuorum, quib⁹ iurasti per temetipsum, dicens:* Multiplicabo *semen uestrũ, &c.* Et *cõtinuò sequitur.* Placatusq; *est* Dñs *ne faceret malũ, quod locut⁹ fuerat aduersus populũ suũ.* Ex *qua scriptura euidẽs est, sanctum* Moysen *merita sanctorum patriarcharum opposuisse furori* Domini, *ac eum fuisse deprecatum pro populo. Sed & hoc perspicuũ est, merita illa profuisse populo.* Nam *sequitur,* Dominum *fuisse placatum.* Quod *alijs adhuc scripturis comprobandum erit.* Nam Dominus *sæpenumero, se uiuentibus contulisse, aut collaturum pollicetur beneficia, ob defunctorum patrum sanctimoniam & bonitatem.* Vt *cùm in*

Gene. 26. Genesi *dicit* Dominus *ad* Isaac. Tibi *& semini tuo dabo uniuersas regiones has, complens iuramentum quod spospondi* Abraham *patri tuo,*

& multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, daboq; posteris tuis uniuersas regiones has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quòd obedierit Abraham *uoci meæ, & custo dierit præcepta & mandata mea, & cæremonias, legésq; seruauerit.* An non Deus *his uerbis apertißimè, non solùm fœdus, quod cum* Abraham *iniit; sed & promptam* Abrahæ *obedientiam, præceptorũ custodiam, & cæremoniarũ obseruantiam, pro causa adducit, ob quam sit benedicturus* Isaac? *Cesserunt igitur illius merita in huius commodum.* Quapropter *rursum appa ruit ei* Dominus, *dicẽs:* Ego *sum* Deus Abraham *patris tui.* Noli *timere, quia ego tecũ sum.* Benedicam *tibi, & multiplicabo semẽ tuum, propter seruum meũ* Abraham. Rursum *cum populo* Hebræorum *exhibiturus erat* Dominus *beneficiũ liberationis ex* Aegypto *p* Moysen, *se* Deũ Abraham, Isaac *&* Iacob *denominauit; insinuans se illorum sanctorum patriarcharum, & iuramẽti illis facti contemplatione, collaturũ illis id beneficium ipsorum posteritati.* Quum Dñs Salo moni *(qui propter alienigenas mulieres* Deum *reliquerat) comminaretur regni scissuram, addidit:* Veruntamen *in diebus tuis non faciam illud, propter* Dauid *patrem tuum, de manu filij tui scindã illud.* Nec *totũ regnũ auferã, sed tribũ unã dabo filio tuo, propter* Dauid *seruũ meũ et*

Ibidem.

Exod. 3.

3. Reg. 11.

Hie-

Hierusalē quam elegi. Nónne hic Salomoni Deus pepercit, propter Dauid patris sui merita?
4.Reg.19. Denique cum sanctus rex Ezechias imminens sibi periculum deprecaretur, audiuit à Domino: Protegam urbem hanc & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum. Nónne hic merita sancti & fidelis regis Dauid, cesserunt ad commoditatem regis Ezechiæ, & ciuitatis Hierusalem? Nónne ergo Ecclesia rectè merita sanctorum in oratione recensens, Deum obtestatur, ut ob merita illa gloriosa sanctorum, quibus ipse & promisit & reddidit mercedem, dignetur petitioni suæ annuere? Memento (inquit
Psal.131. ille) domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Quemadmodū itaque merita Dauid, Abrahæ, Isaac & Iacob, aliorúmque prophetarum profuerunt, ut quibusdam placatus sit dominus, alijs uerò ut benedictionē copiosiorem cōsequerentur, quis audebit negare, merita uirginis matris, sanctorum apostolorum, ac inuictißimorum martyrū nobis prodesse, uel ut pœnam effugiamus nostris peccatis debitam, uel gratiā uberiorem consequamur? Si enim fiat comparatio patriarcharū, sanctorúmq; ueteris testamenti cum gloriosißima uirgine Maria, præclarißimis apostolis, & fortißimis martyribus reliquisq; sanctis, quis non uidet, quàm longo interuallo à seinuicem distent? Si ergo Deus respexit

ad illorum merita, nónne & ad istorum misericorditer respiciet? Si enim ob priscorum illorũ patrum, ante legem & sub lege ueteri merita, Deus præstitit beneficia populis, & mala ab eis auertit, nónne non solum minora, sed etiam maiora beneficia præstabit uiuentibus propter sanctos qui in Euangelica lege uirtibus excellenter effloruerunt, præcipuè cum non minoris fuerint sanctimoniæ, perfectionis, claritudinis & præstantiæ, quàm illi?

Sed iam tempus est ut expendamus quibus telis hanc de sanctorum inuocatione doctrinam Velsius impugnet. Vt unum Deum (inquit) ita unum quoq; habemus mediatorem Dei & hominum Christum Iesum, qui nos tam benignè ad se uocat, inquiens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Hæc ille. Sed hoc respõsionis clypeo retundenda sunt Velsii tela. Respondemus Christum duobus modis nostrum esse mediatorem: nimirum per redemptionem, & intercessionem. Per redemptionem quidem, quia semetipsum obtulit in ara crucis Deo patri, cui nos reconciliauit, nos redimẽdo insuper sanguine suo à diabolo, peccato & morte æterna. Per intercessionem autem, quia ipse est aduocatus noster apud patrem, & interpellat pro nobis, quemadmodum superiùs dictum est. Prior ergo mediatio, soli Christo conuenit,

1. Tim. 2.
Matt. 11.

uenit.

uenit, qui tradidit ſemetipſum in redemptionem pro nobis. Vnde hæc mediatio alijs prorſus incommunicabilis eſt. Poſterior autem, etiam cõpetit Chriſto, ſed non ſoli, quia ſanctis communicatur. Dicimus ergo & ingenuè confitemur, Chriſtum eſſe primum & ſummum mediatorem noſtrum ac aduocatum apud patrem, & etiam ſolum eſſe mediatorem, quantum ad communionem naturæ cum ijs, inter quos mediator eſt, cũ Deo ſcilicet & hominibus, ſolus enim ipſe uerè Deus eſt & homo. Solus quoq; mediator noſter eſt Chriſtus, quãtum ad redemptionis opus, pro nobis ſaluandis expletũ. Ipſe enim ſolus eſt propiciatio pro peccatis noſtris, ſolus ipſe deleuit quod aduerſum nos erat chyrographum mortis affigens illud cruci; ſolus tulit peccata totius mundi, & uerè portauit dolores noſtros, ſolus de forti armato triumphauit, ſolus morte profligata, uitam nobis reſtituit, gratiam meruit & gloriam, atque ſuo ſanguine cœlum reſerauit. Hæc enim omnia cum ad redemptionis opus pertineant, rectè dixit Apoſtolus unum eſſe mediatorem DEI *& hominum. Sed non in hunc modum ſanctos facimus mediatores. Nihil enim ad opus redemptionis noſtræ contulerunt. Sed interceſſores eos eſſe dicimus, quia ſcilicet oratione ſancta pro nobis* Deo *ſupplicant.* Non *ergo ſolus eſt mediator, quantum ad*

ſuppli-

supplicandi pro nobis munus ac officium, cũ sint sub eo & cum eo sancti quoque mediatores per intercessionem, quemadmodum superiùs abundè demonstrauimus.

Quando autem Christus dicit. Venite ad me *omnes qui laboratis &c. non excludit sanctos intercessores ac interpellatores pro nobis.* Non *enim imaginari debemus,* Deũ *& intercessores sanctos, esse quasi duo contraria, alterum alteri opposita, ut qui intercessorem quærit, uideatur à* Deo *recedere, cũ tamen per intercessores, non nisi* Deus *adeatur. Aditur ergo seu inuocatur duobus modis, per intercessores medios, & absq; ullo intercessore medio. cùm dicitur:* Non Exod. 20.
loquatur nobis Deus, *ne fortè moriamur, tu loquere nobis, & audiemus, statuitur inter Deũ & nos mediator, qui Dei uoluntatẽ ad nos referat. Cum uerò dicitur :* Doce me *iustificationes* Psal. 118.
tuas, nullus mediator incercedit. Paulum *apostolum docuit* Deus *omnẽ ueritatem absq; ullis mediatoribus.* Ego *(inquit) accepi à* Domino *quod* 1. Cor. 11
& tradidi uobis. Sic ad Galat. Neq; *(inquit) ego* Gal. 1.
ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationẽ Iesu *Christi. Potuit eodẽ modo* Deus *docere* Corneliũ Centurionẽ, *sed noluit. Iußit aũt ut accerseret* Petrum, *qui diceret ei omnia quæ oporteret eum facere. Latroni in cruce dimissa sunt omnia peccata absq; ullis medijs, non erat* Act. 10. Luc. 23.

qui

qui catechizaret, baptizaretq́;, qui à peccatis absolueret, qui cõmunionem sacram porrigeret. Potest et nos Deus eodem saluare modo, sed placuit ipsi ut per ministros suos hæc nobis exhiberet, atq; ut per mediatores, doctrinam, fidem, sacramenta, & ipsius dona acciperemus. Fit igitur manifestum, Deum erga nos uti mediatoribus, ubi & quãdo ipsi uisum fuerit. Ad eundem modum, nos uicißim exhibemus nos Deo, duobus modis, per mediatores, & sine mediatorib9. Cum dicitur: Libera me Domine à persequentibus me, nullus interponitur mediator. Cum dicitur autem: Orate pro me fratres, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa, mediatores statuuntur. Vtramq; inuocationem exaudit Deus, & mediatam & immediatam. In utraq; ipse unicus respicitur, spectatur, inuocatur, & solus nouit De9, qui arbiter est animorum nostrorum, quænam inter has duas sit acceptior, & maiorem referat fructum. Respicit enim in orationem humilium, & pauperes suos non despicit, ut illa sit Deo acceptior, in qua fuerit humilitas maior, & nisi mediata illa uim magnam haberet, non uteretur ea tam frequẽter Apostolus Christi. Vtrumq; ergo dicimus: Dimitte nobis peccata nostra, sine intercessore: &, orate pro me peccatore uos intercessores. Cum autem intercessorem statuimus, quem inuocamus? intercessores.

rem ne ipsum, an Deum? Arbitror *tam stupidum neminem esse, ut putet hic intercessorem inuocari, sed ipsum* Deum *tantummodo*. Ergo *cum dicimus: Sancta* Maria *ora pro nobis, solus utique inuocatur* Deus *propriè, ad quem intercessor mittitur:* Maria *autem quæ mittitur, interpellatur, & generali tantum acceptione inuocatur.*

Sed pergit Velsius *& dicit. Cum ipsum* Deum, *non solùm se* Deum *nostrum profiteri, sed & patrem, & tutorem, & curatorem passim in scripturis audiamus: insuper autem à* Christo *didicerimus, quod quæcunque cum uera fide, rectè in nomine ipsius petierimus, accepturi simus, totáque nos scriptura huc exhortetur & uocet, nec alios aut angelos aut sanctos nos nobis intercessores ac patronos sine scripturæ autoritate, constituere debere, eósque qui huc nos pertrahere conantur, suspectos habere:* Pauli *illius memores, qui inquit:* Ne *quis uobis palmam interuertat, data opera per humilitatem & superstitionem angelorum, &c.* Matt. 21. Ioan. 14. 16. Iacobi 4. Coloss. 2.

Principiò dicimus, nos minimè absque scripturæ autoritate constituere angelos aut sanctos nobis intercessores ac patronos, cum superiùs idipsum satis luculenter multis scripturis & de angelorum & sanctorum inuocatione comprobauerimus. Sed fingamus nos nullam habere

de inuocatione sanctorum scripturarum autoritatem. quid tum postea? nihilne licet, nisi sit expressum in scripturis? nihilne pium, nisi quod mandatur in scripturis? Si enim non haberemus exempla scripturarum, habemus tamen exempla Ecclesiæ, *conscripta per patres, quibus indubitata fides in* Ecclesia *habetur.* Præter *unum* Paulum *reliqui* Apostoli, *aut parum aut nihil scripserunt, tradiderunt autem plurima, quæ in* Ecclesiis *retenta sunt, & ab eorum successoribus fideliter conscripta, in quibus est & ipse modus inuocandi sanctos cum* CHRISTO *regnantes, qui tamen, quemadmodum declaratum est, scripturarum autoritate firmatur.* Porrò *tam uetus est hæc* Ecclesiæ *consuetudo, ut quotquot inuocationis meminerunt, non referant primam eius originem, sed de ea tanquam antiqua, olim tradita, usitata atque recepta, loquuntur.* Non *ergo suspecti habendi sunt, sed uerè catholici & orthodoxi, qui huc nos pertrahere conantur, qui docent sanctos esse inuocandos: sed reuera tanquam hæretici & suspecti cauendi sunt & deuitandi, qui nos à sanctorum interpellatione auocant, memores illius* Pauli, *qui ait:* Nemo *uos seducat uolens in humilitate & religione angelorum quæ non uidit ambulans frustra, inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput,*

Coloss.2.

put, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei. *Ex qua* Pauli *autoritate infert* Velsius, *ad* CHRISTVM *caput à* Paulo *nos reuocari: nimirum ut reuocet nos à sanctorum inuocatione. Sed si contextus uerborum* Pauli *inspiciatur, ipse neminem ibi reuocat ad caput* Christum, *sed duntaxat simpliciter affirmat illum qui uult in humilitate & religione angelorum ambulare, cum sit inflatus sensu carnis suæ, non tenere caput, cuius nimirum corpus mysticum quod est* Ecclesia *contendit per hypocrisim diuidere.* Et *tamen ut admittamus eum ibi nos reuocare ad caput, nũquid reuocat ab inuocatione sanctorum?* Iam *uerò quod dicit,* Ipsum Deum, *non solum se* Deum *nostrum profiteri, sed & patrem, & tutorem, & curatorem passim in scripturis audiamus, quid hoc facit aduersus inuocationem sanctorum? Est enim solus* Deus *noster, nec alium habemus* Deum, *quàm eum quem nobis scriptura commendat.* Sed *superiùs diximus solum* Deum *adorandum, sanctos autem honorandos propter* Deum. *Est etiam* Deus *pater & tutor & curator præcipuus, sed nõ solus.* Nam *si solus est pater, ubi manebit illud* Apostoli, Ex *quo oĩs paternitas in cælis & terra nominatur?* Si *solus est tutor, expũgantur uerba* Pauli *in epistola ad* Ephe. 3.

Galat 4. *Galatas, dicentis: Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit* Dominus o*mnium, sed sub tutoribus & actoribus est, usq; ad præfinitum tempus à patre. Si solus* Deus *est curator, malè scribitur missus sanctus angelus*
Tob. 3. Raphael *ut curaret ambos (nimirum* Tobiam *& Saram) quorum uno tempore sunt orationes in conspectu* Domini *recitatæ.* Malè *scribi-*
Matt. 10. *tur Christum dedisse apostolis suis potestatem, ut curarent omnem languorem & omnem infirmitatem.* Deus *itaque summus & præcipuus est curator, tutor & pater, à quo habent angeli & homines, quòd sunt patres, curatores & tutores.* Porrò *sancti, quòd nos diligunt, quodq; nobis patrocinantur, ab aduersis & periculis custodiunt, & alia beneficia inuocantibus conferunt, non suis uiribus hæc præstant, sed quia hæc ut consequamur, uel impetrant à* Deo, *uel accepta à* Deo *potestate miseris mortalibus conferunt, & idcirco dicuntur quodam modo nobis ea conferre, & appellantur post* Deum *etiam patres, curatores, tutores nostri, & nostri apud* Deum *suffragatores, intercessores & mediatores.*

Quod *uerò ait à Christo nos didicisse, quod quæcunq; cum uera fide, rectè in nomine ipsius petierimus accepturi simus, totaq; nos scriptura huc exhortetur & uocet, quis negat? Ita enim*

nim inquit: Amen amen dico uobis, si quid petieritis patrem meum in nomine meo dabit uobis. Sed quid est in nomine Iesu petere? Secundum nomen eius petere. Quod est nomen eius? Iesus, quod saluator interpretatur. Cuius nominis rationem angelus beato Ioseph exprimens ait: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. In nomine ergo Iesu petere, est illud petere, propter quod ipse, qui hoc nomen sibi elegit, descendit de cælo & homo factus est, mortuus, sepultus & resurrexit, ascendit in cælum, & sedet ad dexteram patris. Et quur hæc omnia, nisi ut per nomen eius remißionem peccatorum & uitam æternam acciperemus? Cùm ergo quid petimus, quod huic causæ cooperatur, in nomine Iesu petimus: Vel in nomine Domini petimus, quando absque cordis nostri reprehensione, in uera & syncera Domini nostri Iesu Christi fide patrem pro aliquo ad salutem conducente, secundum suam uoluntatē exoramus. Sed cum sanctos inuocamus, non in illorum nomine, extra nomen Domini Iesu, à Deo patre aliquid petimus, sed sanctos interpellamus ac imploramus, quatenus unà nobiscū pro nobis patrē in nomine Iesu precentur, ut obtineamus quod desideramus. Nec hoc prohibuit Dominus quando discipulis suis dixit. Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis.

Ioan. 16.

Matt. 1.

Non enim prohibet hic Dominus sanctorum interpellationem neque excludit, sed simpliciter indicat, instruit ac docet, in cuius nomine Apostoli essent petituri. Proinde sanctorum inuocatio, petitioni quæ in nomine Domini fieri iussa est adeò non aduersatur, ut eam quoque prorsus includat. Cum enim sanctos inuocamus, non nuda eorum reteximus nomina, aut eorum inclamato nomine non Dei dono uolumus saluari, sed sanctos imploramus, ut unà nobiscum patrem in nomine IESV orent, & in eodem nomine rectè desiderata nobis impetrent. Certum est enim plurimorum & præcipuè iustorum orationes apud DEVM magis exaudiri atque ad impetrandum efficatiores esse. Cæterùm quantùm delirent, qui hæc Christi uerba ita credunt esse intelligenda, ut dicantur petere in nomine Domini, qui duntaxat petunt expresso nomine Christi, idcirco negantes sanctos inuocandos, quòd eam nihil aliud existiment, nisi quandam petitionem nomine sanctorum Deo porrectã, uel hinc liquet, quòd extra nominis sui expreßionem nos idem Dominus orare docuit, dicens: Sic orabitis. Pater noster qui es in cælis, &c. In hac namq; precatione, nulla fit illius nominis memoria, & tamen absit, ut ille qui dicit hanc orationem dominicam, integra fide & feruenti affectu, negetur

Matth. 18.
Iacob. 5.

Matt. 6
Lucæ 11.

patrem

patrem petere in nomine Domini. *An non potuit ipse saluator ultimæ petitioni adijcere,ut diceremus,*Libera *nos à malo,per* Dominum *nostrum* Iesum *Christum filiū tuum? Aut ergo non licebit eam patri profundere, pro eo quòd non fiat in nomine* Dñi,*hoc est, cum expressa nominis* Domini *inuocatione aut si licet,sicut utiq; licet,petere in nomine* Dñi,*non est solum petere cum expressa* Christi *nominis inuocatione, sed etiam suppresso nomine* Christi, *petere salutem & ad salutem pertinentia. Sanctorum ergo inuocatio haud min⁹ illicita est,quàm omnino* Dominica,*quæ similiter absq; expressa nominis* Domini *inuocatione ad* Patrem *porrigitur.* Nec *est incōueniēs à sanctis tēporalia & corporalia beneficia poscere,quæ ordinantur ad corporis incolumitatem,cum in oratione* Dominica *poscamus panem nostrum quotidianum nobis dari, qui ordinatur ad corporis sustentationem, cum corporis sanitas ordinetur ad animæ salutem,ut sit mens sana in corpore sano.*

Ex *quibus omnibus perspicuè discimus, non (quēadmodum* Velsius *falsò affirmat)sanctorū superstitiosam esse uenerationem ac cultū, quo sibi quis ex his,aliquos patronos & intercessores apud* Deum *constituat, sed esse cultum pium, uerbo* Dei *consentaneum,iam inde ab initio nascentis* Ecclesiæ *frequentatum ac usitatum,*

quemadmodum ex patribus absque ullo negotio ostendere possemus, nisi nos prolixitas operis (ad quam nos Velsii impietas impulit) deterreret.

Quod autem addit absurdius esse, salutis spem ac fiduciam aliquam in his repositam habere, nos non abnuimus. Nam in Christo collocanda est nobis fiducia saluationis ab ipso obtinendæ, simul & intercessionis, quòd & noster sit saluator, & deprecator apud Deum patrem. In sanctis uerò unica à nobis est constituenda fiducia: nempe intercessionis apud Deum pro nostra salute porrigendæ. Intercedũt enim pro nobis, ut obtineamus salutem æternam, quam ab eis ut authoribus ac largitoribus non speramus, sed ut ab intercessoribus. Maior itaq; (nam gemina & saluationis scilicet & intercessionis) in Christo nobis est confidentia reponenda, post quem & in sanctis tanquam patrocinatoribus ac intercessoribus, salutis spẽ ac fiduciam aliquam repositam habere nullus rectè damnauerit.

Porrò licet Velsius irrideat sanctorũ in nos beneficia, quæ tot seculis confessa & experta est Ecclesia Christi, & non honestius de sanctis, quàm de dijs gentium loquatur: haud tamen est improbanda illa fidelium deuotio, qua ad uarios ac diuersos sanctos, pro diuersis subleuandis defectibus, aut corporis aut animi, recurrunt,

runt, nunc quidẽ ad hũc pro uno ſuſtollẽdo morbo, nunc ad alium, pro alio morbo dimouendo, ad alium uerò, pro hoc gratiæ dono, ad alium autem, pro alio munere ſpirituali impetrando. Nam Deus pro ſua admirabili ſapientia, ipſis diuerſis ſanctis, diuerſa contulit priuilegia, aut cõtra morborũ uaria genera præſtandæ ſanitatis, aut contra multiformia peccatorum genera, peculiaris gratiæ impetrãdæ, quò eluceat in illis admiranda Dei ſapientia, ſuis amicis modis multis diſtribuentis ſua munera, pro qualitate ac dignitate ipſorum, & conſpiciatur ipſa ſanctorum fœliciſsima ſocietas, diuinorum pro hominibus ſubleuandis donorum, circumamicta uarietatibus. Porrò conſtat Dominum diſcipulis ſuis ſecum in terra conuerſantibus dediſſe poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent. Infirmos (inquit) curate, dæmones eijcite. Et alibi. Amen amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Et hanc acceptam à Domino poteſtatem, executi ſunt apoſtoli, etiam ante tẽpus Dominicæ paſsionis, euangelizantes & curantes ubiq;. Sed nunquid credendum eſt, poſtq̃ corpore exuti ſunt, ademptam illis eſſe eam poteſtatem, eosq́; nunc minimè poſſe miracula operari, in ſubſidium eorum, qui eos inuocauerint? Eſſet enim tunc per reſolutionẽ à corpore, de-

Lucæ 9. Matt. 10. Ioan. 14.

terior facta eorũ conditio, minúsq; nunc poßēt, q̃ priùs poterant. Quomodo igitur confortatus esset principatus eorũ nimis (ut Psalmista ait de amicis Dei) & nõ poti⁹ imminut⁹ ac debilitatus?

Cæterùm quemadmodum cum adhuc uiuerēt in terris sancti Dei homines, per diuersos uaria & diuersa miraculorũ genera operatus est Dominus, per hos quidem immundorum spirituum expulsionem, per illos cæcorum illuminationem, per alios uerò mortuorum suscitationē frequentius quàm alia miracula aut eminentius q̃ per cæteros: ita per ipsos iam cælestis regni consortes, diuersa mortalibus impartit sanitatum aut gratiarum beneficia. Vt per hunc sanctum tanquam per oratorem & deprecatorem, æstũ febrilem depellit, per alium uerò ignis sacri restinguit incendia, atq; ita de cæteris.

Ita quoque per hunc sanctum à nobis inuocatum, castitatis largitur gratiam, per illum mansuetudinis, per alium uerò patientiæ, & de cæteris similiter, prout quisque sanctorum, hac aut illa uirtute, cum adhuc esset in certamine ac labore, excellentiùs claruit atque se diligentiùs exercuit. Cùm itaque per hos sanctos tanquam riuos, exuberantißimus diuinæ bonitatis fons, distribuens unicuique prout uult, & per quos uult, nobis donorum suorum fluenta elargiri constituit, non abs re sanctos

ipsos


ipsos tāquam patronos et mediatores nobis adā
sciscimus, per quos diuinorum munerum participes
efficiamur. Sed quid adhæc Velsius? Absurdum existimat, aut uotis nuncupandis, aut donarijs offerendis, uel ut mala auertant, aut bona concilient ac tribuāt, ab ipsis tanquam à Diis nostra opinione factis postulare. Sed quis unquam sanctos appellauit Deos, aut quorū opinione facti sunt dij? Nos enim unum Deum per essentiam agnoscimus, patrem & filium & spiritum sanctum, & præter eum alium nemmem, quem etiam cultu latriæ solūmodo colimus, cæterumper participationem plures nō immeritò dicuntur dij. Ego dixi (inquit) dij estis, & filij excelsi omnes. Si illos (inquit Christus) dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quur non sancti dicantur Dij participatiuè?

Mirum autem est Velsiū dicere sibi exquisitè non cōstare, quid Vigilantius hic senserit, cū tamen in responsione ad hoc interrogatorium, fateatur se ante annos plus minus octo legisse Hieronymi epistolam, in qua contra Vigilantium disputat, quā nequiter & fallaciter dicit, argutam magis quàm solidam, quantum ad hāc rem pertinet, argumenta quoq; ac rationes cōtinere, quæ alioq Hieronymi in plerisq; disceptationibus (pace tamen tanti uiri dicit) differendi sit ratio ac consuetudo. Hæc quidē nudè pronunciat

nunciat Velsius, absq; ulla uerborũ suorũ probatione uel assertione. uerùm quibus uerbis ac rationibus siue scripturis reprobat quod asserit ille? Sed reuera longè firmior ac ualidior est S. Hieronymi assertio, quàm ut à Velsio, aut ab ulla inferorum porta destrui queat.

DE PVRGATORIO.

Vigesimooctauo. An credat defunctorum animas, quæ non satis defæcatæ ob non peractam dignè pœnitentiam, hinc discesserunt, purgatorij pœnas sustinere, easdemq́ orationibus, eleemosynis & sacrificijs, quæ pro eis in Ecclesia fiunt & offeruntur, adiuuari, & Aërium hæreticum contra sententẽ ante mille annos, iustè ab Ecclesia dãnatum esse.



On latet in hoc interrogatorio (ut cauillatur Velsi⁹) multa impietas obtecta, neq; purgatoriũ est figmẽtum papysticum, quæstus & lucri gratia, in multorum hominum pernitiem excogitatum, sed est res quæ necessario creditur, & utiliter

ac necessariò cognoscitur. Est enim Christianis omnibus scitu necessaria, plurimúmq; confert ipsius notitia: primùm quidem ut ex charitate subuenire studeant, animabus eorum, qui pœnis illis detinentur: deinde ut nobisipsis metum incutiat, ne leuiores culpas facilè admittamus, quum certò nobis constet nos ob eas in illis purgationis ignibus graues luituros pœnas, nec ante nobis in cœlum aditum patêre, quàm ab illis per acerbos purgatorij cruciatus, fuerimus pur gatissimi. Confert item & spei nostræ, ne protinus ut morbus aliquis grauis et lætiferus, nos op presserit inopinatos, desperem⁹ credētes oīa uel leuissima, de q̄bus hic nō satisfecimus, in gehēna perpetuò debere puniri. Sperare enim possum⁹ admissa leuiora, quæ nō satis in hac uita defleuimus, sic in purgatorijs ignibus clementer expiari posse, ut non necesse sit, eorum ultionem ad gehennam reseruari. Vnde elucet immensa misericordia Dei, qui per purgatorium clementer hominibus prospexit, ut temporaliter expiarentur, & sic tandem plenè expurgati, ad beatitudinis participationem admitterentur, ne si expurgatio illa denegaretur, ad æternam damnationem protruderentur. Itaq; apprimè necessaria res est Christianis nosse purgatorium esse locū, in quo pro minutis delictis, & pro quibus hic condignam non egerunt pœnitentiam

animæ

animæ corporibus exutæ, uelut aurum in forna ce purgationẽ accipiant, priusquàm in cœlũ ad= mittantur. Falsum est ergo quod Velsius ait ho= minibus licentius ac dissolutius uiuendi fenestrã aperire, dum inani redemptionis propter ora= tiones, eleemosynas, sacrificia, pro ipsis post mortem fienda & offerenda spe, minus de salu= te sua hic cum timore ac tremore (ut docet A= postolus) perficienda, sollicitos reddit. Nam quemadmodum dictum est, cognitio purgato= rij metũ nobis incutit, ne leuiores culpas admit= tamus, ut condignam pœnitentiam agamus, ut nosmetipsos dijudicemus, ut cũ timore & tremo re salutẽ nostram perficiamus. Simili ferè modo olim Aërius hæreticus fideles auocabat à suffra gijs mortuorum, dicens: Si omnino preces eo= rum, qui hìc sunt, prosunt illis qui isthic sunt, igitur nemo sit pius neq; boni quicquã faciat, sed acquirat amicos quosdam per quem uult mo dum, aut per pecunias persuadens, aut amicis id in obitu demandans, & orent pro ipso ut ne quid illic patiatur, neq; immedicabilia peccata ab ipso perpetrata requirantur. Porrò quoni= am scriptura sacra, conclaue quoddam est ueri= tatis, tentabimus purgatorij ueritatem, ex ipsa quoq; comprobare, idq; ex una uel pluribus scri pturis simul cõiunctis. Itaq; apud Matthæum di cit Saluator. Omne peccatum & blasphemia re= mittetur

Matt. 12.

mittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et *quicunq; dixerit uerbum cõtra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei neq; in hoc seculo, neq; in futuro.* Hic *aliquod peccatum esse insinuat* Dominus, *quod nõ remittetur neq; in hoc sæculo, neq; in futuro, & quædã esse peccata, quæ remittuntur in futuro, hoc est, post hanc uitam, alioqui frustra addidisset in futuro, si post hanc uitam, nulla esset remissio peccatorum.* De *quo uide* Augustinũ *lib.*21. de Ciuit. Dei. *c.* 24. & Greg. *lib.* 4. Dialog. Et Bernardum *serm.* 67. *in* Cant. Cant.

Necessariò *ergo concedendum est, aliquam peccatorum in futuro seculo fieri remissionem, quæ cum non exhibeatur eis qui æternaliter dãnati sunt, neque eis qui saluati sunt, necesse est ut dicamus aliquibus remitti peccata in alio sæculo, qui neq; sint in æterna damnatione, neque in æterna beatitudine collocati.* Nulli *autem medij sunt, inter æternam beatitudinem, & æternã damnationem, nisi illi de quibus dicimus, quod in pœnis purgatorijs sint.* Porrò *remittit* Deus *peccatori homini peccata sua duobus modis: in hac uita uidelicet, quando duritiam cordis illius, per interiorem gratiã, ad conuersionẽ emollit, & conuersum ad se à debito gehennalis pœnæ, quæ ei pro peccatis debebatur, absoluit.*

Quibus

Quibus autem in hac uita, his modis peccata remittit, si ita migrant ex hac uita, priusquam de peccatis suis ad plenum satisfaciant Deo, *permittit eos ad tempus puniri quibusdam pœnis, quas constituit ad hoc, ut electi sui in his purificentur.* 1.Pet.2. *Quando autem illas pœnas remittit, & eos ad refrigeriũ educit, tunc eis peccata remittere dicitur, quia & pœnæ peccatorum peccata uocantur, secundum illud* Apostoli. *Christus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignũ.* Non *autem aliter ipse peccata nostra portauit, nisi quod pœnas quæ nobis debebãtur pro reatibus nostris, ipse sustinuit.*

Sunt qui & illud saluatoris huc producunt, Matth.5. *dicentis:* Esto *consentiẽs aduersario tuo citò, dũ es in uia cũ eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerẽ mittaris.* Amen *dico tibi, non exies inde, donec reddas nouißimũ quadrantẽ.* Per *hunc carcerẽ* Augustinus *intelligit pœnas tenebrarum.* Et *ne quis (inquit) hũc carcerẽ contẽnat, sequitur:* A*men dico tibi, nõ exies inde &c.* Quadrãs *teste* Hieronymo *genus nũmi est, quod habet duo minuta.* Tantũ *est ergo ac si dicat.* Non *egredieris de isto carcere, donec etiã minuta peccata persol
uas.* Quũ *aũt hoc fieri non poßit in inferno damnatorum, relinquitur aliquem alium esse expiationis locum, ubi hæc pœna peccatis irrogatur.*

S.Apo-

S. Apostolus Ioannes in prima epistola sua: Est (inquit) peccatum usq; ad mortem, non dico ut pro eo roget quis. Hoc omnes orthodoxi intelligunt esse peccatum finalis desperationis. Dicit proinde S. Euangelista, pro eo non esse orandum, quem constat hinc emigrasse cum desperatione clementiæ Dei, insinuans nihilominus pro alijs esse orandum, qui hinc recesserunt cum fiducia obtinendæ remißionis: frustra enim monuisset pro illis desperantibus non esse orandum, si pro alijs nõ desperantibus non esset orandum. Porrò si illis profutura sit oratio, constat eos alicubi detineri in tormentis ac cruciatibus, unde per orationes eripi ualeant, sed id nec est in gehẽna, quoniam inde nulla prorsus est redẽptio, nec in cœlo, quoniã illic nihil intrat purgandũ, oportet ergo ut sit tertius aliquis locus, in quo crucientur & expurgentur à peccatorũ suorũ impuritatibus. Et ne q̃s cauilletur propter uerbũ Viderit, quum paulo antè dixisset: Si quis uiderit fratrem suum peccare, peccatum non ad mortem, intelligat, Videre nõ aliter hîc accipi quàm intelligere, quũ nemo corporeis oculis desperationem cernere ualeat, sed solo mentis iudicio pcipere. Sed nec res ista potest antè deprehẽdi, quàm quisq; hinc emigrauerit, quũ multos à desperatione, qua pridẽ infestati fuerant, constet resipuisse. Adhæc Paulus

in epistola ad Philippenses. Vt *in nomine* Iesu
Phi. 2. (*inquit*) *omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua cõfiteatur, quia* Dominus Iesus Christus *in gloria est* Dei *patris*. Hic Apostol⁹ *triplicẽ ordinẽ eorum facit curuantium genua ad nomen* Iesu. In
Apoc. 5. Apocalypsi *quoq; traditur, neminẽ inuentũ esse in cœlo, nec in terra, nec subtus terram qui dignus esset aperire librum scriptũ intus & foris, & signatũ sigillis septẽ.* Nemo(*inquit*)*poterat, neq; in cœlo, neq; in terra, neq; subtus terram aperire librũ, neq; respicere illũ. Sed palàm est, quantum ad hos attinet, qui subtus terram in gehenna sunt, quod non flectant genua nomini* Iesu, *neq; nomen illud honorent, dicente* Dauid: In *inferno quis confitebitur tibi? Sed contrà potius ipsum iugiter blasphement.* Sed *nec de his aliqua probabilitas est aperiendi libri*. Constat *proinde de purgandis, qui in purgatorio subtus terrã expiantur utrumq; debere intelligi.* Præterea S. Apostolus Paulus *in priore epistola ad*
1. Cor. 3. Corinthios, Fundamentum (*inquit*) *aliud nemo potest ponere, præter id quod positũ est, quod est* Christus Iesus. *Si quis superædificat super fundamẽtum hoc aurum, argentũ, ligna, fœnũ, stipulam, uniuscuiusq; opus manifestum erit, dies enim* Domini *declarabit, quia in igne reuelabitur, & uniuscuiusque opus quale sit ignis proba-*

probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Quem locum Eckbertus presbyter sermone. 9. aduersus Catharos explicat in hæc uerba. *Fundamentum spiritualis ædificij, quod intus in anima cōstruimus, fides Christi est, quam qui uerè habet, Christum in mente gerit, qui est initium & consummatio omnis boni in electis suis: ideoq; & ipse fundamentū uocatur. Fundamentū nostrū dicitur fides, quia à fide bonā uitā inchoamus. Nam si nō sit in nobis recta fides, nihil in nobis potest Deo placitū esse quicquid faciamus bonū siue malū. Ex quo autem in nobis esse cœperit fides, placere incipimus Deo, iamq; securè possumus operari bona opera, quia de cætero mercedem suam accipient. Lapides pretiosos super fundamentū ædificamus, quando hoc fidei rectæ adijcimus, ut bonis moribus simus ornati, uidelicet humilitate, patientia, temperantia, iustitia, misericordia & cæteris huiusmodi moribus quos uirtutes animi uocamus, quotiensцunq; etiam opera facimus, quæ ex huiusmodi uirtutibus procedunt, lapides pretiosos fundamento superædificamus. Lapidibus autem pretiosis talia dignè comparātur, quia sicut lapides pretiosi, aurū et alias res, quæ in se pulcræ sunt ornare solēt, ita*

uirtutes & bona opera, decorem magnum præstant animæ rationali, quæ secundum Deum *formata est, & pretiosior est omni auro.* Decor *autem iste non potest in anima dissolui, etiam si in ignem purgatorium, pro aliquibus leuioribus culpis fuerit missa, sicut & lapides pretiosi liquefieri non possunt, si in ignem mittantur.* Ar*gentum quoque fundamento super ædificant, quibus hoc studium est, ut scripturas diuinas intelligant, & sermonibus sapientiæ alios instruant.* Argento *autē quod habet dulcem & acutam sonoritatem comparari solet scriptura sacra, ut ibi,* Eloquia Domini, *eloquia casta, argētum igne examinatum.* Quid *enim dulcius sonat, quàm sacra scriptura, in qua uitæ æternæ gaudia promittuntur?* Quid *acutius diuino sermone, qui est penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingente usq; ad diuisionem animæ & spiritus?* Item *& aurum in ædificio suo collocat, qui tam perfectæ contemplationi cor suum tradit, ut poßit iugiter de* Deo *meditari, & trahere de occultis sapientiam, qua gustatur suauitas eius, ipsumq; sine intermißione orare, ipsum incessabili charitatis ardore circuire.* Talis *contēplatio rectè auro comparatur, quia cunctis uirtutibus excellentior est, sicut cæteris metallis pretiosius est aurum, estq; effectrix operum summæ perfectionis, quæ & ipsa quasi aurum sunt in ædificio*

Psal. 17. Heb. 4.

ædificio animæ, comparata cæteris operibus bonis. Facit enim *abstinere propter* Deum, *etiam ab his, quorum usus licitus est: facit contemnere mundum, & omnem gloriam eius, castitatem immaculatam custodire, animam pro* Deo *& fratrib⁹ ponere, ac cætera huiusmodi.* Ligna *uerò, fœnum & stipulam, super fundamentum suum coaceruant, qui cum rectam fidem habeant, nimis occupant corda sua curis & cogitationibus, quæ pertinent in hunc mundum, quiq; maiorem quàm oportet amorem habent ad ea, quæ probibita ipsis non sunt, filios & filias, seculares amicos, domos & possessiones & dignitates & huiusmodi.* Hi *inquam in anima sua ædificare dicuntur super fundamentum ligna, fœnum & stipulam, quia talibus rebus mentem occupant, quæ cremabiles sunt, sicut lignum, fœnum & stipula.* Nam *hæc quæ dicta sunt, obscuram & grauem faciunt animam, ne poßit liberè cogitare ea quæ* Dei *sunt, ipsumq; amare sicut oportet, sed omnis ista obscuritas & grauitas, in purgatorio igne exurenda est, ita ut ipsum fundamentum nihil destructionis patiatur, si tamen inter hæc omnia præ cunctis rebus habeatur* Deus, *ita ut si necesse sit, potius ista relinquantur, quàm* Deus *abnegetur.* Coaceruant *etiam in anima sua res cremabiles, qui se non custodiunt à leuioribus culpis, uelut est otio-*

ſus ſermo, riſus & ioci, ira, uana lætitia, exceſſus in cibo & potu, qui non eſt frequens nimis, & huiuſmodi quotidiana peccata, quæ capitalia non dicuntur. Hi *inquam ligna, fœnum, ſtipulam aggregant ſuper fundamentum ſuum, & hæc quoque excoquenda ſunt per ignem.* De *leuioribus dixi peccatis.* Nam *criminalia peccata ſi admiſſa fuerint, non poteſt dici, quòd ſuper fundamentum aliquo modo collocentur.* Siquidem *ipſa deſtruunt fundamentum & fidem, quia enecant eam, & pro his dicitur mortua fides.* At *ſi pro his pœnituerit homo & non ſatisfecerit* DEO *pro his in hac uita, reputabuntur quaſi illa quæ comparata ſunt ligno, fœno & ſtipulæ, & annihilabuntur per ignem in die* Domini, *ſicut & leuiora quæ prædicta ſunt.* Dies *hominis dicitur tempus illud, in quo unicuique homini permittit* Deus *facere ſecundum arbitrium ſuum quod uult, & quo poteſt promereri bona ſiue mala ſecundum opera ſua.* Dies *autem* Domini, *tempus illud, quod inſtat unicuiq;, quando ſeparatur à corpore anima eius, & de cætero non poteſt incedere ſecũdum arbitriũ ſuum, ſed ſecundũ iudicium* Dei *ducitur, uel ad requiem, uel ad pœnam, ad accipiendam mercedem quam promeruit, fiuntq; manifeſta, quæ prius in eo erant occulta, ſiue bona, ſiue mala.* Vnde *& dici-*

tur:

tur. Vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, & uniuscuiusq; opus quale sit ignis probabit. Ignis autem dicitur pœnalitas illa, quam ad hoc Deus ordinauit, ut in ea affligantur & purgentur electorum animæ, à maculis quas in hac uita contraxerunt. Quæ nullum quidem detrimentum inferre poterit ædificationi eorum, qui fundamento superædificauerunt, aurum & argentum, & lapides preciosos, etiam si per medium illius eis transire cõtingat. Propter hos ergo ait, Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet, eam uidelicet, quam sua superædificatione promeruit. Propter eos autem qui superædificauerunt ligna, fœnum, stipulam, dicit: Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ita uidelicet quod nullũ pro sua ædificatione præmium habebit, imò amaram afflictionem, ipse autẽ saluus erit, sic tamen quasi per ignem, id est, non aliter nisi per examinationem ignis. Diuersis autem nominibus ligni & fœni & stipulæ, designauit ea quæ in quolibet exurenda sunt, propter diuersitatem ipsorum, secundum quam, quædam diutius alijs ignem sustinebunt, uelut lignum diutius fœno ardet, fœnum diutius stipula. Est autem ignis iste idem, quod Psalmista irã appellat, quũ dicit: Dñe ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me, uel emẽdes

Mat.25. *me, ut habet alia translatio.* In *furore arguentur & non emendabuntur, quibus dicetur:* Ite *maledicti in ignem æternum.* In *ira autem corripientur & emēdabuntur, qui per ignem salui erunt.* Vtrumq; *autē formidans deprecatur, dicens:*Domine *ne in furore tuo arguas me, ac si diceret,* Non *sim inter eos quibus dicturus es,* Ite *maledicti in ignem æternum, neq; in ira tua emēdes me, sed in hac uita me ure & seca, & talem me redde, cui emendatorius ignis necessarius non sit.* Iste *ignis est, quem* Ioannes Baptista *significauit, quando de* Domino *saluatore prædicabat, dicens:*Ille *uos baptizabit in spiritu sancto & igne.* Nam *in hac uita baptizat in spiritu sancto, quando in baptismo foris quidem per uisibiles ministros baptizat nos in aqua, intus autem animas nostras propria operatione baptizat in spiritu sancto, donans nobis remissionem omnium peccatorum.* In *igne autem nos baptizat, quando post hanc uitam in purgatorijs pœnis, animas nostras purificat à maculis peccatorum, quas in habitaculo corruptibilis corporis contraxerunt, quia nihil in illa sua purissima ciuitate recipere uult, quod non sit ab omni sorde defæcatum.* Hactenus *ille, secutus* Origenem, Ambrosium, Augustinum *&* Gregorium, *qui locum* Pauli *de igne purgationis exponunt, quanquam & de igne*

tribulationis, nobis in hac uita exhibito, poßit intelligi.

In libro 2. Machabæorum ita scribitur: Fortißimus Iudas, *facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit* Hierosolymam *offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum uideretur & uanum orare pro mortuis.* Et *quia considerabat quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimã haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis soluantur, hoc est, à pœnis peccatis debitis liberentur, ut dictum est.* 1. Mach.

Felicis *recordationis uir doctißimus & insignis martyr Christi* Ioannes Roffensis Episcopus, *ex pluribus sibi mutuò connexis scripturis, confirmat purgatorium hoc modo.* Primũ *istud ex scripturis constat, damnatorũ animas in gehẽna, iam interea torqueri, donec ueniat iudicij dies, id quod ex parabola diuitis epulonis manifestum est. Constat item ex eisdem scripturis, quorũdam animas in cœlo iam beatas esse, præcipuè sanctorum patrum, quos è limbo captiuas eduxerat Christus, quemadmodum ex* Psalmis *& diuo* Paulo *dilucidum est:* Ascendit *(inquit) Christus in altum, captiuã duxit captiuita-* Lucæ 16.

tem. Quod si p scripturas patet, quasdã animas in gehenna cruciari, quasdam uerò iam in cælis summa uoluptate frui, án non inde perspicuum est, alias, quæ nec adhuc beatæ cælo potiuntur, nec detrusæ sunt in gehennã, nõ esse penitus otio sas? Nam aut boni quicquam patiantur, aut ma li necessum est. De bonis illis & malis loquor,
Luc.16. *de quibus Euangelium ait: Fili mi, recepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala. Nec est credibile quòd ij omnes, qui non fuerint in gehennam coniecti, quòd euestigiò migrauerint in cælum. Quamobrem & intereà pro uoluptatibus uenialibus, quibus in hac uita plusculum quàm par fuit indulserunt, molestias ali quas oportet subeant, quibus emaculentur & expientur, digniq; reddantur illa cælesti ciui-*
Apoc.21. *tate, in quam (ut in Apocalypsi traditur) nihil intrabit coinquinatum. Vide nunc num istæ scri pturæ non apertissimam fidem faciant, oportere purgatorium esse, hoc est, locum quendam ad expiationem animarum deputatum? Nam cum multæ sint animæ, quæ nec ab hoc seculo usqueadeò puræ migrarunt, ut in cælum protinus recipiantur, nec tam impuræ, ut mereantur gehennæ ignibus tradi, nec demum unà cum corporibus extinctæ sint, consequens est, ut suas intereà præparationes patiantur quibus idoneæ fiant, ut cælesti ciuitate donentur*

aliquando. Quid enim absurdius, quàm ut creatur animã (inquit Eckbertus*) à sentina turpitudinum recenter extractam, & earũ memoria adhuc quodammodo fœtentem, in illud tam lympidißimũ lumen tã repentè irrũpere, & purißimorum spirituum cœtibus admisceri, ita ut sit uno eodémque die mane quidem in peccatorum turpißimo cœno, & uespere in angelorũ purißimo cœlo? Nónne debuerat uel septem dierum rubore suffundi, pro multis criminosis excessibus, cum pro solo uerbo iurgij,* Maria *soror* Num.12.
Moysi *lepra peßima correpta sit à* Domino, *ac septẽ diebus sequestrata à castris filiorũ* Israel*?* Ex *auro purißimo omnia uasa sanctuarij, quib⁹ administrandum erat corruptibile sacrificium in deserto, fieri iussa sunt, quantò magis uasa, quibus incorruptibilis gloria purißimæ diuinitatis seipsam dignabitur infundere omnimoda examinatione antequã ad sancta sanctorũ inferãtur, probata esse conuenit?* Manifestum *est igitur per omnia necessarium esse purgatorium illum ignem in quo animæ eorum qui in hac uita non plenariam satisfactionem* Deo *pro peccatis suis exhibuerunt, tamdiu examinentur, donec idoneæ fiant intromitti ad illam supernam ciuitatem* Dei, *quæ nihil recipit, quod perfectum & plenè examinatum non sit.* Porrò *si præoccupatus fuerit homo grauioribus peccatis,*

& conuersus fuerit ab iniquitate sua, & pœnituerit ex toto corde de perpetratis malis, præter illam interiorem pœnitentiam cordis, opus habet adhuc aliqua exteriori satisfactione quã exhibeat Deo *pro peccatis suis: uidelicet eleemosynas dando, ieiunando & alijs modis corpus affligẽdo propter* Deum*, quod euidentibus sanctæ scripturæ testimonijs declaratur.* Dicit
Ioel 2. *enim* Dominus *per prophetam* Iohel: *Conuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio & fletu & planctu, & scindite corda uestra & nõ uestimẽta uestra.* Ecce *euidenter præter interiorem conuersionem cordis, exteriorem quoque satisfactionem exposcit.* Ioãnes *quoq;* Baptista*, ut in* Euangelio *legimus, ad utrumq; hortatus*
Matth. 3. *est dicẽs.* P*œnitentiam agite.* Et *post pauca subiungit;* Facite *ergo fructus dignos pœnitentiæ: fructus aũt pœnitentiæ sunt opera bona, quibus* Deus *placatur pro peccatis, & uariæ castigationes carnis.* Quæ *qualem effectum habeant ad placandum* Deum*, declarant gesta* Niniuitarũ*,*
Ionę 3. *& humiliatio* Achab *regis* Israel*, cum arguere*
3. Reg. 21. *tur per* Helyam *post occisionem* Naboth*, qui scidit uestem suam, & operuit cilitio carnem suam, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite.* Factusq; *est sermo* Domini *ad* Helyam *dicens:* Nónne *uidisti humiliatum* Achab *coram me?* Quia *igitur humiliatus est*

mei

mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij eius inferam malum Domini *eius.* Ex *quibus constat,* Deum *non solum internam cordis compunctionem, sed etiam externam satisfactionem peccatis congruentem exigere, eaq; exhibita placari, neglecta autem ad uindictam commoueri.* Hoc *enim indubitatum est, & sacris scripturis comprobatur, uere pœnitentibus, & ad* Deum *toto corde se conuertentibus, remitti quidem peccata à* Deo, *& absolui à reatu quo constringuntur æternæ damnationis, nõ tamen impunita eorum peccata dimitti, sed secundum iustitiam* Dei, *punitionem quoque illis deputari.*

Huius rei sanctus Dauid *testis est locupletißimus; qui post impetratam à* Deo *ueniam adulterij et cõmißi in* Vriam Hethæum *homicidij, nihilominus tamen denunciabatur ei per* Nathan *prophetam, pœna peccato constituta à* Domino*: nimirum quod moriturus esset natus illi filius.* Postquam *enim* Propheta *parabolam proposuisset regi, & ille contra semetipsum protulisset ignoranter sententiam, &* Nathan *dixisset:* Tu *es ille uir, qui fecisti hanc rem, & reliqua quæ sequuntur. dixit* Dauid *ad* Nathã: Peccaui Domino: Dixitq; Nathan *ad* Dauid. Dominus *quoq; transtulit peccatum tuum, non morieris.* Veruntamen *quoniam blasphemare fecisti ini-* 2. Reg. 12.

stiimi-

sti inimicos nomen Domini,*propter uerbū hoc, filius qui natus est tibi morte morietur*. Et pri*us ei dixerat. Quare contempsisti uerbum* Do*mini ut faceres malum in conspectu meo? Vriam* Hethæum *percußisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum* Ammon. *Quamobrem non recedet gladius de domo tua usq; in sempiternum, eo quòd despexeris me, & tuleris uxorem Vriæ* Hethæi,*ut esset uxor tua*.Itaque hæc dicit Do*minus*,Ecce ego *suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis, in oculis solis huius. Quæ omnia ipse* Dauid *post dimißum peccatum, expertus est, quemadmodum secundus liber* Regum *copiosißimè te*-
2.Reg.24 &1. Paralip.21.&27 *statur*. Adhæc *cum numerasset populum, & animaduerteret se offendisse* Deum (*percußit enim cor* Dauid *eum, postquam numeratus est populus*) *dixit ad* Dominum. Peccaui *ualde in hoc facto, sed precor* Domine, *ut transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis*. An *hic existimandum misericordiæ suæ* Dominum *fuisse oblitum, ut agnoscenti confitentiq; peccatum suum, & de eo ex animo pœnitenti, & corde humili contritóque ueniam poscenti, non ignouerit?* Et *tamen nihilominus, manè cum surrexisset* Dauid, *sermo* Domini *fa*-
ctus

ctus est ad Gad Prophetam & uidentem, dicens: Vade & loquere ad Dauid. Hæc dicit Dominus. Trium tibi datur optio, elige unum quod uolueris ex his ut faciam tibi. Cúmque uenisset Gad ad Dauid nunciauit ei, dicens: Aut septem annis ueniet tibi fames in terra tua, aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & isti te persequentur, aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & uide, quem respondeam ei qui me misit sermonem. Dicit autem Dauid ad Gad. Coarctor nimis, sed melius est, ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ eius sunt) quàm in manus hominum. Immisitq; Dominus pestilentiam in Israel, de mane usque ad tempus constitutum. Et mortui sunt ex populo, à Dan usque Bersabee, septuaginta millia uirorum. Moyses quoque & Aaron Deo proculdubio acceptißimi & dilectißimi in pœnam culpæ ad aquas contradictionis commissæ, atq; iamdudum remissæ, in satisfactionem debitam, exclusi sunt ab ingressu terræ promißionis. Quia (inquit) non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Rursus in Leuitico, multa præcipiebãtur opera afflictiua, in expiationem delictorum facienda. Quid autem iuberet DEVS affligere animas talibus operibus Num. 20

ribus pœnalibus, nisi ut Deo *satisfieret?* Cul*pa enim mortalis deleri non potest per opera quæcunq;, sed sola* Dei *gratia & misericordia, alioqui impius seipsum posset iustificare, quod est impoßibile.* Erant *ergo opera illa in satisfactionem pro peccatis iam dimißis à* Deo *iniuncta.* Quare *post peccati remißionem, superest adhuc per satisfactionem pœnæ persolutio.* Aliud *est enim in peccato malum culpæ, & aliud malum pœnæ, & plurimum interest, inter culpam peccati, & pœnam peccato debitam* Quod
Esaiæ 53. *propheta insinuans dicebat:* Dominus *in Christo posuit iniquitatem omnium nostrûm, non quidē culpam, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, sed posuit in eo nostrarum iniquitatum pœnam.* Ipse *enim uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Quod *enim (inquit* Hiero.) Pro *nostris sceleribus sustinere debuimus, ille pro nobis suscepit.* Proinde *aliud est culpam deleri, aliud à culpis exui, aliud à pœnis quas pro his meremur, eripi.* Peccata *sæpe remittuntur, manēte obligatione ad pœnam sufferendam peccatis debitam.* Quantum *antem hæc discretio pœnæ à culpa, quantúmue distet culpæ deletio à persolutione reatus pœnæ, hinc satis liquet quod patres ueteris testamenti, & qui fuerunt sub lege naturæ, uiri utiq; sanctißimi, multo tempore ab omni*

omni immunditia culpæ, extiterint mūdati, qui nihilominus in pœnam præuaricationis, in requiem non introierunt cælestem, donec Christus deleret cyrographum, quod erat contrariū omnibus nobis, affigens illud cruci, factus in hoc propiciatio pro peccatis totius mundi. Quod autem post remißionem culpæ, necessaria sit persolutio pœnæ debitæ S. Aug. Tract. 124 in Ioannem testatur, dicens: Productior est pœna, quàm culpa, ac per hoc ad demonstrationem debitæ miseriæ, uel ad emendationem labilis uitæ, uel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter detinet hominem pœna, quem iam ad sempiternam seu æternam non detinet culpa. Sed dices. Profer nobis etiam scripturas noui testamenti, quibus dogma tuum confirmes. Protulisti quidem ueteris testamenti scripturas, sed in nouo testamento nullam prorsus inuenies, quin potius Christus mulieri adulteræ dixit: Vade & amplius noli peccare, nulla pœnalis satisfactionis habita mentione. Sed disce potius omnes, qui in noua lege iusti leguntur, per baptismum fuisse iustificatos. Talibus autem (quia non manent alicuius pœnæ obnoxij, sed dimittitur omnis culpa & pœna) nulla debuit iniungi satisfactio. Porrò pauci describuntur post baptismum lapsi, & per pœnitentiam denuò iustificati. Proinde nequaquam mirandum, si non

Coloss. 2.

Ioan. 8.

multi legantur post iustificationē, pœnas persoluisse pœnitētiales. Et *tamen si noui testamēti*
1. Cor. 5. *scripturas expendamus, inuenimus fornicarium*
2. Cor. 2. *illum Corinthium ab* Apostolo *post peccatū traditum sathanæ in interitū carnis, ut spiritus eius saluus fieret in die* Domini *nostri* Iesu Christi.
Q*uantum autem ad adulteram illam attinet, dici potest, quòd etsi non legatur eius satisfactio, ipsam tamē semetipsam uoluntariè posteà dijudicasse.* Multa *enim facta sunt, quæ nō sunt scripta.* Et *præterea quis nouit quàm uehementem ipsa mulier habuerit, donante* Christo, *fidem & peccatorum suorum contritionem?* Nónne
Luc. 23. *peculiariter concessum est latroni, propter admirabilem fidei illius uirtutem qua hominem quem uidit non habentem speciem neque decorem, & quasi nouißimum uirorum, ignominiosißimæ morti traditum, credidit esse* Deum, *dicens:* Domine *memento mei dum ueneris in regnum tuum?* Q*uæ fides (ut credendum meritò est) coram diuino examine, maioris meriti habita est, quàm multorum annorum grauis pœnitentia.*

C*larum itaque euasit, non solum necessarium esse, offensam peccati, per gratiam & misericordiā* Dei *remitti, sed præter hoc quoq; oportere, per pœnam commeritam ac debitam, diuinæ iustitiæ satisfieri.* Vnde *peccata piorum ac*

iusto-

iustorum hominum, pro quibus in hac uita non satisfecerunt, etiam post mortem satisfactione quadam pœnali expiantur, detinentúrque animæ eorum in locis quibusdam purgatorijs, donec perfectè & ad plenum fuerint expurgatæ ac emundatæ: imò & pro peccatis suis fuerint satis passæ, & tunc tandem admittantur ad gaudium æternæ beatitudinis. Nam inter diem iudicij & exitum animæ à corpore tempus quoddam est medium, quo purgantur animæ à corpore exutæ, quemadmodum S. Aug. testatur in lib. de Vera & falsa pœnitentia cap. 18. *Prius (inquit) purgandus est igne purgationis, qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis.* Hic autem ignis, etsi æternus non sit, miro tamen modo est grauis. Excellit enim omnem pœnam, quam unquam passus est homo in hac uita. Nunquam enim in carne tanta inuenta est pœna, licet mirabilia paßi sint sancti martyres tormenta. Et lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 13. *Temporarias (inquit) pœnas, alij in hac uita tantum, alij post mortem, alij nunc & tunc, ueruntamen ante illud iudicium seuerißimum nouißimumq; patiuntur.* Et in Enchiridio cap. 110. *Neq; negandum est (inqnit) defunctorum animas, pietate suorũ uiuentium releuari, cum pro illis sacrificium mediatoris, uel eleemosynæ in Ecclesia fiunt, sed eis hæc prosunt,*

qui cum uiuerent, ut hæc sibi posteà prodesse posset, meruerũt. Et *in lib.de* Cura *pro mortuis agẽda cap.1.ita scribit:* In Machabæorum *libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium.* Sed *etsi nusquam in scripturis ueteribus omnino legeretur, non parua est uniuersæ* Ecclesiæ*, quæ in hac consuetudine claret autoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ* Domino Deo *ad eius altare funduntur, locum habet etiam commendatio mortuorum.* Sed *quod missæ sacrificium non solum pro uiuis, sed etiam pro mortuis sit offerendum, & fuerit semper in* Ecclesia *oblatum, superiùs ex patribus demonstrauimus.* Porrò *consuetudo ista, ab ipsis apostolis instituta & introducta est, quemadmodum* Damascenus *affirmat in quodã sermone de suffragijs mortuorũ, sic dicens:* Ministeriorum *conscij discipuli saluatoris & sacri* Apostoli*, in tremendis & uiuificis mysterijs, memoriam fieri eorum qui fideliter dormierunt, sanxerunt.*

Porrò Velsius *dicit ueteres, quique proximi apostolorum temporibus fuerũt, purgatorium non agnouisse, idq́; ex* Dionysij Areopagitæ *ultimo cap.* Eccl. Hierarchiæ *sententia cognoscere licere, ubi de ijs tractat, quæ circa eos, qui piè in* Christo *obierant, fieri solebant.* Quo *quidem (inquit) profectò loco, cum* περὶ τῶν ἐνχῶν προσομπαίων *agat, quibus piè tantummodo*

modo uita defunctos, quasi in patriam proficiscentes, læto omine ac imprecatione prosequebãtur, minimè autem impiè, materia & argumento id exigente, siquidem purgatorium esse credidisset, omnino eius mentionem fecisset, quod cùm ab illo factum non uidemus, hinc meritò colligimus, huiusmodi poëtarum figmenta, nóndum eo tempore in Ecclesiam *irrepsisse.* Hæc *ille.* Obserua *pie lector obsecro, quàm scientificè & demonstratiuè* Velsius *ratiocinetur hoc loco.* Si *(inquit)* Dionysius *esse purgatorium credidisset, omnino eius mentionem fecisset, quod cum ab illo factum non uidemus, colligimus, & cæt.* Quasi Dionysius *omnia describenda suscepisset, quæ necessariò creduntur:* Vnde *non rectè concluseris:* Dionysius *non facit mentionem purgatorij, ergo non est.* Non *enim ualet locus ab autoritate negatiuè.*

Adde *falsissimum esse sanctissimum* Dionysium *purgatorium non credidisse, quia licet illius nominis non faciat mentionem, facit tamen mentionem precationum, quas præsul super defuncto peragebat.* Vt *quid autem oraret pro defuncto, nisi crederet illi sacratissimas preces prodesse?* Vt *quid oraret, nisi crederet eum precibus indigere?* Est *quidem uerum præsulem ipsum precem cum gratiarum actione peragere solitum, ut quasi in patriam pro-*

ficiſcentem, læto omine ac imprecatione proſequeretur, ſed tamen nihilominus precem ſuper mortuum peragebat, ut diuina clementia, cuncta dimitteret per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto, quemadmodum paulo pòſt ex ipſo Dionyſio *demonſtrabimus.* Et tamē *nihilominus etiam illi qui in purgatorijs pœnis detinentur, ſuo tempore, cum fuerunt perfectè expiati, in patriam proficiſcuntur, ut meritò illis congratulari debeamus, & eos læto omine proſequi, quòd in gratia & in* Domino *mortui, tandem beatitudinis perpetuæ conſortia obtinebūt.* Quod *ut celerius fiat, ex charitate, qua eos afficimur, ſuffragijs noſtris adnitimur obtinere.*

Referam *itaq;, quæ ſacer ille pater ſcribit de ritu quo in primitiua* Eccleſia *pro mortuis orabatur, ut etiam manifeſtum fiat quàm inſyncerè* Velſius *& ueteratoriè* Dionyſij *autoritate abutatur.* Quare *libet nūc diutius his immorari, ut etiā agnoſcat lector, qualis olim in primitiua* Eccleſia *fuerit ritus celebratus pro ijs, qui obdormierunt in* Dño*, quæq; eccleſiaſtico ritu rectè & caſtè circa eos peraguntur, qui ex hac uita migrarūt.* Nam *expleto uitæ curſu, obdormire fœliciter, & ſanctè quieſcere, nō eſt cōmune ſacris ac qui piè uixerunt, & prophanis, qui à fidei ſynceritate & mandatis* Dei *aberrarunt, ſed quemadmodum diuerſum eſt uitæ amborum genus,*

nus, ita & differens post obitum, status animarũ atq; conditio, & pro operum suorum hic peractorũ diuersitate, alia & alia post mortẽ qualitas ac dispositio animarũ. Ita enim inquit. Ne istud quidem sacris (*id est initiatis, qui extra communionis participationem non sunt*) prophanisq; (*id est, non initiatis, & qui extra communionem sunt & reiecti*) commune est, verùm vt vtrorumque vitæ est species varia, ita vbi in mortem ierint. Hi quidem, qui sacram tenuere vitam, in veras Dei promissiones intuentes (vt qui veritatem ipsarũ, in sua inspexerint resurrectione) firma & certissima cum spe, diuináque lætitia ad mortis tendunt finem, quasi ad sanctorum certaminum vacationem, non ignorantes in exactissima & immortali vita & salute, fore sua omnia, per futuram integram resurrectionem suam. *Quibus uerbis docet eos qui sanctã duxerunt uitã, animo attẽdere, ueras Dei repromissiones, sacris & pijs factas (quarũ ueritatẽ & exhibitionẽ, in ipsius Christi resurrectiõe pspexerũt, ut in propria etiã resurrectione, eas cõplendas firmius sperarent, idq; futurũ proculdubio in mẽbris crederẽt, quod iam præcessit in capite) cũ firma et certissima æternorũ bonorũ spe, ingẽtiq; animæ lætitia, ad uitæ tẽdere exitũ, quasi ad assiduorũ certaminũ, q̃ in hoc*

mundo gesserunt completionem & terminum, certum habentes, quod in immortali cælestis ui tæ gloria, erunt rursum eis omnia reddita per integrã resurrectionem suã, quæ ad humanæ cõ stitutionis attinent complementum, & nunc per mortem ipsis adimuntur. Deinde *subiungit:* Sanctæ profectò animæ, cum in hac vita possint ad deteriora conuerti, in regeneratione id habituræ sunt, vt ex Dei similitudine, ad inconuertibile trãseant. *hoc est, cum in hac uita, propter liberi arbitrij uertibilitatem, possint ad peiora deflecti, & non deflectantur, in extrema omniũ resurrectione, id pro præmio assequentur, ut ex* Dei *firmitate Deiq; similitudine, ad inconuertibilem à bono statum sint transituræ.* Deinde *sequitur:* At verò casta sanctarum animarum corpora (cũ quibus vnà & vitæ mortalis iter egerunt, & simul descripta sunt, simúlq; certarunt) pro sacris sudoribus suis in animarum immutabili secũdum diuinam vitam firmitate ac sede, resurrectionẽ quoq; vnà recipient propriã. Inserta enim animabus sanctis (quibus hac in vita iuncta fuerant, vt Christi effecta mẽbra) diuinã atq; immortalem, beatámq; recipient requiẽ. In ijs ergo est sanctorũ quieta obdormitio, in lætitia & spe immobili, cum ad sanctorũ certaminum peruenerint finem.

finem. *Et post pauca, cum prophanorũ errores & exitum descripsisset:* Norunt (inquit) sancti, se totos percepturos, exactissimam ad Christi speciem requiem, cùm ad præsentis vitæ finem peruenerint, viamq; ad immortalitatem suam è vicino iam clarius intuentes, diuinitatis laudant munera, diuináq; lætitia gestiunt, non iam ad deteriora conuersionem metuentes, sed parata bona se firmiter perpetuoq; habituros probè noscentes. *Et post pauca.* In sanctorum virorum dormitione, is qui ad finem suorum certaminum properat, sancta lætitia impletur, magnaq; cũ iucunditate, fœlicissimæ regenerationis iter scandit. Defuncti verò propinqui, sancta propinquitate, morumq; similitudine, ipsum qui talis est prædicant, quòd ad optatum victoriæ peruenerit finem, authoriq; victoriæ, laudes cũ gratiarum actione persoluunt, seipsos quoq; orãtes, ad similem requiem admitti. Sumentes autem ipsum, ad Pontificem ducunt, quasi coronis donandum sacris. Hunc ille libenter suscipit, eaque peragit, quæ diuino instituto, super sanctè quiescentibus fiunt. *Obserua quod dicitur, quæ diuino instituto, hoc est, ex diuina cõstitutione sup ijs qui piè obdormierũt fieri debẽt. Sequitur:* Coacto san

cto cœtu venerandus antistes, siquidem sacerdotalis ordinis fuerat, qui obdormiuit, ante sanctũ altare inclinãs eum, orationem ad Deum inchoat, & gratiarum actionẽ. Si autem honestissimis monachis, aut sanctæ plebi insertus erat, ad venerandum sacrarium, ipsum ante sacerdotum reclinat ingressum, deinde precem cum gratiarum actione peragit præsul. Deinceps verò ministri, diuinis inserta eloquijs, verissima de nostra resurrectione promissa recitantes, consentanea tantundemq; valẽtia, canunt Psalmorum cantica. Deinde ministrorum primus (*id est archidiaconus principalisq; minister*) dimittit cathecuminos, sanctosq; iã defunctos concelebrat, cum quibus & nuper vita functum, pari laudatione prosequitur, hortatúrque omnes, vt sibijpsis identidem postulent beatam in Christo consummationem. Posteà accedens venerabilis præsul, precem super eo sacratissimam peragit, & post orationem ipse quoque Pontifex defunctum salutat, & post illum, qui astant omnes. Vbi verò cuncti consalutauerunt, super defuncto fundit oleum Pontifex, & oratione pro omnibus facta, honesto in loco ponit corpus, cũ æqualibus alijs corporibus sanctis.

Et deinceps multis uerbis declarans, quid hæc omnia significent, inter cætera ita scribit. Accedens deinde venerandus antistes, precē sacrā sup mortuum pagit. Precatur oratio illa, diuinā clementiā vt cūcta dimittat, p infirmitatē humanā admissa peccata, defuncto, eumque in luce statuat & regione viuorū, in finibus Abrahæ, Isaac & Iacob, in loco vbi aufugit dolor & tristitia & gemit⁹. Ista (vt reor) pspicua sunt beatissima sanctorū pmia. Quid enim immortalitati pfectæ, omniq; tristitia vacuæ ac plęnæ ppetui luminis, cōferri possit? Licet multū sanè, pmissiōes illę oī sublimiores nostra mēte sint, q̄ vocabulis nobis cōgruis designātur, lōge tamē inferiores earū re & veritate appellationes habēt. Verū enim profectò illud existimandū eloquiū est, quod oculus nō vidit nec auris audiuit, neq; in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Sinus autem beatorum patriarcharum, reliquorumq; sanctorum omniū, sunt (vt reor equidē) sacratissimæ illę, ac beatissimæ sedes, quæ oēs diuinā effigiē p se ferētes, in sua suscipiūt insenescibili & beatissima requie. *Sed iā catholicè lector uel auditor, expēdas uelim hanc sacratissimā precē, & confer illā cum nostris precibus, quas*

quas modò Ecclesia in defunctorum exequijs ad Deum precando effundit, & perspicies quomodo nostræ preces promanent ex traditione apostolica, imò ex institutione diuina, quia paulo antè docui obseruandum, quod dictum est, quæ diuino instituto, super sanctè quiescentibus fiunt. Porrò Ecclesiæ oratio sic habet: Deus cui omnia uiuunt, & cui non pereunt moriēdo corpora nostra, sed mutantur in melius, te supplices deprecamur, ut quicquid anima famuli tui, uitiorum tuæq; uoluntati contrarium, fallente diabolo & propria iniquitate atque fragilitate contraxit, tu pius & misericors abluas uel absoluas indulgendo, eamq; suscipi iubeas per manus sanctorum angelorum tuorum deducendam in sinum patriarcharum tuorum, Abraham scilicet amici tui, & Isaac electi tui, atq; Iacob dilecti tui, quo aufugit dolor atq; suspirium, fidelium quoque animæ felici iucunditate lætantur, & in nouißimo magni iudicij die, inter sanctos & electos tuos, eā facias perpetuæ gloriæ percipere portionem, quam oculus non uidit, nec auris audiuit, & in cor hominis ascendit, quam præparasti diligentibus te, per Christum Dominum nostrum. Dionysius dicit antistitem oratione sua precari diuinam clemētiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanā admissa peccata defuncto, & Ecclesia orat Deū suppliciter,

ut quicquid anima uitiorum & uoluntati diuinæ contrarium, fallente diabolo & propria iniquitate atq; fragilitate contraxit, Deus *pius & misericors abluat & absoluat indulgendo.* Antistes *orat ut defunctum in luce statuat & regione uiuorum, in finibus* Abrahæ *&c. in loco ubi aufugit dolor & tristitia & gemitus.* Ecclesia *precatur ut animam defuncti sancti angeli deducant in sinum patriarcharum* Abraham *scilicet &c.* Dionysius *dicit, uerum illud existimandum eloquium esse, quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: &* Ecclesia *in fine orationis iam præmissæ, rogat* Deum, *ut animã defuncti faciat perpetuæ gloriæ percipere portionem, quam oculus non uidit &c.* Ex *quibus efficax sumitur argumentum,* Ecclesiæ *preces quas pro defunctis facit, ex apostolica descẽdere traditione.* Vnde & Dionysius *ibidem dicit.* Quænã verò de huiusmodi prece (quã super defuncto peragit præsul) ex diuinis ducibus nostris (*per quos apostolos intelligit*) traditio peruenit ad nos, operępretiũ est vt dicamus. Venerãdus antistes (vt scriptura ait) interpres est iudiciorum diuinorum, angelus enim domini omnipotens est. Didicit igitur de scripturis diuinitùs traditis, vt ijs qui piè uixerunt, lucidissima diuinaq; uita, ꝓ merito ab æquissimis

ſimis lancibus redditur, nõ recordãte diuina bonitate per ſummam clementiá macu las, quæ illis ex humana infirmitate adhæſerunt. Nullus enim (inquit) eſt mundus à labe. Iſta quidem nouit pontifex promiſſa à ſanctis eloquijs, petit ea fieri donariq; eis, qui piè vixerunt, prĕmia ſacra, ſimul quoq; ſeipſum ad imitationes Dei benignĩ ùs formãs, & aliorum dona quaſi proprias expetens gratias, neq; ignorãs veras repro miſsiones futuras, p̃ſentibus etiá apertè de mõſtrat q̃, quĕ ab eo ſacro iure poſtulãtur, omnino illi conſequentur, q in vita diuina conſummati ſunt. Neq; enim vnquam peteret põtifex diuinĕ iuſtificationis prædicator, quæ Deo ſciret nõ eſſe gratiſsima, & quæ largiturũ ſe ille nequaquá promiſiſſet. Et poſt pauca poſtulat itaq; ſanctus antiſtes, quĕ ſunt promiſſa diuinitus, atq; accepta Deo, & quĕ largienda nõ ambigit, vna & diuinũ ac benignum habitum prĕferens clementiſsimi Dei, & præſentibus apertè inſinuans, quibus bonis donãdi ſunt ſancti. *Interpretatur ſanctiſsimus martyr & reliqua, quæ tum adhibebantur myſteria ſuper ijs qui ſanctè quieuerunt, paulò ſuperiùs commemorata, quæ breuitatis gratia intermitto.*

Cæterùm quod Velſius ſcribit hoc interroga *torio*

torio, et Christi paßionis ac effusi pro nobis san guinis merita, non solùm non obscurari, sed etiam funditùs è medio tolli, itidem efficatiam eorundem obscurari purgatorij doctrina, cum quod Christi solius est, in quo habem⁹ redẽptionem per sanguinem ipsius, remißionem peccatorum, id mortuarijs sacrificulorum ac impijs operibus & sacrilegis sacrificijs tribuat, falsum est. Non *enim obscurantur per purgatorij doctrinam, sed magis illustrãtur, dum nõ solùm uiuentibus, sed in* Domino *defunctis adhibentur Christi merita atque applicantur. Adhibentur autem uiuentibus per fidem, & sacramenta* Ecclesiæ *quæ uirtutem siue efficatiam habent à paßione & morte Christi. Paßio autem Christi præceßit ut causa quædam uniuersalis remißionis omnium peccatorum, unde necesse est singulis hominibus illam adhiberi ac applicari ad deletionem propriorum peccatorum.* Per *fidem enim applicatur eis paßio Christi, ad percipiendum fructum ipsius, quia (ut* Paulus *testatur) Christum proposuit* Deus *propiciatorẽ per fidem in sanguine eius. Sed illa fides, non est informis fides, sed formata per charitatem, ut sic paßio Christi applicetur, nõn solùm quantum ad intellectum, sed etiam quantum ad affectum.* Per *baptismum autem & pœnitentiam itidem applicatur nobis paßio Christi, unde habent* Roma. 3.

uirtutem suam. Oportet quoq; uiuentes Christo configurari, modò consequi uelint effectum passionis Christi. Configurantur autem ei in bapti-
Rom. 6. smo sacramentaliter, quia (ut Paulus ait) consepulti sunt ei per baptismum in mortem, unde baptizatis nulla pœna satisfactoria imponitur, eo quòd sint omnino ab omni pœna liberati per satisfactionem Christi. Quia uerò Christus semel
1. Pet. 3. duntaxat pro peccatis nostris mortuus est, ut Petrus ait, idcirco non nisi semel homo ei configurari potest per sacramentũ baptismi, sed post peccatum per pœnitentiam conformatur Christo patienti, opera satisfactoria & afflictiua in seipso sustinẽdo, cooperãte satisfactione Christi, quæ habet effectum in eo, in quantũ incorporatur ei ut mẽbrum capiti. Deinde & hoc obseruãdum est, quod licet Christus pro peccatoribus sanguinem suum fuderit, et abundè satisfecerit, nihilominus tamẽ propria satisfactio nobis post peccata necessaria est, & possumus mutuo unus pro alio satisfacere, non solum uiui pro uiuis, sed etiam pro mortuis. Cui rei, tam Augustinus q̃ Gregorius palàm adstipulantur, & quatuor operũ genera memorant, quibus defunctis prodesse possumus: nimirum altaris sacrificium, eleemosynas, ieiunia & sanctas orationes. Prosunt autem eis hæc opera, per expiationis accelerationem, & per quendã satisfactionis modũ
pro

pro pœnis scilicet, quarum debitum, ex peccatis in hac uita perpetratis anteà contraxerant. Porrò licet Velsius *sacrilego ore hæc opera appellet mortuaria sacrificulorum ac impia opera, et sacrilega sacrificia, nos tamen potius* Dominum *audiamus, orationes, ieiunia & eleemosynas in* Euangelio *commendantem, atq; huc nos prouocantem, quàm* Velsium *hæc opera subsannãtem, præcipuè cùm superiùs palàm fecerimus ex patribus missæ sacrificiũ semper fuisse in* Ecclesia *etiam pro defunctis oblatum.*

Quæ deinde producit cõtra purgatorij assertionem, nihil faciunt aduersus eiusdem ueritatem. Nam *libenter admittimus, imò & docemus* Psal. 94. *illud quod profert ex regio propheta &* Paulo. Hebr. 3. Hodie *si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra &c.* Et *qui hodie, id est, in hac uita, uocem* Dei *audiunt, eiq; fidem habent & obtemperant, atq; ita* Deo *adhærent, in requiem cœlestem illam regionẽ ingressuros ex* Dei *promißione, eos autem in quibus fuerit cor prauũ incredulitatis, quiq; rebelles ipsius extiterint uerbis, nec promißiones eius, nobisq; in Christo oblata beneficia fide apprehenderint, iuramento etiam interposito cum ira & indignatione,* Deum *cõminari, non ingressuros. Amplectimur quoq; quod* Paul' *ait:* Nolite *errare,* Deus *nõ irridetur.* Galat. 6. *Quæ enim seminauerit homo (intelligit*

autem in hac uita) hæc et metet &c. Scimus denique diuisionem Christi in Euangelio suo factã de lata spatiosáq;, angusta et stricta uia, et quod (quemadmodum est uidere apud Lactantiũ lib. 6. c. 3. unde hoc Velsius desumpsit) in hac uita Y cuiusdam in modũ, hæ findãtur rationes ac uiæ, nihılq; habeat altera cũ altera cõmune, & posse hoiem in hac duntaxat uita, ad diuerticulũ, hoc est, à lata uia ad strictã puenire, post mortẽ aũt minimè, cũ hæ iã longiùs à seimuicẽ sint diductæ, ita ut inter ipsas, quod & scriptura testatur, hiatus ingens sit firmatus, ut ab altera ad alteram transitus amplius non detur. Porrò Theophylactus *in duodecimũ caput* Lucæ Euangelistæ *scribens circa illa uerba* Domini: Ne *terreamini ab his qui occidunt corpus &c.* Affirmat *non omnes peccatores hinc decedẽtes mitti in gehennã, sed esse in potestate* Dei *ut dimitti poßint, nimirum à supplicijs ad gloriam.* Deo *(inquit) puniente, non carnis solùm damnum est (mors scilicet corporis) sed & misera anima cum supplicijs uadit. Scito aũt hoc loco quod peccatoribus mors ad suppliciũ infertur, & in hac uita puniũtur quũ occiduntur, & in alia dũ in gehennã cõijciũtur.* Perscrutans *autem uerbum, etiam aliud quiddam simul intelliges.* Vide *enim quod nõ dixit:* Metuatis *eũ qui postquàm occiderit, mittit in gehennam, sed habentem potestatem mittẽdi.*

Lucæ 16.

N on

Nō enim ſemper qui moriuntur peccatores, mittuntur in gehennam, ſed ſunt in poteſtate Dei, *ut etiam dimitti poßint. hæc ille.* Ex *cuius uerbis liquet, quoſdam peccatores ſtatim poſt mortem mitti ad gehennam, quoſdam quoq; peccatores non mitti ad gehennam, ſed eſſe in poteſtate* Dei *et etiam dimitti poßint è carcere quo detinentur.* Et *ij ſunt qui in purgatorio detinentur, qui ſuffragijs uiuorum adiuuari poſſunt.* Nā *ſtatim ſequitur in* Theophylacto. Hoc *autem dico (inquit) propter oblationes & diſtributiones, quæ fiunt pro defunctis, quæ non parum conducunt etiam his, qui in grauibus peccatis mortui ſunt.* Non *omnino igitur poſtquàm occidit, mittit in gehennam, ſed poteſtatem habet mittendi.* Quodam *autē (inquit* S. Aug. *in lib. de* Cura *pro mortuis agenda, cap. 1.) uitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore uiuitur, ut aliquid adiuuēt iſta defunctos, ac ſecundum hoc quæ per corpus geſſerunt, eis quæ poſt corpus, religioſe pro illis facta fuerint, adiuuantur.*

Sunt enim quos nihil omnino adiuuant iſta, ſiue pro eis fiant, quorū tā mala ſunt merita ut neq; talib⁹ digni ſint adiuuari: ſiue pro eis, quorum tam bona ut talibus non indigeant adiumētis. Genere *igitur uitæ, quod geßit quiſq; per corpus, efficitur ut proſint uel nō proſint, quæcunq; pro illo piè fiunt, cum reliquerit corpus.*

Nam meritum per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac uita, frustra quæritur post hanc uitam. Ita fit ut neq; inaniter Ecclesia *uel suorũ cura pro defunctis, quod potuerit religionis impendat, & tamen ferat unusquisq; secundũ ea quæ per corpus gessit, siue bonum siue malũ, reddente domino unicuiq; secundũ opera eius.* Vt *enim hoc quod impẽditur, possit ei prodesse post corpus, in ea uita acquisitum est, quã gessit in corpore.* Hæc *ille.* Inter *illos ergo qui mittuntur in gehennam, & eos qui recipiuntur ad æternam beatitudinẽ, cahos magnũ firmatũ est, ut illi qui sunt in gehenna, non possint transire ad beatos in cœlo, neque illi econtrà ad dãnatos in gehenna, sunt tñ nihilominus alij q nec sunt in gehenna, nec unquam ad gehennam ituri, necdum etiam in cœlo, sed ad cælum (ubi ad plenum expiati fuerint & expurgati) ituri, sed non nisi per purgatorias pœnas.* Et *hi sunt de eorum numero, qui dum hodie, id est, in hac uita fuerunt, uocem* Dei *audierunt quidem, sed nõ in omnibus eidem obtemperarunt, sed frequẽter aduersus legem* Dei *egerunt.* Verùm *quoniam præuaricationis suæ memores, priusquàm ex hac uita migrarent, uerè de illa doluerunt, & illius relaxationem consecuti sunt, & ex hac uita sublati sunt, priusquam condigna satisfactione emundarentur, necesse est eos purgato-*

gatorijs pœnis affligi, quousq; immaculati redadantur, & beatitudine digni iudicentur. Hij *sunt, qui dum in hac uita essent, quandoque quidem strictam siue angustam uiam ambulauerunt, à qua nonnunquam ad latã siue spatiosam declinauerunt, licet priusquam hinc recederent, denuò ad angustam sint regreßi: quia tamẽ pro eo quòd in hac mortali uita nonnunquam latam ingreßi sunt uiam, non satis ac sufficienter paßi sunt, idcirco pœnas adhuc luunt post hanc uitam.* Nec est *necesse purgatorium ex altera harum uiarum parte constituere, cum hæ uiæ calcentur in hac uita, & post eam illis reddatur retributio, qui easdem ambulauerunt, siue suppliciorũ; siue præmiorũ.* Et *tamẽ illi qui adhuc in purgatorio sunt, quoniã nondũ ad terminũ æternæ beatitudinis peruenerunt, ad quẽ in hac uita ambulãdo cõtenderunt, quodãmodo sunt adhuc in uia, nõ in spatiosa, ꝑ quã multi ingrediũtur, uia positos dicimus, sed potius in angusta in qua pœnas & supplicia patiuntur.* Dicimus *aũt eos quodãmodo adhuc esse in uia, in quantũ uidelicet eorum progressus adhuc retardatur ab ultima retributione.* Et *quãuis cõmunicatio ciuiliũ operum non poßit esse mortuorum ad uiuos (à uita enim ciuili exclusi sunt) potest tamen inter eos esse communicatio, quantum ad opera uitæ spiritualis quæ est ꝑ charitatẽ ad* Deũ, *cui mor-*


 tuorum

tuorũ ſpirit⁹ uiuũt. Quod aũt adfert ex apoſto li epiſtola ad Gal. Nolite errare, Deus nõ irridetur. Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet &c. Nihil prorſus cõtra ueritatẽ purgatorij facit. Nã meßio illa nihil aliud eſt, ꝗ̃ pceptio ui
Ioan. 4. *tæ æternæ, dicẽte Dño, Qui metit mercedem accipit, & cõgregat fructũ in uitã æternam. Vita aũt æterna nemini datur, niſi proprijs operibus ac meritis, ut quæ ipſe hic ſeminauit, metat in æterna beatitudine. Poſſunt tñ nihilominus iuuari ſuffragijs uiuorũ, qui uitã æternã in purgatorio præſtolantur, ut ad eam citius perueniant.*

Deniq; quod dicit Epiphanij tẽporibus, multos abuſus in Eccleſiam irrepſiſſe, facilè cõceſſerim, ſed ſi per hoc inſinuare uelit ſuffragia quæ pro defunctis ab Eccleſia fiunt, inter abuſus numeranda eſſe, errat toto cœlo, quemadmodum commonſtratum eſt à nobis.

Nec alienũ eſt à calũnia, quod aſſerit Epiphaniũ in deſcribẽdis hæreſibus, nõ caruiſſe ſuis affectibus, ut extenuẽt autoritatẽ tanti uiri qui ſua tẽpeſtate ſciens in Eccleſia eſſe receptißimũ orare pro defunctis, Aêrium inter hæreticos numerat, qui id præſumpſerat impugnare

Itaq; non ut Velſius malè concludit à purgatorio expurgati atq; liberati, ſed purgatorij ueritate confirmata ac conſtabilita, ad ultimum progrediamur interrogatorium, quod ſic habet:



DE

DE TEMPLORVM ædificatione, & vtilitate cæremoniarum.

Postremò. An credat pium esse, templa & oratoria externa Deo cõstruere, & cæremonias quæ in Ecclesia frequentãtur, ad pietatem excitandam, & religionem in plebe retinẽdam, vtiles & proficuas esse, & propterea non abolendas, sed conseruandas fore.



Ium esse, templa & oratoria externa Deo *construere, liquet ex eo quòd sacra scriptura cõmendet pietatem* Dauid, *qui uoluit* Domino *tẽplum ædificare. Et licet fuerit à* Domino *prohibitus id facere, prædictũ tamen est ei filiũ suum id factu rum.* Dauid *quoq; ante mortem suam præcepit ut cõgregarẽtur oẽs proselyti de terra* Israel, *et constituit ex eis latomos, ad cedẽdos lapides & poliendos, ut ædificaretur domus* Dei. *Ferrum quoq; plurimũ ad clauos ianuarũ & ad cõmis-* 2.Reg 7. 1.Par.:2.

 suras

suras atque iuncturas præparauit, & æris pondus innumerabile. Ligna quoque cedrina non poterant æstimari, quæ Sidonij & Tirij deportauerunt ad David. Et dixit David: Salomon filius meus, puer paruulus est & delicatus. Domus autem quam ædificare uolo Domino, talis esse debet, ut in cunctis regionibus nominetur. Præparabo ergo ei necessaria. Et ob hanc causam ante mortem suam, omnes præparauit impensas. Vocauitque Salomon filium suum, & præcepit ei ut ædificaret domum domino Deo Israel. Dixitq; David ad Salomonem. Fili mi, uoluntatis meæ fuit, ut ædificarem domum nomini domini Dei mei, sed factus est sermo Domini ad me, dicens: Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me. Filius qui nascetur tibi erit uir quietissimus. Faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc causam pacificus uocabitur, & pacem & otium dabo in Israel cunctis diebus eius. Ipse

2 Par. 5. & 7. *ædificabit domum nomini meo. Et cum Salomō templum consummasset, impleta est domus Dei nube, ne possent sacerdotes stare & ministrare propter caliginem, compleuerat enim gloria Domini domum Dei. Ignis quoque descendit de cælo, & deuorauit holocausta & uictimas, &*

maie-

maiestas Domini *impleuit domum*. Nec *pote-rant sacerdotes ingredi templum* Domini, *eò quòd impleßet maiestas* Domini *templum* Do-*mini*. *Sed & omnes filij Israel uidebant descen-dentem ignem, & gloriam* Domini *super do-mum*. Porrò *quemadmodum Christus præsentia sua & nouo miraculo in* Cana *Galileæ exhibi-to, approbauit nuptias debita castitate celebra-tas, & thorum immaculatum: sic diuina maie-stas præsentia gloriæ suæ comprobauit templi ædificationem & Salomonis pietatem*. Denique *Dominus apparuit Salomoni secundo, sicut ap-paruerat ei in Gabaon*. Dixitque *Dominus ad eum*. Exaudiui *orationem & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me, sanctifica-ui domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem no men meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus, & elegi lo-cum istum mihi, in domum sacrificij*.

Ioan. 2.

3. Reg. 9.

2. Par. 7.

Si non eßet pium ædificare Deo *templa & oratoria externa*, Dominus *non suscitaßet spi-ritum Cyri regis* Persarum, *ut traduceret uocem in omni regno suo, etiam per scripturam, dicẽs*: Hæc *dicit Cyrus rex Persarum*: Omnia *regna terræ dedit mihi* Dominus *Deus cæli, & ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in* Hie-*rusalem, quæ est in Iudæa*. Quis *est in uobis de uniuerso populo eius? Sit dominus illius cum eo*.

1. Esdr. 1.

Ascendat in Hierusalem*, quæ est in Iudæa, & ædificet domum* Dei Israel*,ipse est* Deus *qui est in* Hierusalem. Et *post pauca sequitur*. Et *surrexerunt principes patrum de* Iuda *&* Beniamin*, & sacerdotes &* Leuitæ*, & omnis cuius suscitauit* Deus *spiritum, ut ascenderet ad ædificandum templum* Domini*, quod erat in* Hieru-
1.Esd.5. *salem. Si non esset pium ædificare templa* Deo*, prophetæ* Domini Aggæus *&* Zacharias *non confortassent ac adiuuissent ædificantes templum* Domini. Prophetauerunt *(inquit scriptura)* Aggæus *propheta, &* Zacharias *filius* Addo*,prophetantes ad* Iudæos *qui erant in* Iuda *&* Hierusalem*, & in nomine* Dei Israel. Tunc *surrexerunt* Zorobabel *filius* Salathiel*, &* Iosue *filius* Iosedech*, & cœperunt ædificare templum* Domini *in* Hierusalem*,& cum eis prophetæ* Dei *adiuuantes eos.* Cum *autem aduersarij* Iudæorum *uellent impedire eos,oculus* Dei *eorum factus est super senes* Iudæorum*,& non potuerunt inhibere eos.*

Aggæi 1. *Sed & per* Aggæum *prophetam corripuit* Dñs *populũ cessantẽ ab ædificatione tẽpli*. Nã *factum est uerbum* Domini *in manu* Aggæi *prophetæ,ad* Zorobabel *filium* Salathiel *ducem* Iuda *& ad* Iesum *filium* Iosedech *sacerdotem magnum dicens.* Hæc *ait* Dominus *exercituum dicens:*Populus *iste dicit*, Nondum *uenit tempus*

domus

domus Domini *ædificandæ.* Et *factum est uerbũ* Domini *in manu* Aggæi *prophetæ dicens.* Nun *quid tempus uobis est, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta?* Et *nunc hæc dicit dominus exercituum,* Ponite *corda uestra super uias uestras. Seminastis multum, & intulistis parum.* Comedistis, *& non estis satiati, bibistis & non estis inebriati.* Operuistis *uos, & non estis calefacti.* Et *qui mercedes congregauit, misit eas in sacculũ pertusum.* Hæc *dicit* DOminus *exercituum.* Ponite *corda uestra super uias uestras.* Ascendite *in montem, parate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor dicit* Dominus. Respexistis *ad amplius, & ecce factũ est minus.* Et *intulistis in domũ, & exsufflaui illud.* Quã *ob causam dicit* Dominus *exercituum?* Quia *domus mea deserta est, & uos festinatis unusquisq; in domum suam: propter hoc super uos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum.* Et *uocaui siccitatem super terrã, & super mõtes, & super triticum, & super uinum, & super oleum, & quæcunq; profert humus, & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum.* Et *cap.2. confortat eos in opere* Dñi. *Si nõ esset pium ædificare* Deo *tẽpla* Aggæus *propheta ex præcepto* Dei *nõ animasset populũ ad tẽpli extructionem, nec*

Deus

Deus Iudæos in hoc negligētes, eiuſcemodi plagis attriuiſſet. Ruffinus lib.10. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ca.11. refert eccleſiā extructā ab Iberorū gente nouiter conuerſa ad fidem, cuius exædificationem Deus ingenti miraculo confirmauit.

Euſebius lib.8. Eccleſ. Hiſtoriæ cap.1. refert, quomodo propter multitudines coeūtium intra eccleſias populorum, & præcipuè in diebus feſtis, propter innumerabiles cateruas, per loca ſingula confluentes, ne ipſa quidem antiqua receptacula ſuffeciſſe, ſed quotidie orationum domus dilatatas, ita ut amplitudo earum concludere inſtar urbium uideretur.

Soſomenes lib.2. Trip. Hiſto. cap.18. affirmat Conſtantinum Conſtantinopolim multis & magnis exornaſſe eccleſijs. Iuuabat enim diuinitas Imperatoris uota, & apparitionibus multis indicabatur, quia ſanctæ ſalutaréſque eſſent, quæ illic ædificabantur eccleſiæ. Extant ad noſtram uſque ætatem plurimæ per eundem toto Romano imperio conſtructæ eccleſiæ. Socrates quoque lib.7. Trip. Hiſto. teſtatur in Ediſſa Meſopotamiæ urbe Apoſtoli Thomæ baſilicam eſſe, claram nimis pariter & ornatam. Et cap. 19. locus exprimitur, ubi olim Veſta colebatur, & poſteà eccleſia facta eſt, qui nunc locus Michaelum nuncupatur. Et denuò cap.18. ſcribit Theodoritus Helenam Conſtantini matrem poſtquam

crucem Christi apud Hierosolymam *reperisset, undique congregasse artifices, & maximas illic ornatásque ædificasse ecclesias.* Hæc *eadem* Helena *apud* Coloniam Agrippinam, Bonnæ *item, & apud* Vetera, *basilicas regali ambitione construxit, in tanta ueneratione olim habitas, ut cum irrumpētes barbari,* Vetera *excidissent solóque æquassent, à sanctorum basilica maiestatis & religionis ergò abstinuerint, ubi posteà conditum oppidum, ab extante templo sanctorū (ut scribit* R.P. Euerhardus Billikius) *obtinuit nomē ad Sanctos, quod* Batau*i sua lingua* T*sancten appellant.*

Ex *quibus omnibus perspicuum fit, pium esse templa & oratoria externa* Deo *construere.* Sed Velsius *non aliter, nec ullius alterius rei occasione templa externa exædificare pium existimat, nisi fiat in apposito loco, ubi honestè ac commodè ad uerbum* Dei *audiendum, & sacramentis participandum ac* Deum *orandum, et communi consensu ac conuentu laudandum, conuenire queant fidelium cœtus &* Ecclesia. Dicit *præterea priuato motu ac uoluntate nemini huiusmodi quippiam tentandum esse, & quæ publica autoritate construenda sunt ab hominibus pijs,* Deiq́; *spiritu imbutis, huc (quod omnino à talibus fiet) referri debere, ut absq́; ambitione & luxu, amputatáq́; omni superuacanei operis*

ris curiositate, quam Græci περιεργίαν uocant. hæc ille. Exposcit planè Deus à sua Ecclesia in tē
Matth. 18. plo suo unanimem orationem. Nam (ut Christus ait) ubi duo uel tres congregati fuerint in nomi ne meo, ibi sum in medio eorum. Et iterū: Si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet eis. Sic enim Apostoli,
Act 1. simul cum omnibus qui credebāt, quotidie perdu rauerunt unanimiter in templo. Non quod à loco, oratio uim recipiat, aut quod ibi solum sit
1. Cor. 6. orandum, quum Paulus dicat: Volo autem uiros in omni loco manus puras leuare, sed quòd Deus unanimem poscat orationem, ad quam nos templa inuitant. Quum enim unum corpus
Ephes. 4. simus, debet noster conuentus cōcors esse et unanimis oratio. Dicuntur autem templa & alia loca sacra oratoria, quòd sint domus orationis, ut proinde in illis nihil aliud agi oporteat quàm id ad quod sunt facta. Quæ an Velsius sufficienter enumerauerit facilè perpendet, qui nouit non solum ad hoc facta & consecrata esse, nimirum ad uerbum Dei audiendum, sacramentis participandum, Deum orandum ac laudandum, sed etiam ad inuocanda sanctorum patrocinia, quorū imagines & sacrosanctæ exuuiæ siue reliquiæ religiose & piè asseruantur, nisi cum Vigilantio deridere uelit sanctorum reliquias, & cum Carolstadio, imagines è templis detur-

deturbare. Deinde *ut sunt à pijs hoīb'*, Deiq; *spiritu imbutis constructa & construenda templa, non tamen uideo quid peccauerint Constātinus &* Helena, *qui tanta ambitione, tam regalia templa ubiq; erexerunt, quorum ornatus & splendor indies creuit, & adhuc amplius cresceret, nisi pestifera dogmata* Lutheranorum *aliorúmque hæreticorum, animos Christi fidelium ab hac persuasione pia reuocarent. Si templum* Salomonis *spectemus, quod iubente* Deo *conditum est, nónne permultam superuacaneam operis curiositatem habuit?* Et *tamen* Deus *præsentia maiestatis suæ, illius exædificationem approbauit.* Poterat *quidem minoribus impensis, minori luxu, amputata omni superuacanei operis curiositate, exædificari, sed debebat esse templum eiuscemodi (ut* Dauid *dicebat) ut in cunctis regionibus nominaretur.*

Altera *interrogatorij pars insinuat cæremonias, quæ in* Ecclesia *frequentātur, ad pietatem excitandam, et religionem in plebe retinendam, utiles & proficuas esse, & propterea non abolendas, sed conseruandas fore.*

Quæ *enim in catholica* Ecclesia *ad pietatem excitandam & religionem in plebe retinēdam, frequentantur cæremoniæ, tam sunt utiles & proficuæ, ut absque illis cultus* Dei *subsistere nequeat.* Tolle *siquidem cæremonias ab* Ec-

clesia,

clesia, & apud maximam Christianorum partem, Dei cultum statim extinxeris. Fac ne quisquam leuet manus nec flectat genua, aut ne tundat pectus, aut oret non uelato capite, aut non in pedes erectus stet, dum legitur Euangelium, *ne humi prostratus adoret, ne* Eucharistia *cum ostenditur populo, omnia reuerentiæ, & honoris signa non exhibeantur, aut id genus reliqua prætermittantur, uidebis infra paucos dies, eam (quam uocamus deuotionem) euanescere penitus.* Nam *ea, quæ adhuc uiget in paucorum* Christianorum *pectoribus, quanquam sit pertenuis illius cultus scintillula, cæremonijs tamen enutritur, excitatur, augetur & fouetur.* Et *nisi ad has cogentur* Christiani, *propediem, aut nullus, aut quàm frigidißimus cultus* Dei *futurus est.* Porrò *eiuscemodi cæremoniæ & ritus* Ecclesiastici *qui in sacramentorũ administratiónibus adhibentur plurimum prosunt ad fidem & charitatem ædificandam alendámque.* Non *enim temerè adhibentur, sed ut uiua quædam incitamenta fidei & pietatis, ad formandam religionem necessaria, quibus manuducitur uulgus ad intelligendũ & retinendũ mysteria* Christi. *Sunt enim pædagogia ad secretiora mysteria capessenda, ut sacra reuerentiùs tractanda, ut sint imagines pietatis & fidei in oculos & aures influentes, ut sint fulcimenta uirtutis, & stimuli*

muli quiddam nos admonentes, quid, à quo, quo tempore, quóue pacto agi, tractariq́; conueniat. Nec *dubium est, maximam cæremoniarum partem, quæ circa administrationem sacramentorum adhibentur, à primitiua & apostolica* Ecclesia *ad nos deuenisse, ut impiè abijciatur, quod tot seculis, tot sanctißimis uiris sacrosanctum est habitum.* Idem de pijs Ecclesiæ *inter orandum cæremonijs sentiẽdum est, ut nequaquã contemnantur, quæ rectè & magno cum fructu adhibentur, si uel ad incitandum nos, uel ut omnia secundum ordinem fiant in* Ecclesia*, & decẽter ac ordine gerantur omnia, secũdum* Pau*li apostoli præscriptum, uel ut hæc exterius repræsentent, quod intus agitur, adhibeantur, atq; hæc non mentis intentionem præcedant, sed subsequantur.* Nam *quum mens & ratio, in hoc nostro corpore conclusa sit, sic ut animus totam molem hominis debeat regere, nequaquam à pietate abhorret, si corpus dominam suam rationem seu spiritum tendentem in* Deum, *& ad illum propius se applicare cupientem, suis quoque motionibus, compositionibus & figuris, suo habitu ac gestu, subsequi conetur.* Quod *si in omnibus planè agendis, tractandis considerandisq́; rebus, corporis ministerio animus utitur, num in adorando ac uenerando* Deo, *illius tantum reijciet societatem?* Nónne *itaq; iure ac piè fit,*

ut siue animus peccati & culpæ conscius, se pro sternat atq; abijciat coram Deo, *corpus quoq; eundem gestum, eundemq; actum subeat, siue agendis pro accepto beneficio gratijs, mentem ad* Deum *cogitationemq; tollamus, eandem mentis ad* Deum *sublationem, uultus, oculi manusq; sequantur? Iam illæ pectorum tunsiones ac percußiones, capitum inclinationes, genuum inflexiones (quæ paßim in communi* Ecclesia *adhibētur) imitationes sunt & simulachra animi, uarios in se affectus erga* Deum *suscipientis.* Quæ *si falsò & per simulationem usurparentur, essentq; ementita atq; ficta, maximum nimirum hoc crimen, & nefaria improbitas sceleratæ mētis esset. Sed si ita res se intus habet, si est uoluntas rite conuersa ad* Deum, *si animus, si mens, si ratio in ipso* Deo *uerè collocata est, cur repellamus corpus, à pietatis huius & uenerationis erga* Deum *consortio? quod* Paulus *non addubitauit uocare templum spiritus sancti, & quod in partem immortalitatis & gloriæ apud* Deum *aliquando futurum est. Nam quod & detecto capite uiros, uelata coma mulieres in* Ecclesia *orare uult* Paulus, *nonne ad externas id pertinet cæremonias?* Præterea *percußio pectoris nec non deiectus oculorum in terram, quæ sunt in publicano illo sibi ueniam à* Deo *precante, per* Dominum Iesum Christum *exposita, nonne in*

2. Cor. 6.
1. Cor. 11.
Luc. 18.

in corpore sunt testimonia animi cum Deo humiliter colloquẽtis? Atq; adeò quid est quod Dominus ipse ad orationem accinctus, uix unquam aliter quàm subleuatis in cœlum oculis, ac genibus flexis in terra, totoq; gestu corporis, affectum mentis indicante, orasse legitur. Sanctæ ergo hæ, ac in uniuersum cæteræ piæ illæ, ac antiquißimæ cæremoniæ Ecclesiæ, *in* Ecclesia *adhibentur, non ut in illis spem salutis ponamus (quisquis enim hoc autumat, longè fallitur) neq; ut charitatem impediant, sed potius ut fidem & charitatem proucbant, quales sunt ieiuniorum, feriarum, ac alij innumeri pij ritus, qui huc spectant, ut expeditiores simus ad audiendum uerbum* Dei, *sacramenta participandum, et seruiendum* Deo *uiuenti, & proinde non tãtum utiles, sed & necessariæ sunt in præsenti* Ecclesia, *quæ multos carnales complectitur, quibus manuductione opus est.* Rectißimè *ergo* Augustinus, *unam hanc saluberrimam regulam in hisce ritibus retinendam esse docet: nempe ut quæ non sunt contra fidem, neq; contra bonos mores, & habent aliquid ad mouendum piè animum, aut ad exhortationem uitæ melioris non inutile, ea ubicunq; instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, sic tamen ut ea quæ præcipua sunt, etiam præcipuas partes teneant, & cæremonijs*

Ioa. 11. 16. Matth 26. Mar. 14. Luc. 22.

non aliter quàm cæremonijs utamur. Qui ergo has spernit & reijcit, aut ut mera figmenta hominũ irridet, aut à Deo *uetitas esse dicit, is cum* Deo *& discipulo eius* Paulo *pugnat.* Nam *(ut cætera sileamus) prior ad* Corinthios *epistola satis ostendit, quàm fuerit* Apostolus *in ritibus istis pijs ordinãdis atq; adeò obseruãdis solicitus, ut pronũciarit reijciẽdos secus sentientes.* Si qs *(inqt) uult cõtentiosus esse, nos talẽ cõsuetudinẽ nõ habemus, nec* Ecclesia Dei. Ex *his pspicuũ est falsißimũ esse quod* Velsius *impudẽter et calumniose adfingit nobis, nimirum nos nomine cæremoniarũ, innumeras superstitiones cõprehẽdere, quarũ pleræq; à circulatorũ præstigijs nihil differre uideãtur, quas dicit esse* Antichristi Ecclesiæ, *et ut impias, hypocriticas, pharisaicas, abolẽdas & respuẽdas, nullaq; ratiõe diutius tolerãdas.* Itẽ *quod dicit nostras cæremonias hoĩes supstitiose facere acquiescere in externis, cũ iã dictũ sit eas adhiberi ut incitamenta fidei & charitatis pietatisq;, qbus hoĩes manuducãtur ad intelligendum & retinendũ mysteria* Christi *&c.* Vnde *cũ docemus piũ esse tẽpla & oratoria externa,* Deo *construere, & cæremonias utiles & proficuas esse, nõ reuocam⁹ hoĩes ab internis ad externa, sed potius p externa manuducim⁹ eos ad interna & spiritualia.* Falsißimũ *proinde est, sed & ingẽs est calũnia, q asserit architectũ horũ*

inter=

interrogatoriorum (quẽ contẽptim sophistam appellat, cũ ipse sit sophisticißimus) semper sibi esse similẽ, ad externa semp nos ab internis reuo care. Itẽ & hoc q̄, dicit eas solas cæremonias reti nẽdas, quæ ex uerbo Dei *institutæ sunt.* Cũ *mul= tæ piæ, utiles & necessariæ sint in* Ecclesia *catho lica cæremoniæ, quæ sacris literis nõ sunt cõpre hẽsæ, sed traditione apostolica* Ecclesiæ *tradita, cuiusmodi multas describit* Tertullian⁹ *in lib. de* Corona *militis, &* Basilius Magnus *in lib. de spi ritu sancto cap. 27.* Deniq; *quod dicit nos, nõ su os, sed Christi & ueritatis cõiuratos hostes, q ue nũdati nostra uolũtate simus diabolo, ut facere= mus malũ in cõspectu* Domini. *Vtri cõueniat po tiùs ne* Velsio, *q̄ nobis, is demũ intelliget, q eius blasphemias, calũnias, impietates & imposturas legerit.* Nõ *enim nõ potest* Christi *esse hostis, q* Christũ *tã immaniter in ter sacrosancto* Euchari *stiæ sacramẽto blasphemat.* Nec *minor hostis ue= ritatis, q catholicã fidei orthodoxæ ueritatẽ tã hostiliter impetit, eamq; tã nepharijs ausib⁹ sub uertere cõtendit ac molitur, sed nequicquã: fun data enim est supra firmam petrã.* Reliqua *quæ calũniose obijcit nobis, trãseant cũ cæteris calũ= nijs, & cõtẽnamus potius q̄ respõdeamus.* Haud *tñ dißimulandũ, quod tandẽ hæretic⁹ hæreticũ, & sacramẽtarius sacramentariũ iniustis laudi= bus euehẽs,* Adolphũ Clarẽbach *(q hic* Coloniæ

ob suā perfidiā fuit exustus) dicit ob Christi & ueritatis testimonium martyrio esse affectum. Quis enim ferat sacrilegum hominē & blasphemū & ob nefandas hæreses exustū, martyrē appellari? Nisi fortè (uti reuera fuit) diaboli martyrem eum quis dixerit. Christi autem martyrē non facit pœna, sed causa, quæ in impio Adolpho Clarenbach locum non habuit.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGENDA SVNT.

primus numerus folium, secundus paginam, tertius lineam designat.

Fo 2.fa.2.li.1 le.peregrināti 3.1.13.qui probaret 13.1.9. expositione 15.1.17.Et quia idē est esse 18.1.23.Ecclesia, pollicitus sit, nō solū 18.1 24.& 25.sed & successioni 19.2.27. professionē 27.2.14. antistes 29.1.19.obtinent 36.1.4 largitate 39.1 6.sacerdotiū 41.2.9 etiā per 54 2.5. areā 57.1.22.primas 59 1 8.funibus & fa.2.9.Vides & 11.uti 60.2.3 præcipieti,& lin 19. authoritatis & 22.cathedræ 65 1.8.inuenies 67.2 15 ad fidei 69.2.24.sed pro scilicet 73.1.4.cuiuis 75.1 3.eidē facta 77.1 1.primatus & li 8 primatū & 13.amittit 81.1.1.cōditiones 89.1.li. ul.nobis aūt 92.2.7.mala dānare 94.2.13.institutionē 97.2.26.causam 120.1.12.interrogatoriis 122.1.10 urgeret 124.1.19.antiquitus 126.2.23. pergemus 129.2.4. nec alius unquā 137.2.17.adorationē 141.1.16.tactu 142.2 9.noiatur 145.1.17.inuisibili 147.1.28.substantia 148.1.11.Verbum Est substātialiter & li.26. claritatē 150. .20.repræsentatio.

tionē 152.1.13.*sacramētalē* 156.2.7.& 8.panes propositio
nis & 12.mūdis & 17.lotis 157.2.21.*Ecclesia* quidē 158.1.
24.dicit in 159.2.1.*ueritus est* 161.1.8.*super substantialē*
162 1.24.*præsentiā* exhibet & *fa*.2.11.*ad* patrē 169. 2.
21.*eius aīā* 170.2.27.uel *substantiarum* 172.2 8.*esse* Dei
175.2.2.*diuinitatē*, *hoc est* 180.1.19. *est*,aquā & *fa*. 2.5.
uirgas 194.1.22.lauit 196.2.21.*caput* 200.1.16.*in* Ioan
nē 206 1.7.*gratia*,*in hoc sacramēto est* 209.1.26.Chri-
sti,*nisi* 213.13.*Hieronymus* 220.1.19. *materiales* & *for-
males* 224.1.27.*scilicet pani* 226.1.24.*conuersam* 227.1.
20.*specie uisibili* & *fa*.2.li.22.ἄιτια τὰ 228 1 2 ἄιτιορ
230 1 17 *scholiastes* 231 1 13 *scholiastes* 236 1.24 *per
passionē* 239 2 5 *assistit* 246 1 26 In cōfutatione 248.
1.20.*nos idē*.256.2.5.*decere* 261.1.17. *cū Iesum* 262. 2.
17.*immūdi* 269.1.5.*existimabātur* et lin.5.*cōfiteri Chri-
stianū* 270.1.27.*nec ne et fa*.2.8. *lecturi sunt* 271.1.11.
idololatriā 272.2.18.*distinctionē* 274.1.14 *dicit* 278.1.
5.*maxime si* 279.1.7.*sathanæ ad et li*.18.*quæ de et fa*.2.
8.*cōuiciatores* 285.1.6. *in principio* 286 2.17.*probat &*
287.2.17.*Vide hic* 288.1.26.*ad suā* 289.2.24.*hoc est*:*et*
lin.27.*inferret* 290 1 2.*Christus dicat* 292.1.27.*quia et*
li.28.*in cuius* 296.1.6 *Christū esse* 303 1 19.*ut scilicet et
fa*.2.9.*et unitū in unā* 306.2.16 *uiuā* 307.2.5 *sacramēto*
310.2.17.*Ecclesia* 311 1.6 *lucrarentur et* 12.*cōsecraretur*
et 25.*notabilē et fa* 2.li ult. *si E. clesiæ* 312 2.13.*inuoluit*
316.1.25 *laicis daretur et fa* 2 9 *accipiamus prius* 311.2.
18.*Christus* 316 2 3 *comā* 321 1 26 *præsidiū* 322.1.16.*ue
ro* 324 1 21 *uim* 330 2 3. *primitus* 335 1 9 *sit sacrificiū*,
sed etiā ut offertur sub specie uini 336 2.28.*per Malachi
am* 340 1 14 *Euangelicū* 344 2.4.*huius tractatus* 37 1.
1.15 *Pœnitentia contra* 372 2 3 *et illorum* 387 2 5 *oc-
currerūt* 422.2.27.ἐυχῶν 389 1.25 *suscitata est*. 417.
1.10 *ad hunc*.

